


ACTA

SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

IOSEPHI PENNACCHI ET VICTORII PIAZZESI

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones sive Responsa, et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Editio prima stereotypa.

Volumen XIII.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

1894.

Pierce furié

LITTERAE SSmi. D. N. Leonis XIII ad praesidem et socios Academiae s. Thomae in Seminario Parmensi erectae.

LEO PP. XIII

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Dum vitiatae tribus ab hinc saeculis philosophiae consectaria deploramus, quae sensim ceteris disciplinis irrepentia et ad ipsum vitae usum traducta, errorum flatu partisque perturbationibus societatem in qua vivimus iactant et ad dissolutionem compellunt; gratulamur Vobis, Dilecti Filii, quod adeo alacriter coiveritis ad ea restituenda principia, quae et religioni vindicandae et retundendis sophismatum iaculis ac insidiis, et illustrandae veritati, et per haec moderandis moribus ordinique reparando sola possunt efficacem operam conferre, Ducem profecto ad tantum opus tutiorem illo nequibatis eligere, cui sanctitas eximia cum ingenii vi et perspicuitate humanum excedente modum coniuncta Angelici Doctoris laudem comparavit. Qua in re, praeter indolem ipsam incepti vestrumque studium illud maxime Nos delectat, statuisse vos ab eo tantum fonte sapientiae documenta depromere, quem Nos aperte designavimus; nunquam vero a rivis, qui non salubribus aquis creverunt quamvis ab ipso fluxisse dicantur. Cum enim haud pauci occurrant, qui dum Aquinatis mentem callide conantur ad propriam detorquere sententiam, vel hanc ita componere student eoque illinere fuco qui non absimilem illius placito speciem referre videatur, eoque apparatu obducti, se sancti Doctoris, a cuius doctrina toto coelo aberrant, discipulos iactant; perspicacia vestra voluntatisque firmitas Nobis argumento est, vos non modo fraudibus huiusmodi deceptum non iri, sed ita detecturos illas esse, ut alios quoque a periculo deceptionis arceatis. Ominamur itaque nobis ut alii atque alii conventui vestro dent nomen, quo iunctis multorum viribus et opera citius, facilius pleniusque spectatum finem in religiosae civilisque rei commodum assequamini. Sit autem vobis auspex divini favoris Nostraeque paternae benevolentiae testis Apostolica Benedictio, quam vobis singulis, Dilecti Filii, et Academiae vestrae toti peramanter impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum die 21 Iunii anno 1880. Pontificatus Nostri Anno tertio.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PATRIMONII SACRI

Die 23 Augusti 1879.

COMPENDIUM FACTI. In vim publici instrumenti ab Antonio Casadei Clericus C. anno 1855 sacrum patrimonium nanciscebatur. Quandoquidem dictus Antonius Clerico C. a die qua ad Subdiaconatus Ordinem conscendere debebat, usuras crediti frugiferi scutorum 720, conflantes summam scutorum 36, sacri patrimonii titulo se fore cessurum spondebat, donec provideretur. Autumant domini Casadei et Clericus C. sub iurisiurandi religione nullum inter eos pactum intercessisse simoniacum, neque in hac neque in aliis rebus.

Verum inter haec Clerici C. avunculus per apocham privatam eiusdem diei pollicebatur, sese fore soluturum eidem Antonio Casadei, acceptanti atque stipulanti pro se suisque, fructus praedictae summae scutorum 720, quoties exacti fuissent a Clerico C. Ita ut sacrum patrimonium qui constituit nullo damno, nullâque expensâ affici debuisset.

Nullam ex eo die fructuum portionem percepit Clericus; verumtamen, Antonio viam universae carnis ingresso anno 1862, ab Exequutore testamentario fructus decursus, a die constituti patrimonii, postulavit. Id aegro animo perferens haereditatis Casadei repraesentans, adhuc diutius Clerico instante, supplici libello s. C. C. adivit, enixis precibus postulans, ut dignaretur declarare nullius esse valoris huiusmodi patrimonii constitutionem, quae unice ad hoc facta fuit, ut Clerico titulus pro

ordinatione praesto esset; vel ordinare ut Clericus C. ab omni solveret ligamine patrimonium Antonii Casadei; eoquod pensionem ecclesiasticam scutatorum 24 idem Clericus consequutus fuisset et officium frugiferum. Episcopus, quoad hanc rem rogatus pro informatione et voto, respondit: sese haud credere patrimonii esse simulatum; nam regulari instrumento constitutus fuit reditus certus supra fundum determinatum, absque ulla reservatione. Insuper patrimonii sacri institutor seipsum obligavit et suos haeredes ad hoc, ut Clericus C. in possessione huius fundi servaretur. Ex dictis et probatis adiecit Episcopus haud evinci, quod Clericus adpromiserit, sese numquam fructus fore petiturum. Nihilque officere censuit obligationem, quae inita esse fertur inter Casadei et avunculum Clerici; nam haec secunda obligatio haud primam destruere valet, sed potius confirmat.

Disceptatio synoptica.

Iura haereditatis Casadei. Hareditatis Casadei defensor pro aris focisque tuetur, sacri Patrimoni constitutionem fictitiam fuisse, ideoque nullam renunciandam esse. Quod nititur ostendere ex facto quo res sese habuerunt in tali negocio: nam vis et efficacia instrumenti, quo s. patrimonium constituitur, infirmatae fuerunt per pactum, quod instrumentum ipsum praecessit, in scriptis redactum et subsignatum ab eisdem testibus. Tres dies tantum ante s. Ordinationem constitutum fuit sacrum patrimonium: ita ut *inter Missarum solemnia* praescriptae publicationes fieri nequiverint, neque certum fuit an libera et secura esset vis pecuniae pro patrimonio constituta. Neque hypotheca super fundis Casadei inscripta fuit, neque aliud factum est ut fraudes, si adfuissent, in propatulo mitterentur.

Si porro haec omnia insimul ponderentur cum facto Clerici, qui nonnisi post fatum constituentis, fructus repetere curavit a die constituti patrimonii, simulque attendatur quod in inventario haereditatis Casadei de anno 1862 nullum inscriptum fuerit creditum favore Clerici C., uti refert Praeturae Cancellarius, vehementissimae habentur coniecturae, quae omnino suadent

patrimonii sacri constitutionem fictitiam fuisse. Ad declarandum enim contractum simulatum, non requiritur tam exacta probatio, sed sufficiunt coniecturae, indicia et praesumptiones *L. Non* §. *A barbaris ff. de re milit. Bald. in consil. 311. prope fin. col. 5., Covarr. in lib. 3. var. resol. cap. 7., Marta vot. 54. n. 9. seqq.;* quia simulationes fiunt occulte, et alter de altero confidit.

Ideo dicit *Salyc.* in *L. Empt. col. final. Cod. plus valere etc.* quod duo testes sufficiunt ad probandam simulationem; et *Afflictus* teste Marta *loc. cit. n. 13* simulationem contractus probari posse docet per testem singularem. Iamvero non duo, sed tres exhibentur in actis testes. Quod magis magisque obfirmatur ex ipsa apocha, quae inter Avunculum Clerici et Antonium Casadei intercessit, in qua perlegitur quod Antonius Casadei ad patrimonium constituendum inductus fuit ex obligatione assumpta ab Avunculo Clerici ipsius, nempe restituendi fructus perceptos ex pecunia in sacrum patrimonium constituta. Omnibus igitur attente ponderatis, de simulata fictitiaque patrimonii constitutione ambigendum haud esse concludit.

Nec iuvat oggerere, eum qui donat simulatum patrimonium, teneri Clerico fructus conventos solvere. Subdit enim Exequutor testamentarius: sacri canones id innuere videntur quum fraus adsit in eo qui sacrum patrimonium constituit, quatenus deceperit Episcopum et Clericum, ostendens eisdem patrimonium nullum et fictitium, ceu verum et legitimum patrimonium. In casu contrarium accidit, nam absque Clerici fraudibus, neque Episcopus deceptus fuisset neque Antonius Casadei patrimonium inane constituisset. Quum enim vir bonus et religiosus fuerit, nunquam ad hanc simulationem per sacros canones vetitam, sciens induci potuisset.

Verumtamen in hypothesi, quod patrimonii constitutio suis adhuc viribus consistat, tamen eiusdem resolutioni modo locum esse propugnat. Sane ex facti enarratione compertum fit, religiosissimum virum Casadei Clerico C. scuta 36 in titulum sacri patrimonii assignasse, donec provideretur. Iamvero tralatitium in iure est, verbum *donec* conditionem facere *Leg. qui Concubinam*

§. *Uxori ff. de Legat. 3;* hinc huiusce patrimonii constitutionem, conditionalem fuisse ambigi haud posse videtur. Quocirca cum in confesso sit Clericum obtinuisse pensionem scutorum 24 super Paroecia et officium frugiferum nequit proinde dubitari, quin purificata conditione sub qua assignatio facta fuit, patrimonium ad haeredes concedentis pertineat. Idque eo vel fortius retinendum, quia patrimonii assignatio locum habuit, Clerici paupertate urgente. Promissio vero ob causam paupertatis elicita, cessat, cessante paupertate, *L. cura §. Deficientium ff. de muner. et honorib. et L. Ab his honoribus §. auctis ff. de vocat. et excusat. muner.*

Iura Clerici. C. Hisce tamen minime obstantibus, nedum videtur illud patrimonium fuisse valide constitutum, imo vero in sua virtute adhuc consistere evincitur. Profecto sacri patrimonii constitutionem realem fuisse, tum praesumptiones, tum acta docent. Praesumi namque non debet, religiosos probosque viros, quemadmodum contrahentes fuisse perhibent acta, fraudem hanc moliri voluisse eamdemque impune contra ecclesiasticas leges perpetrari. Praesumi pariter non debet Clericum moribus et religione praestantem, ceu adductis ostenditur documentis, conficto titulo ordinantem decipere voluisse, ut in poenas a iure canonico comminatas incideret. Praesumi demum non debet eundem tam bardum esse, ut, si tutus in sua conscientia non esset, pro causae propositione insisteret, dum in ea conditione modo versatur, ut ex bonis propriis valeret sibi requisitum a synodalibus legibus patrimonium constituere.

Omnis autem hac super re arcetur amaritudo, si parumper constitutionis patrimonii sacri instrumentum perpendatur. Quandoquidem non modo Antonius Casadei ipsum constituere voluit, sed etiam cavit, ut vere et realiter fructus exigi possent a Clerico. Cum igitur ex instrumenti fide scateat omnia in constituentis praeiudicium redundare, non potest colligi aliqua fraus, quam nullus praesumitur committere sine commodo et utilitate multo minus cum eius danno ceu optime ponderat *Gratian. in discept. for. 278 n. 25.*

Quod magis magisque evincit agendi ratio pandita ab exe-

cutore testamentario, qui ut moderaretur taxam successionis denunciavit haereditatem onere sacri patrimonii gravatam; et hypothecae subiectam esse illc ipse fatetur quum petit a s. C. C. ut Clerico imponatur quodlibet resolvere vinculum super patrimonio Casadei.

Neque id turbat quod in apocha privata legitur. Tralatitium enim in iure est quod res inter alios acta, tertium non afficiat, *L. De unoquoque ff. De reiudicat. Rota in Fulginaten. Damnorum 3 Iulii 1815 coram Caesarei de Leonibus.* Quin imo ex recitatis verbis sacri Patrimonii constitutio firmamentum accipit. Exploratum siquidem est recitata verba relevationem sonare. Atqui principalis obligatio sit oportet, cui relevatio addatur; neque enim sine principali suo accessorium esse potest, neque sine eo, quod firmetur concipitur firmamentum. Cum igitur Antonius Casadei acceptam habuerit relevationem ab Avunculo Clerici promissam pro fructibus exigendis, iam in propatulo est patrimonii constitutionem omnibus numeris absolutam fuisse.

Inani rursus labore contenditur, patrimonii constitutionem nullam esse existimandam ob solemnitatum defectum quae ad tramites legum synodalium intercedere debebant. Primo enim hanc nullitatem non cuilibet ex contrahentibus obiicere licet, sed ille dumtaxat cuius favore solemnitates inductae fuerunt, de eorumdem defectu et de nullitate contractus excipere valet, *Tenzon. ad Stat. Urb. cap. 15 num. 51, Rota in Recent. decis. 595 num. 9 part. 13.* Cum igitur solemnitates inductae haud fuerint Casadei favore, nec igitur ob illas excipere valet defensor haereditatis de nullitate patrimonii. Deinceps etiam quia, auctorante Emo Ordinario, a solemniis recessum fuit.

Nec validius dolum atque fraudem in constitutione patrimonii arguit adversarius ex eo quod Clericus a petenda pecunia sese abstinuerit. Creditor enim ius suum salvum esse sciens, silendo aut non petendo nullum sibi praeiudicium infert, *Rota in Albanen. Dotis et fructuum 23 Februarii 1752 §. 12 cor. Elephantutio:* eo vel magis quia Clericus autumabat « fructus repetere nequivisse, tum quia munera quotannis plura et pingues Missarum eleemosynas a Casadei reciperet, tum quia, ex verbis

ipsius Casadei, aliquid ex eius haereditate sibi obventurum speraret. Sed spe amissâ, uti iure suo voluit Clericus, fructus sacri patrimonii sibi constituti repetendo. »

Statuta validitate constitutionis patrimonii sacri, luce meridiana claret eiusdem resolutioni in tali rerum statu locum esse non posse. Quandoquidem conditio purificata non est, uti ipse notat Antistes dum Clericus *sufficienter provisus* dici non potest ex perpetua pensione annua 24 scutorum, quam ab anno 1872 obtinuit super Paroecia, eoquod pro ordinatione constituitur reditus scutorum 36 a Synodo Dioecesana (1). Quae summa minime valet compleri ex alia quam percipit pro officio frugifero. Hoc enim officium ad nutum amovibile, satis non est ad Ordinationis titulum efformandum, quod in re certa et stabili consistere debet, quemadmodum pluribus recitatis S. C. C. resolutionibus ostenditur in causa *De-Chiapas Circa titulos Sacrae Ordinationis* die 21 Iunii nuper *effluxi* §. *Concilium et seq.*

Hisce igitur utrinque animadversis, remissum fuit EE. CC. sapientiae et prudentiae decernere quonam responso dimittenda essent

DUBIA

I. An constet de nullitate constitutionis patrimonii sacri in casu.

Et quatenus negative

II. An eiusdem resolutioni locus sit in casu.

Resolutio. Sacra C. Congr. sub die 23 Augusti 1879, re perpensâ, respondit:

Subrogandam esse pensionem scutatorum 24 cum dispensatione super integritate taxae, facto verbo cum SSmo (2).

(1) Haud praeterendum est quod attendenda sit taxa synodalis loci, ubi quis ordinatur. Itaque si Clericus Romanus ordinandus sit titulo beneficii erecti in dioecesi Florentina, attendenda est taxa constituta pro Romanis, non taxa dioecesis Florentinae. Id declaratur a S. C. in *Alatrina 9 Iulii 1701*, ac praecipit *Conc. Rom. 1725, Tit. 6. cap. 4.*

(2) Quoad practicas deductiones circa patrimonia sacra recole Acta s. Sedis Vol. X. pag. 173. Quamvis s. C. C. directe haud responsum dederit primo dubio,

IURIUM PAROCHIALIUM.

Die 26 Iulii 1879.

Compendium Facti. Pluribus abhinc saeculis insignis Ecclesia Parochialis ss. Martyrum Firmi et Rustici, Oppidi dioecesis C. a quatuor Parochis vulgo *Portionariis* regebatur, qui curam animarum *in solidum* exercebant, non tamen sine iurgiis ac litibus, quae saepe saepius in aperta scandala desinebant. In Collegiatam isthac Ecclesia erecta anno 1617, quatuor Parochi *Curati Canonici* nuncupati sunt. Labente vero anno 1750 antiquior Parochus, Archipresbyteri nomine subscriptus invenitur, quod ad eius successores nemine contradicente migravit: atque ita *Archipresbyter* antiquior Parochus, *Curati Canonici* vero reliqui Parochi appellati sunt.

Anno autem 1804 res immutatae fuerunt operâ civilis auctoritatis, quae statuit, ut in posterum unus tantum esset Parochus, reliqui vero tres Parocho, titulo *Vicariorum* assumpto, adiutorio essent. Episcopus praeterea retulit Collegiatam fuisse conversam in paroeciali ecclesia, ipsâ civili auctorante potestate. Et quamvis ignoretur utrum innovationi huic accesserit s. Sedis approbatio; tamen ab anno 1804 ad praesens, Paroeciam istam

tamen sacrum patrimonium valide constitutum fuisse videtur. Idque erui etiam ex facto quo pactio facta fuerit de restituendis fructibus, quatenus clericus eosdem exegisset.

Animadvertendum est cum Benedicto XIV *Instit. 26 n. 14* quod « a sacris » sanctionibus aliena sunt ea patrimo- » nia, in quibus expressa vel tacita con- » ventio intercedit... ut ordinatus nullos » fructus, vel illorum tantum partem » ex eo fundo desumat, licet publicae » tabulae obsignatae contrarium decla- » rent. » Et idem auctor loc. cit. n. 18 prosequitur: Quippe ut omittamus... cer- » tum quidem est, si apud Iudicem Or- » dinatus egerit, ut fructus ex patrimonio » sibi tradito percipiat, id statim ob- » tenturum, licet contrariae pactiones » et etiam iusiurandum intercesserit. »

In themate nullum pactum signavit clericus neque aperte aliquid egit, ex quo argui possit eum peccasse.

unum habuisse Parochum opinio publica retinuit, quamquam Vicarii nonnullos exercuerint et adhuc exerceant parochialis auctoratatis actus. Utrum vero ex tacito Archipresbyteri consensu, an potius ex longi temporis consuetudinis effectu, id ipsis obvenerit, dignosci non valet, cum omnia in tenebris delitescant. Illud unum certum est, quod Missae pro populo ac praedicationis onus Archipresbyter et tres Vicarii, ut antea ad invicem sustulere; onera atque emolumenta omnia aequali portione diviserunt, atque in vacatione praedictae alicuius Vicariae, spiritualis Oeconumus ut in Paroeciis deputari solet.

Res sic se habebant, cum duo ex praefatis Vicariis, occasione arrepta a quadam resolutione ab Archipresbytero edita, qua imminuta eorum potestas magis magisque coercebatur, praecipue circa adsistentiam ad matrimonia, sub mense Februario anni 1877 ad Episcopum, supplici oblato libello, confugerunt, petentes ut in plena suae dignitatis et auctoritatis parochialis possessione redintegrarentur, ceu ante annum 1804; eoquod suppressionis actus ex civilis potestatis vi partus erat. Ordinarius quaestionem magnis difficultatibus involutam prospiciens, a iudicio ferendo abstinuit: sed pro viribus exoravit ut Apostolica Sedes sanaret quod in praeteritum gestum sit contra ss. canones, et ut unus tantum constitueretur Parochus, ad iurgia et lites futuras praecavendas.

Disceptatio synoptica

VICARIORUM IURA. Ut omnis aequivocatio eliminaretur, autumant isti, se numquam excidisse a iure regendi paroeciam in solidum, et quaerere an in ea dignitate et potestate conservandi sint.

Vicariorum autem ius parochialitatis patet, sive ex veteribus documentis, sive ex publicis titulis, sive ex parochialibus codicibus, sive ex antiquiorum parochorum testimonio. Extant complures nominationis bullae quae omnes parochialem vicariorum naturam ac dignitatem ostendunt. Fundationis autem bulla deficit omnino, neque illa utcumque diligenter exquisita, inveniri potuit.

Per immemorabilem ac nunquam interceptam consuetudinem suum ius Vicarii patere contendunt, ac prae caeteris, per Curiae attestationes. Nec obiici ab adversario posse, mutato nomine, mutatam beneficii curati naturam fuisse. Siquidem primus ille actus, qui parochi nomen uni Archipresbytero tribuit, civilis tantum auctoritatis fuit, nec quoad animarum curam, quidquam mutavit. Cum vero hic actus non modo huc usque non interfuerit, sed Cura animarum semper a quatuor parochis, quin aliquid innovaretur, gesta sit, atque ad praesens etiam geratur, apertissime patere ostendunt Ecclesiasticam auctoritatem nullam, quoad iuris effectus, civili legi vim praebere voluisse.

Nec refert quod sic haberetur ius parochialitatis inter plures in solidum. Neque enim in iure novum, neque in praxi insuetum est, ius parochialitatis in solidum haberi, praesertim si qua rationabilis et legitima ratio, prout in praesentiarum, id expostulet. *Pitonius constitutiones et decisiones* pro parochis N. 1404 et *seqq. 3 Iunii 1678:* neque aliter sentit S. C. C. *in Tiburtina 25 Martii et 9 Iulii 1757*, atque in *Brixien. 15 Iulii 1875*, et in *Aretina 15 Decembris eiusdem anni.* Ipsa etiam *Tridentina Synodus* non modo cumulativae curae non adversatur, sed illam admittit ac praesumit, prout videre est in *cap. 18 sess. 24 de Reform.*

Atque hoc tanto magis admittendum Vicarii tradunt, quando, prout in casu, plures quidem parochi sunt, sed *unam* efficiunt atque induunt *personam*. Tum enim cura animarum, licet *actu* apud singulos sit, *habitu* tamen *apud omnes in solidum* permanet, quia uno in corpore, in collegio, pluralitas existere non potest, prout docet *Lotter. de re benef. lib. 1 quaes. 20 n. 116 seqq. atque in num. 142 seqq., Rota decis. 225 par. 19 tom. 1 Rec. num. 2 seqq.*

Quod vero ad consuetudinem attinet, plures Vicarii actores nominationum bullas inducunt, ex quibus qualis paroeciae semper administratio fuerit, iuxta ea quae nuper tradita sunt, apertissime patet. In his enim, quoties presbyterum quocumque nomine ad curam animarum in Oppido C. nominari contigerit,

semper ad « unam ex quatuor portionibus parochialibus curatis » exercendam vocari consuevit, neque ulla inter curata beneficia distinctio apparet. Et ipsa civilis auctoritas licet nomen parochis mutari imperavit, constituit tamen quod reditus paroeciae solvi debeant quatuor parochis.

Ipsa Episcopalis curia, quae nimis haud Vicariis favet, quatuor esse Parochos declaravit, atque eos unam eamdemque personam gerere atque administrationem exercere. Et Episcopus Dioecesanus in visitatione pastorali anno 1599, quatuor esse parochos ait, alternis hebdomadis curam exercentes.

Sed maiora etiam praestare se Vicarii tradunt. Parochiales enim codices adducunt, qui veritatem ostendunt, atque ex his non modo quatuor semper parochos dignitate pares in Ecclesia C. extitisse patet, sed etiam antiquiorem parochum Bartholomaeum Foresti anno 1750 primum sibi Archipresbyteri nomen assumpsisse, quod posthac in exemplum successoribus usuvenit.

Mox de Curiae C. attestationibus loquentes, omnia expendunt quae haec in iis monumentis pro Vicariis tradidit. Illa enim quatuor semper parochos in Ecclesia C. extitisse testatur.

Nec praetereundum aiunt quod in Bulla quadam apertissime id firmatur. Anno enim 1816 Homobonus Offredi Episcopus C. cum impares omnino vidisset ob auctum fidelium numerum quatuor parochos ad animarum curam, coadiutoralem instituit Vicariam ac novo Coadiutori praecepit: « Ita quod in cura animarum ad nutum et in subsidium m. r. Parochorum dictae Ecclesiae Parochialis SS. MM. Firmi et Rustici praedicti oppidi C. te praestare debeas ».

Nullam igitur Archipresbytero iuris rationem favere pergunt, prout ipsa saecularis observantia docet. Cumulative semper parochi quae muneris sui erant, expleverunt, ac simul pariter emolumenta atque onera, nemine contradicente, diviserunt. Atqui consuetudo plusquam centenaria suapte natura valorem induit veri ac legitimi tituli ac privilegii, eâque praeditus potest allegare titulum de mundo meliorem, *l. in summa ff. 8 de aqua et aquae pluviae arcendae, l. hoc iure 4 pa. 4 ff. de aqua quotid., G. super quibusdam 26 de verbor. sig., Rota Rec. par. 1*

decis. 677 num. 4 par. 3, decis. 489 num. 2 par. 4 to. 1. et alibi passim. Quapropter *De Luca lib. 7 de alien.disc.3 n. 6 ait: sola centenaria* (praescriptio) *sufficit non obstante moderna constitutione Urbani VIII ob facultatem allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem.* Cuius rei rationem adducit in *lib. 15 disc. 21 de iudiciis num. 50* hisce verbis : *omnia enim dominia ac bona vel iura quae ab antiquissimo ac immemorabili tempore bene concluso possideantur, aliquod principium absque dubio supponunt.* » Itaque coucludendum animadvertunt quod observantia tanti temporis patrocinetur Vicariis, nedum in linea interpretativa et praesumptiva sed et in linea praescriptiva.

Quod si missae pro populo celebrationem adiungas, quam parochi omnes perficiunt, iura ad decimas parochialis Archivii administrationem atque usitatam perceptionem in utriusque stolae emolumentis, luce clarius ius suum parochi apparere contendunt, ac vehementer mirantur quomodo « *sibi tantum exclusive* » animarum curam pertinere Archipresbyter adfirmet, cum haec tantummodo verae et propriae parochialitatis probationem inducant, prout firmavit *Rota in Rec. dec. 225 par. 19 to. 1 num. 8 seqq.* Porro animarum curam dubio procul ad Archipresbyterum pertinere fatentur, sed cumulative ac non exclusive. Quum Vicarii ostenderint naturam sui muneris esse parochialem, ad secundam pergunt quaestionem, eoquod Archipresbyter autumet sese solum esse parochum, et sibi tantum matrimonia esse reservata. Id tamen neque iure, neque factis vindicare posse Archipresbyterum,aiunt Vicarii.

Nam, posita pluralitate parochorum, atque ideo posita iurisdictionis ac potestatis in omnibus aequalitate, quis inficiari poterit ius sacramenta omnia (nullo excepto) administrandi, parochi officio essentiale agnosci? Compertissimum igitur in iure est solum parochum valide ac legitime matrimoniis adsistere, prout firmavit *Tridentina Synodus in cap. 1 sess. 24 de Reform. Matr.* ac *Bouix de parocho par. 4 § 2 pag. 462:* atque ideo, si plures dignitate pares, parochi sint, iis omnibus ius adsistendi spectabit.

Sicut nullum effugium praesto est Archipresbytero in iure

sic nec in factorum serie. Pro omnibus sufficiant bullae Episcopi Offredi quae vicariam *coadiutorialem* instituunt atque hoc presbyteris quibusdam munus conferunt, eisque facultatem ministrandi sacramenta tribuunt, his tamen verbis adiectis: « *et excepto sacramento matrimonii ad cuius adsistentiam debeas specialiter ab altero ex praefatis parochis deputari* (scilicet a parochis vicariis), *iisque pariter exceptis quae matrimonium sive antecedenter, sive subsequenter respiciant, quaeque omnia iisdem RR. Parochis reservata expresse volumus et declaramus* ». Luce igitur clarius suum ius apparere parochi aiunt quod ipse Episcopus iam anno 1816 non creavit sed agnovit. Nec in posterum se res aliter gessit ut evincunt Vicarii per attestationes praedecessorum suorum.

Ita iure matrimoniis adsistendi generaliter probato, de nonnullis sibi exceptionibus disputandum Vicarii putant. Excidit perraro in literis nominationum verbusculum aliquod quod Vicariis adversari videtur, facultatem iis adsistendi tribuens, accepta prius ab Archipresbytero delegatione. Tamen nullo modo sibi id nocere Vicarii tradunt: eoquod sola Ecclesiastica auctoritas, quae curata beneficia constituerat, per formale decretum potestatem antea traditam minuere potuisset, quod sibi tamen minime perficiendum censuit. Quamobrem, cum iuris existentia absolutissime demonstretur, nec contrarii quomodocumque actus reperiantur, nullo in pretio exceptiones huiusmodi putant habendas esse. Quod si etiam nunc Vicarii obsignationem suam apponunt, adiectis verbis, *delegatus ab Archipresbytero* quisquis videt id faciendum esse ex prudentia. Nam parochiales codices obnoxii sunt investigationibus auctoritatis civilis, quae parochorum pluralitati enixe adversatur.

Iura Archipresbyteri. Quae tamen a Vicariis adducta sunt ss. canonum sanctioni adversantur; ab istis enim parochorum pluralitas omnino reiicitur. Idque dubio procul liquet tum ex *tex. in cap. 15 de praeb. et dignit.* in quo statuitur *quod una Ecclesia unius debeat esse Sacerdotis:* tum etiam *ex Cap. 8 eod. tit.* quod de minoribus Ecclesiae beneficiis agit, inter quae certo certius beneficium parochiale adnumerari debet. Quas iuris com-

munis canonicas sanctiones Tridentinum in vigorem revocavit easque auctoritate sua communivit. Sane Tridentini Patres, ut colluctationibus ac scandalis ex hac pastorum pluralitate profluentibus viam praecluderent, Episcoporum curae et sollicitudini commiserunt in *Sess. 24 Cap. 15 de Ref.* ut *unicuique populo suum Pastorem, peculiaremque Parochum assignent, qui* eum *cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant.*

Quae cum ita sint, doctores omnes hanc doctrinam tuendam esse uno ore validisque argumentis tradiderunt: inter quos satis sit citare Gonzalez ad *Cap. 8 de praeb. et dignit.* Pichler ad *tit. de Paroch.* de Luca *disc. 8 ad Conc. Trid. n. 35 et seq.* Barbosa in *C. 1 de off. et potest. Parochi num. 13 et seq.* Etenim parochorum pluralitas nedum conceptui et naturae auctoritatis adversatur, sed gravia plerumque secumfert incommoda, ita ut litium fomes habeatur. Hinc saepe accidit quod oves nullius audiant vocem, ex quo pluribus obedientiam pastoribus praestare debeant. Quamobrem ad tramitem expositi iuris S. C. C. pluralitatem parochorum reiecit, nullo habito respectu neque ad Constitutiones Capitulares, neque ad consuetudinem eamque immemorabilem, neque ad quaevis alia iura, quae in contrarium allegabantur ceu videre est in *Hortana Iurium Paroch. 14 Aprilis 1721,* et praesertim in *Brixien. Iurium Parochialium diei 24 Iulii 1875* et *in Aretina Iurium Paroch. 11 Decembris 1775.*

Huiusmodi vero doctrinae in themate eo magis inhaerendum esse videtur, tum quia per plusquam septuaginta annos Vicarii curam animarum exercuerunt, reclamatam dependentiam Archipresbytero iugiter exhibentes: tum quia aliter iurgia et contentiones inter Parochos renovarentur, quae saepissime locum habere solebant eo tempore, quo cura animarum a pluribus pastoribus in solidum exercebatur, ceu perhibet Episcopus in sua informatione ad S. C. C. Neque rationabile est, ait Archipresbyter, dicere quod immutatio anni 1804 haud attendenda sit, quia auctoritate civili tantum peracta fuit, absque ecclesiae approbatione Nam probatum non est, haud interfuisse ecclesiae consensum.

Ut autem factum aliquod de nullitate arguatur, probari prius

debet, rem reapse accidisse, quemadmodum asseritur. Deficiente vero huiusmodi probatione, inutiliter de nullitate actus impetitur: notum siquidem in iure est quod facta non praesumuntur sed probationibus ea demonstrari necesse est, ut effectum pariant *ad tex. in Leg. 1 Cod. de Prob. Leg. Asseveratio Cod. de Non. num. pecun. Rota coram Ianora decis. 48 n. 10 et coram Card. Marini Decis. 422 num. 1.* Urget ulterius Archipresbyter ex omnibus rerum adiunctis praesumi potius debere sanctionem ecclesiasticam in themate non defuisse. Arguit id ex iugi et constanti silentio, nedum sacerdotum qui successivo tempore in curae animarum administrationem vicaria potestate vocati et adlecti fuerunt; verum etiam eorum qui nativam parochorum potestatem in solidum exercendam per laicae Potestatis imperium imminutam viderunt.

Arguit ex silentio Episcopi, qui talem iniuriam suae et pontificiae auctoritati facere permisisset; quin adversus laicae potestatis abusus vocem attolleret. Arguit ex publica opinione quam in Dioecesi apud omnes invaluisse refert Episcopus, nempe unum tantum ab anno 1804 fuisse Parochum, a quo ceteri operarii Vicariorum nomine dependere debeant. Arguit tandem ex tanto temporis spatio quod ab anno 1804 elapsum est. Tralatitii siquidem iuris est, 30 annorum decursum tantam vim praeseferre ut ipsum Apostolicum beneplacitum praesumere faciat. Vide s. Rotam in *Dec. 50 num. 12 part. 14 et Dec. 694 n. 5 part. 1.* Praesertim praesumitur intervenisse ubi dentur actus certi et positive gesti huiusmodi observantiam probantes *Dec. 44 num. 25 part. 10.* In themate autem cum nedum de 30, sed de 75 annorum decursu agatur, quisque ingenio suo facile percipit nullo modo ambigi posse ecclesiasticae potestatis sanctionem intercessisse. Sin minus concludit Archipresbyter in themate agi de re dubia: in dubio autem praesumitur semper recte factum, quod rite faciendum erat.

Constito vero ex iure tum antiquo, tum novissimo atque ex constanti S. C. C. praxi quod unicus esse debeat in quavis paroecia animarum pastor, quodque reliqui cooperatores, si qui adsunt, dependenter ab eo iurisdictionem parochialem exercere

teneantur, quae Vicarii secundo loco congerunt circa nativam et independentem adsistendi matrimoniis potestatem mole sua ruere contendit. Neminem enim fugit ex Tridentini dispositione in *sess. 34 cap. 4 de reform. matr.* solum Parochum, aut ab ipso specialiter delegatum valide ac legitime matrimonii celebrationi adsistere posse. Hisce praenotatis remissum fuit Emis Iudicibus decernere quonam responso dimittendum esset sequens

Dubium.

An Archipresbyter et tres Vicarii aequali modo curam et iurisdictionem exercere debeant, etiam quoad matrimonia; seu potius Archipresbytero tantum exclusive competant in casu.

Resolutio. S. C. Concilii, re perpensa sub die 26 Iulii 1879, respondere censuit. *Negative in omnibus ad primam partem, affirmative ad secundam: Vicarii autem ius habeant et obbligationem curam animarum subsidiariam exercendi* (1).

Ex quibus colliges:

I. Populo cuilibet unum pastorem assignandum esse, qui oves suas probe cognoscere et ab eisdem cognosci valeat, et a quo solo licite sacramenta ministrari possint.

II. Ecclesiam, quae uxor vel sponsa parochi esse dicitur,

(1) Confer, humane lector, quidquid per nos notatum fuit in quaestionibus huic consimilibus, iamque relatis Vol. IX, pag. 116, 281, 604, et Append. 3, pag. 614. Videsis etiam *vol. cit.* Senogallien. *Iurium paroch. et praeem. 17 Novemb. 1753*, relatam in nota pag. 294, et Vol. XI, p. 75. Ex relatis et ex dictis erues, quod S. C. Congregatio velit in praxi omnino inhaerere sanctioni Trident. Sess. 24, cap. 13, huius tenoris: « Mandat sancta » Synodus Episcopis, pro tutiori animarum » eis commissarum salute, ut distincto po» pulo in certas, propriasque parochias, » unicuique suum perpetuum, peculiarem» que Parochum assignent, qui eas cogno» scere valeat, et a quo solo licite sacra» menta suscipiant..... » Quamobrem eadem s. Congregatio, quoties occasio porrigatur ceu in casu, resolvit unum esse pastorem, a quo omnes Christifideles Paroeciae Sacramenta recipiant. Quando enim Paroecia a pluribus regitur in solidum, ostium ut plurimum scandalis et iurgiis disseritur, quae Patres Tridentini, tristi experientiâ edocti, proiicienda ab Ecclesia Dei constituerunt.

dividi non posse in plures presbyteros, sed unum tantum ipsa habebit sacerdotem, qui eam caste et sincere regat.

III. Naturale vitium esse quod negligatur aut minus sollerter administretur, id quod in commune possidetur.

IV. Paroeciam, ex nonnullis auctoribus, sic dici quasi a partitione curae; quia rector Ecclesiae curam habet animarum totius populi, intra limites illos congregati (1).

V. Quamquam S. C. C. omnino curet inhaerere Tridentinae sanctioni, qua innuitur cuique populo suum peculiaremque assignandum esse pastorem; haud renuit tamen pastorum pluralitati, quatenus ex privilegio apostolico existat aut ex lege fundationis.

VI. In themate nullimode probatum fuisse, *iure* existere pluralitatem pastorum; ita ut dici posse videatur, Vicarios parochialem adhuc exercuisse iurisdictionem aut ex tacito Archipresbyteri consensu, aut ex consuetudine paullatim inolita, dum rerum adiuncta praesumere faciant, quod ex Apostolico beneplacito unicus pastor assignatus illi ecclesiae fuerit, ab auctoritate civili.

(1) Quum Christifideles valde augerentur, singulae ecclesiae, singulis sacerdotibus assignatae fuere, et sic Paroeciae originem habuerunt. Et sacerdos seu rector Ecclesiae curam habuit animarum totius populi, intra illos limites congregati. Institutio et distinctio Paroeciarum a Fagnano in *Cap. Pastoralis de iis quae fiunt a Praelat. n. 2*, Evaristo Papae saeculo IV tribuitur; quum alii id tribuant Pontifici Dionisio saeculo II.

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

IURIUM PAROCHIALIUM

Die 5 Septembris 1879

Compendium facti. Fertur Ecclesiam, cui titulus *Mons mortuorum*, anno 1530 aedificatam fuisse in Pago R. et in ea primo paroeciam extitisse. Cum tamen processu temporis, actualis Ecclesia Matrix loci eiusdem extrueretur, in nova haec Ecclesia paroecia translata fuit; aliaque ex Monte mortuorum appellata, diu deserta, ac pene diruta mansit. Anno autem 1706 Confraternitas mortuorum canonice erecta fuit in dicta vetusta ecclesia; quae ad novum decus, pietate fratrum, evecta et nova parte aucta fuit. Altaria quoque chorum, suggestum, organum, campanas, et turrim sacram, sacraque suppellectilia confratres, proprio aere suppeditarunt.

Quum fidelium numerus valde augeretur, Ordinarius populum in tres paroecias dispertire ratus, petiit a pio Sodalitio an una ex tribus paroeciis erigi posset in eorum Ecclesia. Voluntati Episcopi confratres morem gerentes, antiquam Ecclesiae partem Parocho tribuerunt, sibi novâ reservatâ.

Res placidae usque ad annum 1878 inter parochum et sodalitium ita processerunt, ut saepe Parochus ipse *pro tempore* Directoris spiritualis munere fungeretur apud Confraternitatem.

Post id temporis lites et iurgia exarserunt Sodales inter et Parochum qui asseruit 1. sibi Ecclesiam creditam fuisse; ideoque plenum exercere ius posse in ea et in rebus omnibus inibi existentibus. 2. Sodalitium peragere haud posse religiosas functiones, neque Directorem spiritualem celebrare valere funera-

lia, Missas solemnes, processiones, expositiones SSmi Sacramenti et benedictionem impertire in populum, absque sui praesentiâ, quia iura laederentur parochialia.

Disceptatio Synoptica.

IURA CONFRATRUM. Autumant confratres dominium Ecclesiae sibi competere; idque evinci per documenta numero 29; similique modo constare Confraternitatis impensis extructam fuisse sinistram Ecclesiae partem cum omnibus accessoriis nempe choro, sacra turri cum campanis, organo, suggestu et sacris suppellectilibus. Neque dicere iuvat traditam fuisse Parocho ecclesiae aliarumque rerum possessionem quum de Parochia investiretur, aut parochialis muneris possessionem adeptum esse super obiecta a Sodalibus commodata, suetis iuris canonici formulis; dum ad materialem capiendam possessionem mobilium et immobilium attendi debent dispositiones civilis codicis. Adiiciendum quoque est temporaneum fuisse usum Parocho concessum super utensilia; quinimo claves Ecclesiae, Organi, suggestus sacrae turris et pluteorum semper apud spiritualem directorem permanserunt, ad innuendum dominium Sodalitii.

Quinimo observantia in contradictorio iudicio quoque adest, quia Confraternitas proprio iuri confisa claves dare renuit, cum adigeretur per civilem auctoritatem.

Ius autem peragendi funera aliasque sacras functiones, Missas cum cantu, processiones expositionis SSmi Sacramenti, absque Parochi interventu, enasci ex statutis Sodalitii per Curiam approbatis, et ex consuetudine plusquam saeculari, iuxta actum erectionis.

Parochi ius semper revereri curavit Sodalitium quoad cadaverum associationem; attamen tolli nequit Confraternitati ius peragendi exequias suorum confratrum atque benefactorum iuxta regulas Statutorum suorum. Autumant etiam quod privilegium praedictas conficiendi functiones, ab Ordinario Dioecesis concessum fuit, in erectione Confraternitatis; huic concessioni accedere praxim et observantiam ab initio absque interruptione. Ast fun-

ctiones sacrae ab Episcopis permissae praepediri nequeunt a Parochis; quia Episcopus est Parochus parochorum ex Bened. XIV de Synod. Dioec.

Neque omnium aetatum parochos umquam praepedire huiusmodi functiones quaesivisse, documentis Confratres evincere satagunt. Ceu constare etiam videtur Parochos ab anno 1774 solam celebravisse Missam in Coena Domini, dum aliae functiones omnes peractae fuerunt a Sodalitii Capellanis.

Quapropter his de rationum momentis censent Confratres, oportere Parochum subiacere decisionibus s. Rituum Congregationis anni 1704; quoniam Sodalitii Ecclesia haud dependet a Paroecia, et propriam habet portam, quae semper aperta manet in fidelium commodum. Favore Sodalitii iuspatronatus certum esse videri, cum *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus*... Et *Reiffenst. lib. 3 dec. tit. 38 de Iurepatr. n. 8* habet: *Sub aedificatione comprehenditur etiam reaedificatio Ecclesiae penitus destructae, in quo casu primus aedificans amittit, et reaedificans acquirit iuspatronatus; Fagnan. in cit. cap. n. 58, Pirhing cit. cap. n. 8.* » (1)

Iura Parochi. Praemonuit Parochus haud agi in themate de materiali Ecclesiae proprietate, sed de parochialibus iuribus, quae a Capellanis Sodalitii laesa fuerunt. Insuper animadvertit, Ecclesiam nullimode pertinere posse ad Sodalitium; nam si Ecclesia illa, quae iam paroecialis erat, pietate fidelium aucta ex parte fuit, commodum istud cedere nequit nisi favore Paroeciae. Siquidem in ea, quamvis ex parte aucta semper explevere Parochi proprias functiones et parochialia iura. Ambigi enim nequit, ait Orator, parochos in officio pastorali vices Episcopi implere in propria Ecclesia *Trid. Sess. 24 de ref. c. 13,*

(1) Ad rem quoque Fargna demonstrat *Comm. ad sing. can. p. 1 cas. 2.* quod non ab incipiente, sed a perficiente construere ecclesiam, acquiritur iuspatronatus « ibi » « Titius incoepit aedificare Ecclesiam et opus reliquit, Caius » autem illam perfecit, hoc patiente » Titio, quaeritur quis eorum acquirat » iuspatronatus? Respondeo: Caium acquirere Iuspatronatus, quia istud acquiritur ex constructione Ecclesiae, » quae constructa dici non potest, dum » aliquid superest construendum. Unde » non incipienti, sed perficienti construere Ecclesiam, acquiritur iuspatronatus. »

Ricci *Prax. for. tom. 1. part. 4,* Barbosa *de offic. et potest. Parochi part. 1. cap. 12 per totum.*

Hinc arguit, neminem, absque Parochi assensu, functiones aliquas posse explere in illorum Ecclesiis. Certum siquidem esse iura parochialia sarta tectaque manere debere, neque ullimode laedi a Sodalitio intra limites Paroeciae erecto, ex Clementis VIII Bulla *Quaecumque die 6 Decemb. 1604;* a qua disponitur, Sodalitii erectionem conficiendam esse ab Ordinario; *cuius est constitutiones approbare, ut non sint in praeiudicium iurium parochialium.* Huic concinit dispositioni S. C. Ep. et Reg. in *Caietana Dec. 1631* « In erectione Confraternitatum, vel » novarum Ecclesiarum debet semper apponi clausula, sine prae- » iudicio iurium parochialium, quia iura parochi semper illaesa » servanda sunt. » Quapropter in Synodo Novarien. decretum fuit: « sine Episcopi facultate nullus Sacerdos, Capellani munus » assumat apud quamcumque Confraternitatem, semel autem » ac legitime electus, ne benedictiones aliasque functiones » Parochiales exerceat sine Parochi licentia. »

Neque despiciendum esse, ait Parochus, decretum s. Rituum Congregationis 10 Dec. 1703, (1), quo praecipitur Confraternitates laicales, legitime erectas in Ecclesiis paroecialibus dependentiam habere debere a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus; ceu sunt, ait ille, Missae cantatae pro vivis. Ideo cum exquireretur a S. R. C. « An Con- » fraternitates laicorum legitime erectae in Ecclesiis parochia- » libus, habeant dependentiam a parocho in explendis functionibus » ecclesiasticis non parochialibus: » Responsum fuit: *Affirmative.*

Quae dispositio maiorem exerit vim in themate, quia Sodalitium titulo erectionis caret.

Quoad mortuorum exequias ius exclusive ad parochum pertinere ait, confirmavitque auctoritate Cardinalis *De Luca Disc. 22 de Paroch.* « *Cum inter iura parochialia praecipuum sit illud*

(1) Decretum huiusmodi, in quo 33 resolvuntur quaestiones quoad Iura parochialia, functiones et praeeminentias inter parochos et Confraternitates Laicorum, earumque capellanos, prostat Volumine I p. 591 harum ephemeridum.

funerandi et sepeliendi. » Quod ius, ita esse Parochi proprium, ut illud exercere valeat in Ecclesia aut Oratorio suae paroeciae ubi sepultura electa fuerit ceu exercet in propria Ecclesia. Idque deducit ex responso ad 20 dubium citati decreti. Cui responso adiici quoque potest resolutio S. C. C. die *28 Iulii 1724.* Nam S. C. C. dubio « An liceat Confratribus salutis sepelire » in propria ecclesia cadavera confratrum et consororum, qui » ibidem elegerint sepulturam, et an eiusdem Capellanus, » absente Parocho, valeat officium aliasque functiones super » iisdem cadaveribus explere, » respondit: *Affirmative quoad primam partem; quoad secundam negative, nisi Parochus vocatus renuat, vel alium sacerdotem non substituat.* »

Autumat tandem Parochus sibi competere emolumenta propria in exequiis confratrum: eoquod fundus ad hoc existat apud Sodalitium; idque confirmat auctoritate Cardinalis De Luca. Tandem animadvertendum quoque est, quod si Ecclesia *Montis mortuorum* ad Sodalitium pertineat, hoc etiam in casu salvae remanere debent functiones, quae privative ad Parochum pertinent. (1) Quod si Sodalitium absque iurepatronatus in Ecclesia illa existeret, tum Parochus implere posset etiam functiones non parochiales iuxta responsum ad primum dubium *cit. decreti Dec. 1703 S. C. R.*

Hisce aliisque praenotatis, ea quae sequuntur dirimenda proposita fuere

(1) Monacell. *formul. legal. pract. t. 10 for. 18 n. 4.* enumerat functiones privativae parochi: « ibi » « Verum hodie » functiones privativae, quae ad Parochos spectant, et quae in viridi observantia sunt ad pauca reducuntur, nempe *primo* ad delationem stolae in processionibus funeralibus: *secundo* ad » benedictionem domorum in Sabbato sancto: *tertio* ad perceptionem decimarum » *cap. contingat de decim.* *quarto* ad » administrationem sacramenti Eucharistiae tempore Paschali *c. omnis utrius-* » *que sexus* de Poenitent. et *remiss.* et » tempore infirmitatis etiam Canonicis » Ecclesiae Cathedralis s. C. C. in Narnien. 26 Septem 1669: *quinto* ad retentionem clavis tabernaculi, et rerum » quae pertinent ad sacramenta *cap. 1.* » *de custod. Eucharist.*: *sexto* ad benedictionem sponsorum et cadaverum defunctorum antequam e domo leventur: » *septimo* ad publicationem Matrimoniorum, excomunicationum et Indulgentiarum s. C. Ep. et Reg. in Firmana » 3 Iulii 1615 in resp. ad 8. »

Dubia.

I. *An et quomodo Ecclesia Montis Mortuorum ad Confraternitatem pertineat in casu.*

II. *An et quae iura et emolumenta competant Parocho in casu.*

III. *An et quomodo, exceptis functionibus parochialibus, Confraternitas dependens sit a Parocho in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Ep. et Reg. sub die 5 Septembris 1879, re cognita, sequentia dabat responsa:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative; et Parocho competere tantum ius ducendi funus e domo defuncti ad Ecclesiam, si agatur de confratribus et ad emolumenta respectiva; salvo iure eidem parocho plenius funerandi quoad exteros sibi subiectos.*

Ad III. *Negative.*

EX QUIBUS COLLIGES:

I. Sub nomine aedificationis comprehendi etiam Ecclesiae reaedificationem ad iuspatronatus acquirendum; hinc dum primus aedificans amittit, reaedificans ius huiusmodi consequitur.

II. Proinde in themate rite pertinere iuspatronatus Ecclesiae *Montis mortuorum* ad pium Sodalitium; eoquod ab eodem Ecclesia illa, ex parte, reaedificata, ad novum decus excitata et sacris supellectilibus aucta fuerit.

III. Funera, exequias et Missas cum cantu pro Confratribus in Confraternitatum Ecclesiis expleri debere a Capellanis earumdem, neque parochi praesentiam ullimode requiri.

IV. Hinc, in themate, tantum indultum fuisse Parocho, ut quoad Confratres defunctos ducere possit funus (quod est functio parochialis) de domo eorumdem confratrum usque ad Sodalitii Ecclesiam, et respectiva percipere emolumenta.

V. Parochos plenius funerari posse super fidelibus sibi subiectis, eligentibus Ecclesias Confraternitatum pro suis funeribus aut sepultura, quam cum earumdem Ecclesiarum confratribus.

VI. Confraternitates in Oratoriis publicis, ab Ecclesiis parochialibus seiunctis erectas, nullam habere dependentiam a Parocho quoad functiones, quae non sint parochiales (1).

VII. Hinc neque Parochos (nisi ex iure speciali, privilegio, aut immemorabili consuetudine) ratione sui officii iurisdictione pollent peragendi functiones non parochiales in Oratoriis Sodalitiorum, quamvis intra limites suarum paroeciarum extructis.

(1) Confer, ut alias innuimus Vol. 1 pag. 591 har. eph. quo loco habes Decretum Urbis et Orbis s. R. C. quoad functiones parochiales et praeeminentias inter parochos et capellanos Confraternitatum laicalium.

SENEN. ET COLLEN. IURISDICTIONIS (1).

Die 23 Ianuarii 1880.

Compendium facti. Decreto diei 15 Septembris 1559 Cardinalis Tarugi Archiepiscopus Senensis, in Vicariatum perpetuum erexit Plebaniam limitropham Oratorio e Trecciano, s. Michaeli dicato. Atque inter alia onera novo Vicario imposuit ut « *teneatur omnibus tertiis feriis celebrare Missam in Ecclesia Trecciani dicto Archiepiscopatui adnexa.* »

Praenotandum venit quod onus incumbit Antistitibus senensibus, etiam nunc utensilibus et Fabricae huius oratorii consulendi; quoniam declaratur Ecclesia Archiepiscopatui adnexa.

Quum Collensis ecclesia ad Sedem episcopalem erigi vellet, Oratorium praedictum ab Archidioecesi Senensi dismembratum, una cum aliis quamplurimis ecclesiis, intra limites novae Dioecesis erigendae cooptatum fuit.

Attamen Plebania, seu Vicariatus nuper erectus, intra limites Archidioecesis cooptatus permansit. Praedictum decretum censetur titulus fundationis originarius quoad onus Missarum,

(1) Confer. Vol. IX pag. 407 in quo alia quaestio de iurisdictione territoriali relata est.

nullo alio existente. Praesens Archiepiscopus Senensis rogatus, de more, censuit ius et auctoritatem invigilandi onerum satisfactionem sibi competere. Autumat enim, Archiepiscopos Senenses huiusmodi iure usos fuisse a remotissimis usque temporibus. Contrariam patefecit sententiam Antistes Collensis, eoquod huiusmodi oratorium situm reperiatur intra limites suae Dioecesis. Tamen unanimi conseusu duo Antistites s. Congregationi Ep. et Reg. quaestionem enodandam detulerunt.

Disceptatio Synoptica.

Ea quae Episcopo Collensi favent. Animadversum fuit quod *ratione rei sitae* haud dubitari potest, iurisdictionem super Oratorium *Trecciani* pertinere ad Ordinarium Collensem. Et quamvis Archiepiscopi Senenses hanc exercuerint iurisdictionem uti propriam, non defuerunt tamen interdum protestationes nonnullorum Episcoporum collensium, quum sciverint haud adimpleri onus Missarum in praefato Oratorio. Nec obest quod unus ex istis Episcopis nuncium miserit quaestioni, et quod pene agnoverit iurisdictionem Archiepiscopi Senensis super Oratorio de quo lis est. Nam ut iurisdictio etiam quoad partem territorii commissi auferri queat, beneplacito apostolico opus est. Quod in casu haud interfuit.

Praeterea apud Canonistas minime controvertitur quod Episcopus plenâ utatur iurisdictione super omnes Ecclesias, Oratoria, et Cappellas existentes intra limites territorii, sibi a R. Pontefice concrediti; De Luca *de iurisd. Disc. 1. n. 18.* ait: « Resultat de consequenti fundatam esse Archiepiscopi in» tentionem super lege dioecesana, et iurisdictione spirituali » in omnes ecclesias et personas tam de clero, quam de po» pulo in eius Dioecesi existente, donec per allegantem limi» tationem, seu exemptionem illa probetur, ut cum copiosis » allegationibus comprobatur quoniam Episcopus est Pastor, » curam ac iurisdictionem generalem habens super ovibus de» pascentibus in territorio sibi commisso, quare onus est Prae» lati inferioris probare limitationem, qua non probata rema-

» net fundata intentio habentis pro se regulam generalem, » Mantica *Dec. 25. n. 4. etc.* » Et Barbosa ita se habet *Assiom. 198.* « Regulae in dubio inhaerendum est, donec con- » trarium sive exceptio probetur *leg. ab ea parte ff. de pro-* » *bat. l. illud Cod. sacros. Eccles. l. ultima Cod. de haered.* » *inst. etc.* Et ideo qui habet regulam pro se, habet inten- » tionem fundatam, ac proinde transfert onus probandi in eum » qui se fundat in exceptione *cap. ad decimas, et ibi glossa* » *de restit. spoliator. lib. 6.* Iason *in lege coetera n. 4. ff.* » *de legat. 1.;* ubi quod pronuntiandum est pro regula, » quando casus exceptuatus a regula non probatur, Ancaran. » cons. 223 *Ad evidentiam* in fine ubi ait, quod qui habet » regulam pro se, potest dicere alleganti limitationem, da mihi » textum hoc dicentem, Geminian. *cons. 103, Fulgos. cons. 182,* » *Mascard. de probat. concl. 1261, Card. Tusch. prael. concl. 6.* » *tit. R. etc.* »

Hisce in theoria perpensis, ad summum concedi posset Archiepiscopo Senensi ius invigilandi Missarum adimplementum; ceu patronis tribuitur ius cognoscendi an onera adimpleta fuerint, antequam debitam solvant pecuniae vim. Ast ius huiusmodi multum differt a iurisdictione capessenda in alieno territorio, ubi *locus regit actum.* Ideoque tolerantia, aut concessio quoad hoc ampliorem habere nequit interpretationem: eo quod « *quae exorbitant a iure non debent protrahi ad conse-* » *quentias ff. regul. Iuris 141.* » Strictamque quoad iurisdictionem territorialem, sequuta est interpretationem s. C. Concilii in *Caputaquen. Iurisdictionis,* etsi « *valde dubium fuerit* » *utrum loca controversa sub Caputaquensis Ordinarii iurisdi-* » *ctione continerentur.* » Et in *Balneoregen. Iurisdictionis* 16 Septem. 1871.

Ea quae favent Archiepiscopo Senensi. Verumtamen pro Senensi Antistite nemo non videt adesse trium saeculorum et ultra, observantiam. Ita ut videri non possit haud a iure canonico exorbitare quod Archipraesul iste per saecularem observantiam extendat suam iurisdictionem supra Ecclesiam in aliena Dioecesi positam. Scitum est enim quod ista ratione, eamdem

acquirere posset iurisdictionem etiam Praelatus inferior, De Luca *disc. 20 n. 13 de iurisd.* « Etiam in casibus, in quibus pro » certo obstet regula impediens exercere iurisdictionem in alieno » territorio, adhuc illa limitationem recipit ex contraria legitima » consuetudine, seu praesumptione, per quam iurisdictio in alieno » territorio acquiri potest Abbas, Felin. Alexander de Nevo ac » caeteri Canonistae, ac etiam Fagnanus *in cap. cum olim de* » *praescript.* »

In themate, saltem quoad pii legati adimplementum, bis saecularis prostat observantia pro evincenda iurisdictione Archiepiscopi. Ast iuxta De Luca « Centenaria est ille melior titulus de » mundo: quo mediante omnia praescribuntur, omnia mutantur. » Et s. Rota *cor. Martinez in Praenestina 24 Martii 1818 n. 3.* « Qui possessione utitur centenaria is certe quocumque melior. » ac potentiori titulo, iureque suffultus est, vis pactum, vis pri- » vilegium? cuncta haec et si quid aliud exoptas ex possessione » centenaria sunt praesumenda. »

Nec obstant duo vel tres protestationes variis temporibus ab Episcopis Collensibus emissae; eoquod ad invalidandam praecedentem consuetudinem aut praescriptionem, alia requiritur praescriptio, aut consuetudo saltem *longi temporis, Fagnan. Lib. 2 Decr. cap. 15 leg. Nemo alieno § Temporalia.* « Praescriptio » vel consuetudo completa non tollitur, si semel aut bis fiat con- » trarium, sed requiritur contraria praescriptio vel consue- » tudo. »

Quibus praenotatis sequens dirimendum propositum fuit

Dubium

An, et quomodo Archiepiscopo Senensi iurisdictio competat super Ecclesia s. Michaelis, posita in territorio Collensi in casu?

Resolutio. Sacra C. Ep. et Reg. sub die 23 Ianuari re discussa respondere censuit:

Affirmative quoad ius tantummodo invigilandi adimplementum onerum Missarum, de quibus in casu.

Ex quibus colliges:

I. Quemlibet Ordinarium (quum sit pastor ovium suarum) plenâ ex iure gaudere spirituali iurisdictione, super omnes ecclesias extructas, et super personas morantes intra fines Dioecesis a R. Pontifice sibi concreditae.

II. Ideoque huiusmodi iurisdictionem Antistitis cuiuslibet, habentis fundatam in iure intentionem et generalem regulam in sui favorem, integram permanere, donec allegans limitationem aut exemptionem perlucidis probaverit argumentis.

III. In dubio an exemptio extet, regulae generali semper inhaerendum esse, donec exceptio probetur ab eo qui exemptionem allegat.

IV. Attamen regulam generalem prohibentem exercitium iurisdictionis in alieno territorio, limitationem accipere per contrariam legitimam consuetudinem, qua fieri potest ut Praelatus iurisdictionem exercere valeat in aliena Dioecesi.

V. Habentem pro se centenariam observantiam, potiorem de mundo titulum possidere; quo mediante, omnia mutantur atque praescribuntur, etiam aliena iurisdictio.

VI. In themate observantiam invigilandi onerum satisfactionem super Oratorio in Dioecesi Collensi posito, favore Archiepiscopi Senensis, ultra centenariam fuisse, ceu patet ex antiquis adductis documentis.



EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria II die 21 Iunii 1880.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 21 Iunii 1880, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.

Alexandre Dumas Fils. - La question du divorce. Paris, Calmann Levy éditeur, 1880.

Maria al cuore dell' italiano. - Manifestazioni di un eremita dell' Appennino, per servire di seguito alle Glorie di Maria, scritte da Alfonso Liguori. Firenze, Tip. di G. Barbera, 1880.

Opus praedamnatum ex Reg. II. Ind. Trid.

Auctor Operis cui titulus: Callet Aug. L' Enfer. Paris, 1861, prohib. decr. 6 Iunii 1862, *laudabiliter se subiecit, et opus reprobavit.*

Auctor Opusculorum quorum titulus: Earle Carolus Ioannes B. A. The spiritual Body. - *Latine:* Corpus spirituale. The Forty Days. - *Latine:* Quadraginta dies. Londini, 1876, prohib. decr. 8 Aprilis 1878, *laudabiliter se subiecit et Opuscula reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 22 Iunii 1880.

FR. THOMAS M. CARD. MARTINELLI *Praefectus.*

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli

Die 25 Iunii 1880 ego infrascriptus Cursor testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia, Curs. Apost.

APPENDIX I.

PLERAQUE REFERUNTUR DECRETA SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS EX APPENDICE IV (COLLECTIONI GARDELLINIANAE ADIICIENDA) DEPROMPTA.

BLESEN.

Rm̃us hodiernus Episcopus Blosen. Indultum obtinuit a s. Rituum Congregatione pro facultate subdelegandi suos Vicarios Generales, Ecclesiarum Rectores etc. ad Benedictionem sacrae illius Supellectilis in qua sacra unctio non adhibetur.

Quum vero nulla inveniatur formula pro Benedictione Indumenti sacerdotalis aut levitici praeter eam, quae reperitur in Pontificali, et ideo Episcopis videtur reservata; Sacerdotes subdelegati recurrere debent ad Benedictionem pro Indumentis sacerdotalibus in genere Missali additam. Isthaec autem benedictio in omnibus circumstantiis non apparet omnino consentanea ex. gr. pro benedictione Cinguli.

Unde praedictus Rm̃us Orator humillime a s. Rituum Congregatione postulavit, ut Sacerdotes ab ipsomet subdelegati uti valeant formula a Pontificali data pro benedictione cuiuslibet indumenti, quae insuper est formula minus solemnis.

Sacra vero Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae ab infrascripto Secretario facta, rescribere rata est: Sacerdotes subdelegati utantur benedictione quae legitur in Rituali Romano. Atque ita rescripsit, et servari mandavit die 16 Martii 1876.

SANCTI GERMANI

Hodiernus Caeremoniarum Magister Ecclesiae Cathedralis sancti Germani de Rimouscki humiliter a Sacra Rituum Congregatione insequentium Dubiorum solutionem expostulavit, nimirum:

Dubium. I. An debeat Clerus se inclinare ad verba *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth* hymni *Te Deum*, nec non in benedictione Palmarum iuxta morem, qui praevalet in quibusdam locis, uti praescribitur ad Missam?

Dubium II. An debeat pariter inclinare caput ad doxologiam *Patrem immensae maiestatis* quae occurrit in eodem hymno *Te Deum?*

Dubium III. An se signare debeat Clerus ad verba *Benedictus, qui venit in nomine Domini* in dicta benedictione Palmarum, sicut et in Missa?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris rescribere rata est: Servetur Rubrica Missalis et Breviarii Romani. Atque ita rescripsit die 16 Martii 1876.

PATAVINA

Rm̃e Dñe uti Frater,

Amplitudo Tua exposuit se ex Indulto sacrae Rituum Congregationis diei 29 Iulii anni 1875 in Cathedrali Ecclesia de consensu Capituli octo Canonicos Honorarios nominasse cum privilegiis et honorificentiis quibus fruuntur Protonotarii Apostolici ad instar iuxta Constitutionem Apostolicam *Apostolicae Sedis Officium* die 29 Augusti 1872.

Verum cum praedicti Canonici Honorarii a Titularibus forsan requirentur, ut loco ipsorum Missam decantent, quumque Honorarii hoc in casu uti nequeant, iuxta praelaudatam Constitutionem Palmatoria et Canone, quibus quidem privilegiis sese ornatos Canonicos Titulares existimant, hinc est quod amplitudo Tua a Ssm̃o Dño Nostro humiliter postulavit, ob decorem sacrarum functionum, ut praedicti Canonici Honorarii in Cathedrali tantum Palmatoriam et Canonem, ac in cantu Vesperarum Palmatoriam valeant adhibere.

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae per infrascriptum Secretarium facta, rescribendum censuit Amplitudini Tuae: Canonicos Honorarios esse aequiparandos Canonicis Titularibus quoad usum Insignium cum sacris funguntur ministeriis in Choro Cathedralis: omnes tamen moneantur, ut servent praescripta in Constitutione recenter edita de privilegiis Protonotariorum.

Romae die 16 Martii 1876.

Rm̃o Domino uti Fratri Episcopo Patavino.

OLINDEN.

Sacerdos Antonius Franciscus Dioecesis Olinden. in Brasilia a sacra Rituum Congregatione insequentium Dubiorum solutionem humillime imploravit, nimirum:

Dubium I. Estne toleranda praxis extrahendi e tabernaculo sacram Pyxidem, eamque velatam sub umbella collocandi populo benedicendi gratia?

Dubium II. In Ecclesiis in quibus de Ordinarii licentia Ssm̃um Sacramentum asservatur, et in quibus populo benedictio cum sacra Pyxide impertitur festis diebus, potest ne in iisdem populus benedici cum Ssm̃o Sacramento in Ostensorio posito in Festis saltem principalioribus, quin ab Ordinario requiratur facultas?

Sacra vero eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, propositis Dubiis respondendum censuit:

Ad 1. Detur Instructio edita a s. m. Benedicto Pp. XIV, hoc est: Eucharistiae tabernaculum solum aperiatur, et sacra Pyxis clausa suoque velamine obtecta populi oculis obiiciatur... Verum penitus interdicitur sacram Pyxidem... extra Tabernaculum efferri, ac velatam sub umbella collocari, cum nullum huius ritus vestigium apud scriptores, nullaque Sedis Apostolicae consuetudo deprehendatur quam sequi omnino debemus.

Ad 2. Detur resolutio in Ari-

minen. diei 11 Septembris 1847, nempe quaesitum fuit: Num servanda sit immemorabilis consuetudo dimittendi Populum fidelem cum Benedictione Ssmi Sacramenti in sacra Pyxide occlusi, ac in Festis cum Ostensorio? et responsum fuit: Ad mentem: et mens est ut quoties nil inconveniens deprehendat Rmus Ordinarius, permittat continuationem eiusdem consuetudinis. Atque ita rescripsit die 16 Martii 1876 (1).

ORIOLEN.

Rmus D. Episcopus Oriolen. a sacra Rituum Congregatione humiliter postulavit pro Congregatione in Civitate Alonensi sub vulgari instituta *de la Guardia y Oracion a SSmo Sacramento* insequentia privilegia, nimirum:

1. Quod congregati tempore Missae solemnis et Vesperarum thurificari possint post Magistratus aliosque Dignitarios.

2. Quod congregati in Processionibus cum Ssmo Sacramento deferre valeant intorticia hinc inde a lateribus Baldacchini.

3. Quod inserviens indutus rubra veste nuncupata *gramaglia,* manuque clavam gestans vulgo *Mazza* comitari possit Congregatos absoluto servitio precum per turnum ante Ssmum Sacramentum causa indicandi stationes, et genuflexiones.

Sacra vero Rituum Congregatio, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescripsit:

Ad I. Negative.

Ad II. Permitti potest ut sex vel octo e Congregatis cum intorticiis accensis incedant e lateribus Baldacchini, sub quo Ssmum Sacramentum defertur: reliqui vero ipsum Ssmum Sacramentum sequantur.

Ad III. Affirmative.

Atque ita rescripsit et indulsit die 28 Martii 1876.

BONEAREN.

R. D. Antonius Espinosa Secretarius Archiepiscopalis Curiae *de Buenos Ayres* in America Meridionali a sacra Rituum Congregatione humiliter sequentis Dubii solutionem exquisivit, nimirum:

Cum SSmo D. N. Pio Papae IX placuerit sanctum Iosephum Patronum Universalis Ecclesiae declarare, an detegi posse vel debeat eius Imago quando eius Festum occurrit in hebdomada Passionis?

Sacra vero eadem Congregatio, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: Negative iuxta Decretum in una Ianuen. diei 16 Novembris 1649. ad III. Atque ita rescripsit, et servari mandavit die 3 Aprilis 1876.

MISSIONARIORUM OBLATORUM IMMACUL. CONCEPTIONIS B. MARIAE VIRGINIS

Sacerdos Ioseph Fabre Superior Generalis Missionariorum Oblatorum Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis a sacra Rituum Congregatione humillime insequen-

(1) Decretum quod sequitur in coll. Gardel. habes vol. VIII. pag. 425.

tium Dubiorum solutionem expetiit, nimirum:

Dubium I. In Ecclesiis Parochialibus, quibus Missionarii Oblati deserviunt per unum ex suis, possunt ne dicti Missionarii publicis in Officiis suum sequi Kalendarium rite approbatum?

Dubium II. Quatenus affirmative, an possint suum Kalendarium rite approbatum imponere Sacerdotibus qui in dictis Ecclesiis celebrare postulant?

Dubium III. Quatenus affirmative (generaliter loquendo) an idem possint in speciali casu, quo ab Ordinariis praepositi fuissent quibusdam celebrioribus Sanctuariis, ad quae frequenter conveniunt fidelium et Sacerdotum concursus, et quae sint loca quasi in omni Dioecesi Clero communia, sive sint Parochiales Ecclesiae sive non?

Dubium IV. An Religiosorum communitas Ecclesiae publicae cuidam addicta, teneatur ad officium Patroni Titularis huius Ecclesiae, et per totam Octavam?

Dubium V. An pariter teneatur officium Patroni Dioeceseos, et per totam Octavam?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. et III. Provisum in Primo.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 7 Aprilis 1876.

CAPUANA

Hodiernus Kalendarista Metropolitanae Ecclesiae Capuanae, de licentia sui R̃mi Archiepiscopi, sequentia Dubia sacrae Rituum Congregationi enucleanda proposuit, nimirum:

Dubium I. Vigore decreti S. R. C. dati pro utriusque Siciliae Regno XI Kalendas Novembris 1850, statutum fuit in pervigilio Festae Immaculatae Conceptionis B. Mariae V. addi posse Vigiliae commemoratione tam in Officio, quam in Missa, addita etiam IX Lectione de Vigilia in Matutino Officii currentis, desumpta ex una dierum infra Octavam de qua eo anno recitari nequeat Officium, et cum Oratione de Vigilia Assumptionis eiusdem. Cum vero iuxta Litteras in forma Brevis diei 25 Septembris 1863 SS. D. N. Pius Papa IX novum Officium de eadem Immaculata Conceptione concesserit, de Missa Vigiliae in iisdem Litteris tantummodo fit mentio pro iis locis ubi est concessa, hinc quaeritur:

1. An recitatio nonae Lectionis Vigiliae Conceptionis, eiusque commemoratio ad Laudes continuari possit iuxta Decretum praedictum anni 1850 vel omitti debeat? Et quatenus affirmative ad primam partem, quaeritur:

2. An pro commemoratione Vigiliae ad Laudes recitanda sit Oratio de Vigilia Assumptionis vel de Missa anno 1868 concessa?

Dubium II. In Metropolitana Ec-

clesia Capuana adsunt duo Caeremoniarii Mansionarii, qui in obeundo alternis vicibus Caeremoniarii Officio utuntur consueto habito chorali, nempe Cappa hyemali tempore pellibus suboscuri coloris, et aestivo serico violaceo obducta, instar aliorum Mansionariorum iisdem Cappis utentium. Sed cum in Caeremoniali Episcoporum Cap. V. n. 4 diserte edicitur eorum habitum esse debere vestem inferiorem coloris violacei, et desuper cottam mundam, hinc quaeritur:

1. An tolerari possit Caeremoniarios praedictos Cappa praedicta indutos officio Caeremoniarii fungi in Ecclesiasticis functionibus, vel potius induere debere ipsos habitum iuxta Caeremoniale?

Et quatenus affirmative ad secundam partem, quaeritur:

2. An iidem Caeremoniarii sine habitu Chorali ministrantes gaudeant distributionibus quotidianis suorum beneficiorum iuxta Decretum sacrae Congregationis Concilii diei 27 Iulii 1839 in Pisana?

Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa et considerata, propositis Dubiis rescribere rata est:

Ad 1. Ad primam, et secundam quaestionem servetur Rubrica ut in Vigilia s. Thomae Apostoli, scilicet in Officio nihil de Vigilia; Missa vero sumenda est illa, quae pro eadem Vigilia approbata fuit die 25 Septembris 1863.

Ad II. Ad primam quaestionem, servetur dispositio Caeremonialis Episcoporum iuxta Decreta.

Ad secundam quaestionem affirmative iuxta Decretum s. Congregationis Concilii diei 27 Iulii 1839 in Pisana ad VIII.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit die 10 Aprilis 1876.

SEBENICEN.

Rm̃us D. Antonius Carminati, dum adhuc Vicarii Capitularis Dioeceseos Sebenicen. munere fungebatur ad evitandam varietatem opinionum inter membra Rm̃i Capituli a sacra Rituum Congregatione humiliter insequentium Dubiorum solutionem postulavit, nimirum:

Dubium I. An in Functionibus funeribus celebrans accedendo ad altare, et dum redit in sacristiam reverentiam facere debeat Choro?

II. An quando celebrans genuflectit ad *Incarnatus est,* et ad *Verbum caro factum est* in ultimo Evangelio, Clerus qui tunc non sedet, debeat genuflectere?

III. An quando decantatur *Credo* in Missa solemni, quo tempore Clerus sedet, debeant adversum *Et incarnatus est* genuflectere cum Clero inferiori etiam Canonici, qui in supremo stallo sedent vel ipsi solis sedentibus debeant detegere caput, et profunde inclinare?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis rescripsit:

Ad I. et II. Affirmative.

Ad III. Servetur praescriptum in Caeremoniali Episcoporum lib. II. cap. 8.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit die 27 Maii 1876.

RUREMUNDEN.

Quum in ordinandis Festis aliisque ad sacram liturgiam spectantibus in Dioecesi Ruremundensi quaedam Dubia exorta fuerint, hodiernus Ordinis Dioecesani conscriptor de venia Rmi Episcopi, humiliter exoravit ut sacra Rituum Congregatio eadem solvere dignaretur.

Dubia autem sunt quae sequuntur, nimirum:

Dubium I. Si Festum Annuntiationis B. Mariae Virg. occurrat Feria V. in Coena Domini locorum Ordinarii curare debent, ut quaedam Missae privatae celebrentur ante Missam solemnem, quo facilius Fideles Missam audiendi praeceptum implere possint. Quaeritur num idem adhuc servandum sit in locis ubi Festum praefatum abrogatum fuit, siquidem iuxta mentem sanctae Sedis, Officium publicum in Festis abrogatis vel translatis peragendum prouti antè Festorum reductionem?

Dubium II. Ex benigna sacra Rituum Congregationis concessione quotannis in Ruremundensi Dioecesi celebratur Festum Divisionis ss. Apostolorum die 4 Iulii quaeritur:

1. Num hoc die festo etiam commemoratio facienda sit diei infra Octavam ss. Apostolorum Petri et Pauli?

2. Quisnam color adhibendus sit in festo praefato; utrum rubeus, utpote proprius Apostolorum, vel albus, quomodo fit in plurimis festis secundariis ss. Apostolorum?

Dubium III. Quum iam in Oratione *A cunctis* nomen s. Ioseph exprimendum sit de praecepto, quaeritur utrum in Missis votivis in honorem s. Ioseph celebrandis, tempore quo haec Oratio tertio loco dicenda veniet, Orationi praefatae substituenda sit Oratio *Concede*, quae primo loco ponitur inter Orationes diversas, uti alias declaratum fuit?

Dubium IV. Decreto 27 Februarii 1847 N. 5079 sacra Rituum Congregatio rescripsit Professores, nec non Seminaristas in maioribus Ordinibus constitutus teneri ad Octavam Titularis Ecclesiae Seminarii Ruremundensis, seu, ut loquitur sacra eadem Congregatio, Ecclesiae adnexae. Sed ex responso ipsius sacrae Congregationis die 21 Iulii 1855 n. 5215 dubium ortum est num Orator Ruremundensis dicendo *Seminarii Ecclesia* recto vocabulo usus fuerit. Petitur igitur licentia casum accuratius exponendi.

Est autem Ecclesia Seminarii Ruremundensis antiqua Ecclesia Monasterii Carthusianorum, saeculo praeterito exeunte suppressi, cuius etiam cetera aedificia ab alumnis occupantur. Hodie dum Ecclesia haec infra hebdomadam passim clausa manet extraneis, sed fideli populo patet diebus solemnibus ac festivis. Si igitur haec aedes sacra ex rei natura, et externa quoque aedificii amplitudine merito Ecclesia dici debeat, ex fine tamen et usu hodierno potius Oratorium publicum dicendum esse videtur, quippe quae modo non tam fidelis populi libero usui destinata videtur quam alicuius familiae, vel collegii

commoditati. Hinc quaeritur utrum responsum diei 27 Februarii 1847 datum, servandum sit, nec ne?

Dubium V. Quum fidelium cadavera nonnisi in Ecclesia aut coemeterio iam rite benedicto sepeliri debeant, et proinde fere supervacaneum foret praescribere benedictionem novi sepulchri, si haec omitti possit, ubi sermo est de coemeterio benedicto, atque etiam Rituale Romanum praecipere videtur, sepulchrum si non est benedictum qua sepulchrum a Sacerdote semper benedicendum esse priusquam illud prima vice sepulturae inserviat, nulla distinctione facta an sepulchrum effossum sit in Ecclesia, aut coemeterio, quod semper rite benedictum supponendum est. Quum tamen varii auctores Ritualis verba alio modo intelligant, quaeritur:

1. An sepulchrum quod novum foditur in coemeterio rite benedicto, prima tamen vice benedicendum sit?

2. Si negative ad primum, an igitur praescriptio haec tantum respiciat cryptam seu sepulchrum lapideum in coemeterio vel Ecclesia aedificatum, non autem simplicem foveam in Ecclesia effossam?

3. An si benedictionis formula emitti debeat, nihilominus cadaveris, et tumuli aspersio ac incensatio servanda sint quemadmodum pro sepultura parvulorum praescribitur?

Dubium VI. Iuxta Decretum Urbani VIII, 23 Martii 1630 in Patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur eligi possunt; verum in hac, Dioecesi sequentes existunt irregularitates: Ecclesia Parochialis de *Houtem* s. Gerlacum Confessorem, Ecclesia Parochialis de *Susteren* s. Amelbergam Virginem, Ecclesia Parochialis *de Berg-Terblyt* ss. Monulphum, et Gondulphum Confessores Pontifices tamquam Patronos principales venerantur. Occurrunt quidem Sancti praedicti in Kalendario Dioecesano a S. R. C. una cum eorum Officiis et Missis die 5 Septembris 1867 adprobato, ac Clero Ruremundensi concesso; ast in Martyrologio Romano minime inveniuntur. Notum est praeterea Ecclesias primo, et secundo loco enumeratas ante perturbationem gallicanam Ecclesias fuisse Religiosorum, diversisque ab hodiernis Patronis dedicatas. Praesumendum quidem est has Patronorum mutationes initio huius saeculi rite, ac canonice factas fuisse, quamvis rationes dubitandi non desint. Humillime ideo petitur ut S. R. C. *pro gratia* has Patronorum præfatorum electiones, in quantum opus fuerit sanare ac confirmare dignetur, ne ex Patronorum innovatione perturbatio in populo oriatur.

Sacra vero eadem Congregatio, referente Secretario, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis respondendum censuit:

Ad I. Negative, nisi de speciali Indulto.

Ad II. Ad primam quaestionem affirmative; ad secundam quaestionem negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad III. Recitandam esse Orationem *A cunctis*, omisso nomine s. Ioseph.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Ad primam quaestionem negative; ad secundam affirmative; ad tertiam serventur Rubricae.

Ad VI. Pro gratia saltem ad cautelam, facto verbo cum SSmo. Die 27 Maii 1876.

Facta autem de postremo hoc Dubio per praedictum Secretarium Ssmo D. N. Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua benigne sanavit, quatenus opus sit, defectum legitimae electionis Patronorum, de qua in precibus. Die 1 Iunii 1876.

DINIEN.

Rmus D. Episcopus Diniensis sequentia Dubia sacrae Rituum Congregationi proposuit, eorumque solutionem enixe postulavit, nimirum:

A tercentis circiter annis Ecclesia s. Hieronymi Confessoris Doctoris facta est Ecclesia Cathedralis simul et Parochialis Civitatis Diniensis, licet adhuc existat antiqua Cathedralis Ecclesia B. Mariae Virgini in coelum Assumptae dicata, multisque nunc milliariis extra urbem solitarie posita, ideoque derelicta.

Rebus ita se habentibus, quaeritur:

1. Utrum s. Hieronymus Titularis Ecclesiae Cathedralis actualis gaudeat omnibus iuribus quae competunt Titularibus Cathedralium, et utrum ipsius Festum celebrari debeat sub ritu primae classis cum Octava non tantum a Clero praedictae Ecclesiae adscripto, sed etiam ab omnibus Sacerdotibus in Urbe commorantibus, notanterque a Directoribus utriusque Seminarii, et a Cappellanis Xenodochii et Monialium etc.

2. Quodnam Suffragium faciendum sit a Directoribus Seminarii sive maioris, sive minoris, quibus nulla Ecclesia publica est adnexa, a Cappellanis Xenodochii et Monialium, a Clericis in sacris, et a Sacerdotibus in maiori Seminario coadunatis tempore secessus Ecclesiastici? Sufficit ne Suffragium B. Mariae Virginis Titularis antiquae Cathedralis per communem antiphonam suam *Sancta Maria succurre miseris?* vel ponendum Suffragium s. Hieronymi Titularis Cathedralis hodiernae? vel fortasse melius, faciendum est Suffragium ss. Domnini, et Vincentii Civitatis Patronorum per antiphonam apud nos usitatam, quae duobus hisce Patronis communis est cum Oratione?

Sacra Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative in omnibus.

Ad II. Ad primam partem, praeter communia tenentur tantum ad Suffragium Patroni Dioeceseos vel Loci: ad secundam partem, sufficit etsi commemoratio non ponenda in casu pro B. Virgine, qua Titulari: ad tertiam partem, negative: ad quartam, provisum in prima, hoc est affirmative, et modo in Dioecesi usitato.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 27 Maii 1876.

RAVENNATEN.

Sacerdos Caesar Uberti Metropolitanae Ecclesiae et Rm̃i Archiepiscopi Ravennaten. Caeremoniarius humiliter a sacra Rituum Congregatione postulavit declarationem insequentium Dubiorum, videlicet:

Dubium I. In quadam Ecclesia huius Civitatis quotidie post secundam Missam Sacerdos imposito sibi velo humerali extrahit e ciborio Ssm̃um Sacramentum, et cum eo immediate benedicit populum et recondit, quin prius vel postea aliquid dicat, vel cantet. Quaeritur an huiusmodi usus retineri possit?

Dubium II. Sorores et Educandae cuiusdam Conservatorii, quoties transeunt ante Ssm̃um Sacramentum in tabernaculo reconditum nolunt genuflectere, sed tantum sese inclinant, dicentes indecens esse mulieres genuflectere unico genu. Tollerandusne est huiusmodi usus?

Dubium III. Et quatenus negative, an idem dicendum de genuflexione, quae debetur Episcopo proprio?

Dubium IV. Utrum mulieres sacris functionibus adstantes vel etiam privatae orantes per fenestram (vulgo *Coretto*) quae intus Ecclesiam, interiectis transennis, inspicit, teneantur caput velare?

Dubium V. An Rubrica Missalis pro aspersione Aquae benedictae in Dominicis facienda, sit praeceptiva vel directiva tantum, quoad repetitionem antiphonae *Asperges me* vel *Vidi aquam*?

Dubium VI. Et quatenus sit praeceptiva, quaeritur an repeti etiam debeat a cantoribus in choro, vel sufficiat ut Sacerdos submisse repetat una cum Ministris?

Dubium VII. An pro Benedictione Sacrorum Oleorum Feria V in Coena Domini pro complendo numero Diaconorum et Subdiaconorum, inservire possint clerici in minoribus constituti, vel tonsurati tantum, absque tamen manipulo et stola?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audita relatione alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis respondendum censuit:

Ad I. Usum, prouti exponitur, non licere.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. et VI. Antiphonam a celebrante et a cantoribus esse repetendam.

Ad VII. Detur Decretum in una Liburnen. diei 26 Februarii 1874.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit die 7 Iulii 1876.

ROSSANEN.

R. D. Sacerdos Aloisius Rapani Canonicus et in Metropolitana Ecclesia Rossanen. Caeremoniarum Magister sacrae Rituum Congregationi haec humiliter exposuit, nimirum quod in praedicta Ecclesia ad maiorem Fidelium utilitatem singulis diebus infra Octavam Corporis Christi, Ssm̃um Eucharistiae

Sacramentum publicae venerationi exponi soleat tum mane ante Matutini recitationem, tum a meridie antequam Vesperae decantentur.

Expleta vero mane Horae Nonae recitatione, et Vesperarum a meridie intra Ecclesiae ambitum processionaliter Ssmum Sacramentum circumfertur, ac demum Benedictione impertita, in tabernaculum reponitur. Attamen die Sabbathi infra Octavam, Processione peracta post Completorium, Benedictio impertitur, et ad Matutini cum Laudibus recitationem, quae anticipanda est, quia insequenti Dominica solemnis fit Processio a Confraternitate Ssmi Sacramenti et universo Capitulo, rursus Eucharistiae Sacramentum exponitur, et recitatione expleta, absque ulla Benedictione in tabernaculo recluditur.

Quibus expositis, suprascriptus Orator insequentium Dubiorum solutionem ab eadem sacra Rituum Congregatione humiliter postulavit, nempe:

I. An Sabbatho infra Octavam Corporis Christi, Processione facta post Completorium et Benedictione impertita, rursus exponi queat Ssmum Eucharistiae Sacramentum, ut Indulgentias, quae Matutini et Laudum recitationi assistentibus concessae sunt, Fideles lucrentur?

Et in casu affirmativo,

II. An rursus post Matutini cum Laudibus recitationem alia Benedictio populo impertiri debeat, quemadmodum data fuit expleto Completorio?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis respondendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Provisum in primo.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 8 Iulii 1876.

TAURINEN.

Canonici sub titulo Ssmae Trinitatis sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuerunt, Augustae Taurinorum praeter Capitulum Ecclesiae Metropolitanae, Collegium existere duodecim Canonicorum, qui proprium ibi sacellum habent, in quo Missas quandoque legunt, et Officium Defunctorum recitant, quin tamen ulla chori obligatione teneantur. Collegium huiusmodi in binas Congregationes dividitur, quarum altera Ecclesiae Parochiali a Ssmo Corpore Christi nuncupatae, altera Ecclesiae s. Laurentio dicatae inservit. Iidem Canonici ex antiqua consuetudine, ac vi suarum constitutionum in binis praedictis Ecclesiis sui Festi Titularis Octavam solent celebrare. Nunc tamen dubium exortum est, utrum eamdem Octavam teneantur celebrare, ac possint in duabus illis Ecclesiis, cum Collegium in iis non resideat, sed in Ecclesia Metropolitana, cumque Dominica Octava Festi Ssmae Trinitatis incidat infra Octavam Ssmi Corporis Christi in Archidioecesi Taurinen. ex speciali indulto privilegiatam, ita ut infra eamdem solummodo Festa primae, et secundae classis celebrari queant?

Quibus expositis praedicti Canonici, de venia Rmi Dni Archiepiscopi Taurinensis insequentium Dubiorum solutionem ab eadem sacra Congregatione humiliter expostulaverunt, nimirum:

Dubium I. An ipsi teneantur ad Octavam Festi Titularis cum Officio et Missa celebrandam?

Dubium II. Saltem an ipsis liceat?

Dubium III. An in I. Nocturno infra Octavam recitandae sint Lectiones de Scriptura occurrente, vel propriae ipsius Festi Ssmae Trinitatis?

Dubium IV. An in II et III Nocturno recitandae sint Lectiones propriae, quae extant in Octavario a S. R. C. approbato, vel repetendae Lectiones de Festo?

Dubium V. An denique nulla extante sive obligatione sive liceitate celebrandi Octavam cum Officio et Missa, saltem in his commemoratio fieri debeat?

Sacra Rituum Congregatio Referente subscripto Secretario, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis respondendum censuit, nimirum:

Ad I. Dentur Decreta in Wilnen. 22 Aprilis 1741 et in Pampilonen. 11 Septembris 1847.

Ad reliqua provisum in primo.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 11 Iulii 1876.

VENETIARUM

R. D. Petrus Frattini Parochus s. Lucae Evangelistae in Civitate Venetiarum sacrae Rituum Congregationi exposuit, se praeter Ecclesiam Parochialem habere etiam aliam Ecclesiam subsidiariam ss. Benedicto Ab. et Scholasticae Virg. dicatam, in qua sub omnimoda Parochi dependentia alius Sacerdos titulo Vicarii continuo residet, ut Sacramenta Eucharistiae et Poenitentiae administret, aliasque peragat functiones. Quae quidem Ecclesia cum olim Paroecia fuerit, ideo praesertim Orator ab eadem S. R. C. humillime postulat, ut non obstante Decreto eiusdem sacrae Congregationis in una Venetiarum diei 25 Septembris 1852 ad Dub. II, praefatus Vicarius celebrare valeat officia Dedicationis Ecclesiae, et ss. Titularium sub ritu duplici primae classis cum Octava, addito privilegio ut Sacerdotes in praedictis Festis inibi sacrum facturi Missas Officiis praefatis respondentes celebrare queant.

Et sacra eadem Congregatio audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit: Pro gratia quoad Missas tantum, exclusa Octava pro Festis in Quadragesima occurrentibus et servatis Rubricis. Atque ita rescripsit, et indulsit die 15 Iulii 1876.

SANTANDERIEN.

Rmus D. Vincentius Calvo y Valero Episcopus Santanderien. a sacra Rituum Congregatione declarari petiit, num liceat uti curru ad mortuos efferendos in Coemeterium, ideoque an liceat Parocho et Clero

ritu ecclesiastico ita delatum Fidelem ad sepulturam associare?

Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, respondendum censuit: Ecclesiae ritum iubere Fidelium cadavera, utcumque deferuntur sive ad Ecclesiam sive ad Coemeterium, semper a Sacerdote esse associanda. Atque ita respondit die 15 Iulii 1876.

DUBIUM

Quaesitum quum fuerit a sacra Rituum Congregatione an iis in Ecclesiis, in quibus Festum Dedicationis s. Michaelis Archangeli fit cum octava, die 2 Octobris, qua fit de ss. Angelis Custodibus, tum Officio tum Missae addi debeat commemoratio Octavae eiusdem s. Michaelis Archangeli? Sacra ipsa Congregatio, referente subscripto Secretario, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris rescribendum censuit: Affirmative. Atque ita rescripsit, et servari mandavit die 15 Iulii 1876.

SANCTIMONIALIUM ORDINIS S. BENEDICTI CONGREG. CASSINENSIS

R. D. Franciscus Petronio Canonicus Titularis Capituli Iustinopolitani ut editor Kalendarii unitarum Dioecesium Tergestinae et Iustinopolitanae de consensu Ordinarii Dubia, quae sequuntur, sacrae Rituum Congregationi enodanda humiliime proposuit, nimirum:

Dubium I. Sanctimoniales Ordinis s. Benedicti Congregationis Cassinensis in Monasterio Tergestino s. Cypriani degentes et Episcopo subiectae celebrant iuxta Decretum S. R. C. 17 Ianuarii 1781 approbatum a s. m. Pio Papa VI Festum s. Patriarchae Benedicti cum Octava adeo privilegiata, ut singulis diebus Octavae locum habeant solummodo Duplicia primae, et secundae classis.

Quaeritur utrum haec Octava tali privilegio donata includat etiam Officium Dominicae minoris intra ipsam occurrentis (casus eiusmodi occurrentiae locum habet, quoties Festum s. Benedicti transfertur pari cum privilegio in Feriam III post Dominicam in Albis tamquam in sedem propriam) ita ut de Dominica tantummodo commemoratio sit facienda cum ultima Lectione de Homilia ad Matutinum?

Dubium. II. Utrum in Duplicibus primae et secundae classis infra dictam Octavam occurrentibus omittenda sit commemoratio eiusdem Octavae?

Dubium III. Die 15 Ianuarii praedictae Sanctimoniales celebrant Festum s. Mauri Abb. ritu duplici secundae classis, et aliquando, ob occursum Dominicae II post Epiphaniam, occurrit Festum Ssm̃i Nominis Iesu pariter secundae classis. Iam ab anno 1736 die 23 Ianuarii in una Ord. s. Benedicti in Einsilden. n. 16 decisum fuit a S. R. C. quod in occurrentia praedicta Festum s. Mauri transferri deberet in primam diem non impeditam; modo quaeritur num ob posteriora Decreta (quae tamen hunc casum non respiciunt) transferri debeat Festum Ssm̃i Nominis Iesu?

Dubium IV. Quum iuxta Decreta, qui habet Officium de Beato nequeat celebrare de Beato in aliena Ecclesia cui eadem Missa concessa non sit, et in aliis Decretis Missa de Beato certis Ecclesiis et personis indulta, ab exteris confluentibus, quibus concessa non est, celebrari haud queat; quaeritur num habens Officium de Beato, et vel causa itineris, vel peregrinationis, vel alia qualibet de causa celebrant in aliena Ecclesia ubi fit de alio Beato, Missam dicere valeat vel respondentem Officio proprio, vel iuxta Officium Ecclesiae, si color conveniat cum Officio celebrantis, et si color sit dissimilis iuxta Kalendarium Ecclesiae, cum aliter a celebratione se abstinere necesse sit?

Dubium V. Quaeritur num retineri possit usus addendi Symbolum Missis in Festis Sanctorum Ordinis v. g. s. Mauri, s. Scholasticae, s. Placidi et s. Gertrudis, ratione ritus secundae classis, quo praedictae Moniales eam Festam celebrant?

Sacra vero Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii audita etiam sententia in scriptis alterius ex suis Consultoribus, propositis Dubiis respondendum censuit:

Ad I. et II. Negative.

Ad III. Dilata et ponatur in Folio.

Ad IV. Detur resolutio in una venetiarum diei 11 Iunii 1701 ad 3.

Ad V. Affirmative. Atque ita rescripsit die 17 Iulii 1876.

IACEN.

Rmus D. Gerardus Genuardi Episcopus Iacensis anceps haerens an nonnullae consuetudines, quas invenit in Dioecesi sibi commissa tolerari possint, a sacra Rituum Congregatione humiliter insequentium Dubiorum solutionem postulavit, nimirum:

Dubium I. An Parochi Iacensis Dioecesis ex Messanensi Archidioecesi avulsi in ecclesiasticis functionibus Mantelletto violaceo, et in Missa solemni quatuor Ministris pluvialibus indutis, atque annulo gemmis ornato iugiter uti possint?

Dubium II. An in eadem Dioecesi tolerari queat ut passim a quocumque fere Sacerdote solemniter celebrante, Presbyter assistens cum pluviali adhibeatur?

Dubium III. An tolerari possit consuetudo, quod Clerus, et Populus dum Ssmum Sacramentum expositum manet, sedeant?

Sacra vero eadem Congregatio, re mature accurateque perpensa, propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Negative in omnibus.

Ad II. Negative et abusum esse eliminandum.

Ad III. Affirmative, secluso scandalo aut irreverentia.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit die 23 Iulii 1876.

CASERTANA

Inter Parochos Foraniae Terrae Lamnaei vulgo *Terra di Lagno* intra limites Dioecesis Casertanae, et Archipresbyterum Parochum Vicarium Foraneum eiusdem Terrae, qui nuper adnumeratus fuit Cap-

pellanis honorariis Suae Sanctitatis extra Urbem, orta est haec quaestio:

Parochi innixi Decreto S. R. C. relato a Lucio Ferraris verbo *Parochus n. 65 D. III* contendunt Parochum Protonotarium Apostolicum non posse induere extra propriam Ecclesiam habitum praelatitium praesertim in ritualibus Processionibus sancti Marci, Rogationum, et Ssmi Corporis Christi ad quas collegialiter conveniunt.

Parochus contra Cappellanus honorarius Suae Sanctitatis sese praelatitium habitum aut saltem subtanam violaceam, et tibialia eiusdem coloris cum superpelliceo et stola gestare contendit.

Quum autem valde expediat ut haec quaestio quam primum de medio tollatur, Rmus D. Henricus De Rossi hodiernus Episcopus a sacra Rituum Congregatione humiliter declarare petiit an sit standum, vel non Decreto supraenunciato?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, declaravit: Nihil obstare quominus Parochus insimul Cappellanus honorarius Sanctitatis Suae in omnibus ecclesiasticis functionibus tam intra quam extra propriam Ecclesiam habitu talari violaceo una cum fascia serica eiusdem coloris utatur, exceptis tamen tibialibus, quae semper nigri coloris esse debent.

Atque ita rescripsit die 1 Austi 1876.

BELLUNEN. ET FELTREN.

Rmus D. Salvator Ioannes Baptista Bolognesi Episcopus Bellunen. et Feltren. sacrae Rituum Congregationi exposuit quod, ad preces cl. me. Ioannis Reiner praedecessoris sui, per Decretum memoratae sacrae Congregationis diei 25 Septembris 1862, concessum fuerit ut a Clero Bellunen. uno eodemque die, distincto tamen ab illo Cathedralis, recolatur Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Dioecesis Bellunen., utque Anniversarium istud cum Officio et Missa ritu duplici primae classis cum Octava affigeretur Dominicae primae mensis Septembris, eximendo omnes et singulas Ecclesias Dioecesis ipsius a quacumque obligatione, alia die diversa recolendi proprium Dedicationis Anniversarium.

Cum vero non una semper fuerit ratio Decretum hoc interpretandi atque in praxim deducendi, humiliter petiit, ut eadem sacra Congregatio insequentia Dubia declarare dignaretur, nimirum:

Dubium I. An in Ecclesia Cathedrali praeter Anniversarium propriae Dedicationis incidens in Dominicam II post Pascha, celebrandum sit Dominica I Septembris Anniversarium Dedicationis aliarum Ecclesiarum?

Et quatenus negative:

Dubium II. Utrum praedictum Anniversarium omnium Ecclesiarum Dioecesis Bellunen. celebrandum sit (Cathedrali excepta) in omnibus omnino Civitatis et Dioecesis Ec-

clesiis, an potius in solis Ecclesiis consecratis?

Et quatenus affirmative ad secundam partem:

Dubium III. Quid agendum in pluribus Civitatis consecratis Ecclesiis, quibus ex Episcopi delegatione praeest ut Rector et quaedam sacramenta administrant vel Canonicus, vel alius Sacerdos, qui chorali beneficio in Cathedrali potitur?

Et Sacra Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad III. Sacerdotes praedicti quoad Officium conformare se debent Kalendario Cathedralis cui sunt addicti, et etiam quoad Missam exceptis Festis Titularis , memorati Anniversarii Dedicationis omnium Ecclesiarum Dioecesis Bellunen. et exceptis casibus, in quibus Sacerdotes celebrantes in aliena Ecclesia sese Kalendario eiusdem Ecclesiae, iuxta rubricas et pluries decreta conformare tenentur. Atque ita decrevit die 28 Augusti 1876 (1).

VICENTINA

Quum in Dioecesi Vicentina festum Annuntiationis Beatae Mariae Virginis semper celebratum fuerit cum integra Octava sive celebretur in Quadragesima, sive transferatur post Pascha quoad Chorum tantum, non obstante generali Decreto diei 22 Martii anni 1817, acris nuper inter clerum exarsit controversia num in posterum eadem praxis servanda sit adhaerendo consuetudini huc usque servatae et confirmatae exemplo Patriarchalis Ecclesiae Venetiarum, vel potius parendum sit dispositionibus enunciati Decreti generalis, uti factum est in conterminis Dioecesibus Veronensi et Patavina?

Delata autem controversia ad sacram Rituum Congregationem per Kalendaristam memoratae Dioeceseos Vicentinae, sacra eadem Congregatio, audita relatione ab infrascripto Secretario facta , nec non voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris , rescribendum censuit : Consuetudinem modo in Vicentina Dioecesi vigentem retineri posse. Atque ita rescripsit die 4 Ianuarii 1877.

SYREN.

R̃mus D̃nus Ioseph M. Alberti Episcopus Syren. in relatione canonica, quam ad sacram Congregationem de Propaganda Fide de statu suae Dioeceseos dederat anno 1874. haec inter alia exponebat, nimirum. Matrimonia rite contrahuntur, sed aliquando futuri coniuges insistunt ut sacer ritus peragatur de sero in Ecclesia, aut etiam domi. Quando mulier est vidua, matrimonium locum habet de sero in Ecclesia, quia excluditur Missa pro Sponso et Sponsa: si autem non est vidua, raro fit de sero, cum iniunctione tamen ut sponsi se sistant de mane ad accipiendas benedictiones inter Missarum solemnia, quod aliquando accidit ut non adimpleatur; rarius autem domi. Sed pro fidelibus existentibus in inferiori Urbe Hermopoleos, qua-

(1) Decretum quod sequeretur etc. habes Vol. X pag. 298har. eph.

si semper cogitur Episcopus dispensare ut matrimonium celebretur domi ad evitandum concursum schismaticorum in Ecclesia, quod non potest esse sine aliqua profanatione loci, vel etiam admiratione et risu eorumdem per vias in transitu Sponsi et Sponsae et sequentium eos: dum praedicti schismatici celebrant semper matrimonia domi et sero. Hic tamen quaeritur: 1. An adsit stricta obligatio celebrationis Missae pro Sponso et Sponsa cum ita ritus evadit nimis longus una cum sermone parochi? 2. Dignareturne Sedes Apostolica concedere, ut immediate post celebrationem ritus matrimonii, legantur super coniuges praefatae orationes Missae: tanto plus quod ritus ille evadit nimis brevis? 3. Quoad vero Matrimonia mixta simplex interrogatio de praesenti cum aliquot verbis exhortationis excitat admirationem schismaticorum, velletne Summus Pontifex permittere etiam pro his matrimoniis eumdem ritum Romani Ritualis absque Missa?

Quum autem supradicta pars relationis a praefata S. C. de Propaganda Fide ad sacrorum Rituum Congregationem fuerit transmissa ut in re provideret, haec, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis postulatis scribendum censuit:

Ad I. et III. Ad Supremam Universalem Inquisitionem.

Ad II. Negative iuxta Decreta.

Atque ita rescripsit die 4 Ianuarii 1877.

VALLISPRATEN.

R̃mus D. Eugenius O'Connel Episcopus Vallispraten. a Sacra Congregatione de Propaganda Fide insequentis Dubii solutionem humiliter postulavit, nimirum: Utrum salvo Caeremoniali Episcoporum, liceat Episcopis in Dominicis Festisque diebus Missae solemni assistere solummodo cum Mozzetta et Rochetto vestitis. Quum vero S. Congregatio de Propaganda Fide preces ipsas ad Sacrorum Rituum Congregationem pro opportuna solutione trasmiserit, haec ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, proposito Dubio rescribere rata est: Negative iuxta alias Decreta. Die 22 Ianuarii 1877.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

ALLOCUTIO

HABITA DIE XX AUGUSTI MDCCCLXXX

AD

S. R. E. CARDINALES

IN AEDIBUS VATICANIS

Venerabiles Fratres

Summi Pontificatus sacrosancta maiestas, quam sicut habemus ipsa vita cariorem, sic conservare ac tueri omni contentione volumus et debemus, postulat a Nobis, ut de iniuria longe maxima supremae auctoritati Nostrae et huic Apostolicae Sedi haud ita pridem imposita, ad Vos, Venerabiles Fratres, hodierno die referamus. De iniuria intelligimus illata ab administratoribus rei Belgarum publicae, quod legatum Nostrum nulla iusta caussa repente dimiserunt.

Nos quidem non tam privato dolore permoti, quam de Apostolicae Sedis honore solliciti, totam rei gestae seriem una cum instrumentis atque auctoritatibus, quibus iure credatur, pervulgari iussimus, ut omnia proferrentur in lucem veritatis, et aequi viri facile statuerent, quam parum habeant firmamenti et virium coniectae ab inimicis in Apostolicam Sedem indignissimae criminationes. — Nunc vero eius facti rationem altius considerantes, cum in hoc tum in aliis non absimili genere, quae fere ubique geruntur, certa vestigia agnoscimus quae significant re-

cruduisse vehementer bellum, longo iam tempore adversus Christi Ecclesiam nefarie susceptum. Imo etiam magis apertam nudatamque conspicimus factiosorum hominum de abalienandis ab Apostolica Sede animis veterem coniurationem, eo consilio initam, ut in christianas gentes, quas semel Romani Pontificis auctoritati praesidioque forte subduxerint, omnem ipsi nutu atque arbitratu suo potestatem exerceant. — Atque idem plane propositum inimicis fuit, cum per vim et dolos eripere Romanis Pontificibus civilem principatum voluerunt, manifesto divinae Providentiae consilio et consentiente aetatum suffragio constitutum, uti salva iis perpetuo ea securitas ac libertas esset, qua nihil est magis in gerenda christiana republica necessarium. — Neque alio machinationes spectant summis artificiis excogitatae, adhibitaeque calliditate pari, per quas multi iamdiu contendunt invisam et suspectam facere populis Ecclesiam, invidiamque institutis catholicis conflare, praecipue autem Pontificatui romano, ad communem humani generis salutem divinitus instituto.

Haec eadem consilia etiam in Belgio exequi catholici nominis hostes destinaverant, ut vincula abrumperentur aut relaxarentur quae Belgarum gentem Apostolicae Sedi coniungunt. Quamobrem, data opportunitate, in ipsis legumlatorum publicis coetibus pluries est eorum exaudita vox, Legationem belgicam apud Romanum Pontificem esse tollendam; idque se statutum in animo ac deliberatum habere. Revera duobus ante annis, vix dum ad gubernacula reipublicae homines illarum partium accesserant, mora nulla fuit, quin aperte edicerent, revocationem oratoris belgici a legatione esse decretam; eamdem reapse perfectum iri, ubi primum per tempora licuisset.

Cum haec consilia atque hic habitus animorum in iis esset, perlata lex de primordiis studiornm publice tradendis, propositi perficiendi caussam attulit. — Nostis, Venerabiles Fratres, indolem huiusce legis atque rationem. Profecto in ea condenda hoc maxime consilium atque hanc sententiam fuisse apparet ab auctoritate catholicae religionis, vel a pueritia, abducere animos,

institutionemque iuventutis, remota qualibet Ecclesiae providentia, civilis potestatis imperio voluntatique reservare. Etenim ea lege decernitur, in educatione puerili nullas esse debere sacrorum Pastorum partes, nullam Ecclesiae vigilantiam; dissociatisque penitus a religione litteris, ab eruditione puerorum, si ipsa publicarum scholarum ratio et disciplina spectetur, omnem de religione doctrinam abesse praecipitur: quod perfacile cernitur quam sit fidei et moribus ineuntis aetatis periculosum. — Eoque gravius esse periculum intelligitur, quod eadem lege omnis religiosa institutio plane excluditur ab iis ipsis litterarum palaestris, quas scholas *normales* vocant, ubi exercitatione praeceptisque conformantur, qui quaeve deinceps velint ad erudiendos pueros sese conferre.

Lex huiusmodi, per quam plurimum de doctrina iuribusque Ecclesiae detrahitur, maximoque discrimini sempiterna adolescentium salus obiicitur, non poterat, salvo officio, Episcopis probari, quibus a Deo id est muneris onerisque impositum, ut in salute animorum fideique sanctitate defendenda vigilanter elaborent. Revera cum probe sentirent, quid a se tempus officiumque postularet, sedulam operam dederunt arcendae ab eiusmodi publicis scholis iuventuti, aliasque aperiendas curarunt, potestati suae obnoxias, in quibus tenerae adolescentulorum mentes cum litterarum tum religionis elementis optime formarentur. Et hanc ad rem, laus est egregia Belgarum, peropportuno huic operi sese alacritate summa adiutores praebuisse. Cum enim animadverterent, quantum religioni periculum ab ea lege impenderet, avitam fidem, quoquo modo possent, tuendam susceperunt; idque tam inflammato studio, ut laborum ac sumptuum magnitudo admirationem fecerit apud omnes, ad quos huius rei fama pervenit.

Nos vero, qui propter excelsum supremi Pastoris et Magistri munus, intemeratam ubique fidem conservare, sacra Ecclesiae iura asserere, et salutis discrimina a capite gentium christianarum propulsare debemus, ipsa officii ratione sinere prohibebamur, indemnatam per Nos abire legem, quam Venerabiles

Fratres Nostri Episcopi belgici iure condemnavissent. Quapropter in litteris Nostris ad dilectissimum filium Nostrum Leopoldum II regem Belgarum aperte declaravimus, legem die I Iulio mense actam magnopere catholicae doctrinae praeceptis repugnare; eamdemque perniciosam saluti adolescentium, neque parum ipsi civitati calamitosam futuram. Igitur qua talem improbavimus damnavimusque non semel, sicut nunc in conspectu omnium Vestrum, iisdem de caussis, iterum improbamus atque damnamus. Quam rem more agimus institutisque Apostolicae Sedis, quae semper iudicii atque auctoritatis suae pondere scholas perculit cuiuslibet religionis expertes, quas medias seu *neutras* appellant, quaeque suapte natura illuc tandem evadunt, ut Deum prorsus non agnoscant: neque usquam passa est, eiusmodi scholas a iuventute catholica celebrari, nisi certis casibus, cum eam tempus et necessitas cogeret, cautoque prius ne praesens esset pravae contagionis periculum. — Nihilominus christiana charitate animati, et quod nolebamus ullam dari caussam quamobrem acerbius bellum fieret, valde auctores fuimus Venerabilibus Fratribus Nostris Episcopis, in medio certamine consistentibus, ut, quod ad decreta exequenda, moderationem et suavitatem in re praesenti ne relinquerent, et in poenis exigendis agerent lenius; quoniam rei christianae studium, tam iusta caussa incensum, paterna illa benevolentia temperari oporteret, quae devios quosque benigne complectitur.

Multum ad ea quae volebamus cohortationes Nostrae profecerant, multoque magis futurum videbatur, ut in reliquum tempus proficerent; non satis tamen ex sententia curatorum rerum belgicarum, qui Episcopos ipsos muneri suo firmissime intentos nihilominus coargui a Nobis, et in quo essent probabiles in eo reprehendi voluissent. Quod cum Nos libere constanterque negavissemus facturos, idcirco officiose amiceque Nobiscum agi desitum est, et insigni, vixque alias audito illiberalitatis exemplo, legatus Noster excedere finibus iussus est. — Plura deinde per ambages et calumnias caussati, indigne factum tegere falsis nominibus conati sunt, omnemque caussam

et culpam in Apostolicam Sedem transferre. Crescente autem audacia, nec a conviciis, nec a contumeliis temperatum est: imo ne in Urbe quidem Roma hostilis animi defuit insolens ostentatio.

Quapropter muneris Nostri apostolici memores, casum gravem et repentinum in conspectu omnium Vestrum, Ven. Fratres, deplorantes, Nobiscum et cum sancta Petri Sede inique actum esse testamur et conquerimur. Cumque ius potestatemque habeat Pontifex maximus Nuntios aut Legatos ad exteras gentes, nominatim catholici nominis, earumque principes mittendi, de violato huiusmodi iure cum iis quos penes est culpa, expostulamus: eoque magis, quod eius iuris multo angustius est in Romano Pontifice principium, cum ab amplissima auctoritate primatus, quem ille divinitus obtinet in universam Ecclesiam, proficiscatur; quemadmodum et Pius VI gloriosae recordationis Pontifex declaravit his verbis: « Ius est Romano Pontifici ha-
» bendi aliquos, in dissitis praesertim locis, qui sui absentis
» personam repraesentent, qui iurisdictionem suam atque au-
» ctoritatem stabili delegatione collatam exerceant, qui denique
» suas vices obeant; idque ex intima vi ac natura primatus,
» ex iuribus dotibusque cum primatu coniunctis, ex constanti
» Ecclesiae disciplina a primis usque saeculis deducta. » (1)

Querimur super hoc etiam, quod dimittendi Nostri per Belgium Legati caussa iniuriosa et de industria quaesita allata sit; cum contra dimissum idcirco esse constet, quod Nos deserere officium recusavimus, factaque significatione Nostrae cum Venerabilibus Fratribus Episcopis belgicis consentientis voluntatis, discedere ab iis nulla ratione voluimus. — Demum cohibere querelas non possumus propter multa et varia, quae de Nobis et hac Sede Apostolica sunt contumeliose atque atrociter dicta. Equidem quod privatim ad Nos, prompti ad perferendas patienter iniurias sumus, ignoscendumque obtrectatoribus atque inimicis, *gaudentes*, Apostolorum exemplo, *quod digni habiti*

(1) Resp. super Nuntiaturis Apost. cap. 8, sect. 2 n. 24.

sumus pro nomine Iesu contumeliam pati (1). Nihilominus tamen Deum hominesque testamur, numquam esse passuros, ut quicquam de Apostolicae Sedis existimatione et dignitate impune minuatur; quam Nobis certum est, omni vi et omnium rerum vitaeque ipsius, si res postularet, iactura defendere, ut tantae huius dignitatis amplitudo servetur, Nostrisque Successoribus integra atque inviolata tradatur.

Has autem voces, quas iustus animi dolor et conscientia officii in hoc amplissimo consessu Vestro, Venerabiles Fratres, Nobis expresserunt, late per orbem terrarum propagari volumus, ut viri principes universaeque gentes, querelarum Nostrarum aequitate perspecta, intelligant quibus profecta initiis, quem habuerit exitum res de qua loquimur; simul fraudes caveant, quibus homines non probi in aures animosque influunt multitudinis; alacriterque studeant in fide Romani Pontificis, nihil mutata aut labefactata voluntate, permanere.

Quod ad catholicam Belgarum gentem attinet, in summa est eorum laude ponendum, quod magna affecti sollicitudine ob Nostri discessum Legati, quem tot annos perhonorifice exceptum modis omnibus observarant, in hoc tempore propensioris voluntatis huic Apostolicae Sedi documenta depromerent: volunt enim, qua ratione possunt, curam et molestiam compensare iniuriarum, quas in persona humilitatis Nostrae Iesu Christi Vicarius accepit. — Atque hic pergratum Nobis est recordari grave quoddam laudum praeconium quod a Gregorio XVI, Pontifice maximo, Nobis praesentibus atque audientibus, Belgis tributum est. Is enim cum Nos pontificiae apud eos legationi benigne destinaret, de gente illa in universum plura effatus est verbis amplissimis, appellavitque genus hominum fortissimum, pientissimum, quorum fides et amor erga Apostolicam Sedem et erga Principes suos multis rebus ac perdiu constitisset. — Revera has ipsorum virtutes cum superiorum aetatum monumenta testantur, tum Nos usu et consuetudine Ipsi cognovimus, quamdiu illa legatione

(1) Act. V. 41.

functi sumus; illorumque hominum et temporum et rerum iucundissima haerens in animo recordatio, peculiarem Nostram in eos fovit atque aluit benevolentiam. Igitur de Belgis confidimus futurum, ut ab Ecclesiae amore et obsequio numquam discedant, constantesque in fidei catholicae professione, et de christiana iuventutis institutione anxii atque solliciti, sese patribus et maioribus dignos in omne tempus impertiant.

Haec de rebus belgicis habuimus, quae Vobiscum, Venerabiles Fratres, communicaremus, ut illatam Apostolicae Sedi iniuriam propulsaremus, violatamque dignitatem tueremur. — Attamen per Vos ipsi videtis, praesentes Ecclesiae labores non esse Belgarum finibus circumscriptos. Longius serpit bellum, et latius manant rei catholicae detrimenta: quorum tamen sermonem praesens in tempus omittimus. — Interim vero meliore spe erectos confirmatosque animos gerere oportet, et concordibus obsecrationibus suppliciter contendere a Patre misericordiarum et Deo totius consolationis, ut Ecclesiam sponsam suam, tot fessam malis ac tantis curis exercitam, benigne consoletur; sedatisque undis ac fluctibus, optatam diu tranquillitatem restituat.

Litterae Apostolicae in forma Brevis quibus agitur DE SANCTO THOMA AQUINATE PATRONO CAELESTI STUDIORUM OPTIMORUM COOPTANDO.

LEO PP. XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam

Cum hoc sit et natura insitum et ab Ecclesia catholica comprobatum ut a viris sanctitate praeclaris patrocinium, ab excellentibus autem perfectisque in aliquo genere exempla ad imitandum homines exquirant; idcirco Ordines religiosi non pauci, Lycea, coetus litteratorum, Apostolica Sede approbante, iamdiu magistrum ac patronum sibi sanctum Thomam Aquinatem esse voluerunt, qui doctrina et virtute, solis instar, semper eluxit. Nostris vero temporibus, aucto passim studio doctrinarum Eius, plurimi extiterunt, qui peterent, ut cunctis ille Lyceis, Academiis, et scholis gentium catholicarum, huius Apostolicae Sedis auctoritate, Patronus assignaretur. Hoc quidem optare se plures Episcopi significarunt, datis in id litteris cum singularibus tum communibus; hoc pariter studuerunt multarum Academiarum sodales et collegia doctorum supplice atque humili obsecratione deposcere. — Quorum omnium incensas desiderio preces cum differre visum esset, ut productione temporis augerentur, idonea ad rem opportunitas accessit ab Encyclicis Litteris Nostris *De philosophia christiana ad mentem s. Thomae Aquinatis Doctoris Angelici in scholis catholicis instauranda,* quas superiore anno hoc ipso die publicavimus. Etenim Episcopi, Academiae, doctores decuriales Lyceorum, atque ex omni terrarum regione cultores artium optimarum se Nobis dicto audientes et esse et futuros una pene voce et consentientibus animis testati sunt: immo velle se in tradendis philosophicis ac theologicis disciplinis sancti Thomae vestigiis penitus insistere; sibi enim non secus ac Nobis, exploratum esse affirmant, in doctrinis Thomisticis eximiam quamdam inesse praestantiam, et ad sananda mala, quibus nostra premitur aetas, vim virtutemque singularem. Nos igitur, qui

diu multumque cupimus, florere scholas disciplinarum universas tam excellenti magistro in fidem et clientelam commendatas, quoniam tam clara et testata sunt communia desideria, maturitatem advenisse censemus decernendi, ut Thomae Aquinatis immortale decus novae huius accessione laudis cumuletur.

Hoc est autem caussarum, quibus permovemur, caput et summa; eminere inter omnes sanctum Thomam, quem in variis scientiarum studiis, tamquam exemplar, catholici homines intueantur. Et sane praeclara lumina animi et ingenii, quibus ad imitationem sui iure vocet alios, in eo sunt omnia: doctrina uberrima, incorrupta, apte disposita; obsequium fidei et cum veritatibus divinitus traditis mira consensio; integritas vitae cum splendore virtutum maximarum.

Doctrina quidem est tanta, ut sapientiam a veteribus defluentem, maris instar, omnem comprehendat. Quidquid est vere dictum aut prudenter disputatum a philosophis ethnicorum ab Ecclesiae Patribus et doctoribus, a summis viris qui ante ipsum floruerunt, non modo ille penitus dignovit, sed auxit, perfecit, digessit tam luculenta perspicuitate formarum, tam accurata disserendi ratione, et tanta proprietate sermonis, ut facultatem imitandi posteris reliquisse, superandi potestatem ademisse videatur. Atque illud est permagnum, quod eius doctrina, cum instructa sit atque apparata principiis latissime patentibus, non ad unius dumtaxat, sed ad omnium temporum necessitates est apta, et ad pervincendos errores perpetua vice renascentes maxime accommodata. Eadem vero, sua se vi et ratione confirmans, invicta consistit, atque adversarios terret vehementer.

Neque minoris aestimanda, christianorum praesertim hominum iudicio, rationis et fidei perfecta convenientia. Evidenter enim sanctus Doctor demonstrat, quae ex rerum genere naturalium vera sunt, ab iis dissidere non posse, quae, Deo auctore, creduntur; quamobrem sequi et colere fidem christianam, non esse humilem et minine generosam rationis servitutem, sed nobile obsequium, quo mens ipsa iuvatur et ad sublimiora eruditur; denique intelligentiam et fidem a Deo ambas proficisci, non simultatum secum exercendarum caussa, sed ut sese ami-

citiae vinculo colligatae mutuis officiis tueantur. - Cuius convenientiae mirabilisque concordiae cunctis beati Thomae scriptis expressa imago perspicitur. In his enim excellit atque eminet modo intelligentia, quae quod vult, fide praeeunte, consequitur in pervestigatione naturae; modo fides, quae rationis ope illustratur ac defenditur, sic tamen, ut suam quaeque inviolate teneat et vim et dignitatem; atque, ubi res postulat, ambae quasi foedere icto ad utriusque inimicos debellandos coniunguntur. Ac si magnopere semper interfuit, firmam rationis et fidei manere concordiam, multo magis post saeculum XVI interesse existimandum est; quoniam per id tempus spargi semina coeperunt finem et modum transeuntis libertatis, quae facit ut humana ratio divinam auctoritatem aperte repudiet, armisque a philosophia quaesitis religiosas veritates pervellat atque oppugnet.

Postremum Angelicus Doctor non est magis doctrina, quam virtute et sanctitate magnus. Est autem virtus ad periclitandas ingenii vires adipiscendamque doctrinam praeparatio optima; quam qui negligunt, solidam fructuosamque sapientiam falso se consecuturos putant, propterea quod *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (1). Ista vero comparatio animi, quae ab indole virtutis proficiscitur, in Thoma Aquinate extitit non modo excellens atque praestans, sed plane digna, quae aspectabili signo divinitus consignaretur. Etenim cum maximam voluptatis illecebram victor evasisset, hoc veluti praemium fortitudinis tulit a Deo pudicissimus adolescens, ut lumbos sibi arcanum in modum constringi, atque una libidinis faces extingui sentiret. Quo facto, perinde vixit, ac esset ab omni corporis contagione seiunctus, cum ipsis angelicis spiritibus non minus innocentia, quam ingenio comparandus.

His de caussis dignum prorsus Angelicum Doctorem iudicamus, qui praestes tutelaris studiorum cooptetur. Quod cum libenter facimus, tum illa Nos consideratio movet, futurum ut patrocinium hominis maximi et sanctissimi multum valeat ad

(1) Sap. 1. 4.

philosophicas theologicasque disciplinas, summa cum utilitate reipublicae, instaurandas. Nam, ubi se scholae catholicae in disciplinam et clientelam Doctoris Angelici tradiderint, facile florebit sapientia veri nominis, firmis hausta principiis, ratione atque ordine explicata. Ex probitate doctrinarum probitas gignetur vitae cum privatae, tum publicae: probe vivendi consuetudinem salus populorum, ordo, pacata rerum tranquillitas consequentur. - Qui in scientia rerum sacrarum elaborant, tam acriter hoc tempore lacessita, ex voluminibus sancti Thomae habituri sunt, quo fundamenta fidei christianae ample demonstrent, quo veritates supernaturales persuadeant, quo nefarios hostium impetus a religione sanctissima propulsent. Eaque ex re humanae disciplinae omnes non impediri aut tardari cursus suos, sed incitari augerique sentient; ratio vero in gratiam cum fide, sublatis dissidiorum caussis, redibit, eamque in indagatione veri sequetur ducem. Demum quotquot sunt homines discendi cupidi, tanti magistri exemplis praeceptisque conformati, comparare sese integritate morum assuescent; nec eam rerum scientiam consectabuntur, quae a caritate seiuncta inflat animos et de via deflectit, sed eam quae sicut a *Pàtre luminum* et *scientiarum Domino* exordia capit, sic ad eum recta perducit.

Placuit autem hac super re sacri etiam Consilii legitimis ritibus cognoscendi perrogare sententiam; quam cum perspexerimus, dissentiente nemine, votis Nostris plane congruere, Nos ad gloriam omnipotentis Dei et honorem Doctoris Angelici, ad incrementa scientiarum et communem societatis humanae utilitatem, sanctum Thomam Doctorem Angelicum suprema auctoritate Nostra Patronum declaramus Universitatum studiorum, Academiarum, Lyceorum, scholarum catholicarum, atque uti talem ab omnibus haberi, coli, atque observari volumus, ita tamen ut sanctis caelitibus, quos iam Academiae aut Lycea sibi forte patronos singulares delegerint, suus honos suusque gradus etiam in posterum permanere intelligatur.

Datum Romae apud s. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV Augusti MDCCCLXXX Pontificatus Nostri anno Tertio.

THEODULPHUS CARD. MERTEL.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DISMEMBRATIONIS ET IURIS SACRAS PERAGENDI FUNCTIONES

Diebus 26 Aprilis et 20 Decembris 1879.

Compendium Facti. In civitate M Dioecesi N duae erant paroeciae altera s. Georgii altera s. Petri, utraque a saeculo decimoseptimo ineunte Collegiali Capitulo decorata, cum tribus suffraganeis, in quibus per capellanos, quos vocant sacramentales, parochialis cura commodius ac utilius geritur. Ecclesia s. Georgio dicata, utpote antiquior, (nam a saeculo duodecimo inter Ecclesias s. Sedi Apostolicae immediate subiectas recensetur) Matricis titulo insignis, iurisdictionem exercebat super totam civitatem M, quam ei confirmavit anno 1636 S. Rituum Congregatio per sollemnes resiudicatas dierum 24 Maii et 6 Septembris 1636, Pontifex autem Innocentius XI sancivit Litteris Apostolicis - *Alias emanarunt* - editis sub die 4 Iunii 1689, contradicente s. Petri Capitulo, quod ea privilegia ac ipsum Matricis titulum impugnaverat: Sed cum a perturbationibus haud abstinuissent s. Petri Capitulares, et populares factiones seditionesque in aevum producerentur, anno 1757 volvente, saecularis potestas rebus Ecclesiae sese immiscens, quin potius Litterarum Apostolicarum observantiam indiceret ac tueretur, decreto ad hoc edito, etiam s. Petri Collegiatae Matricis titulum tribuit, eamque absolute independentem a s. Georgii Ecclesia fecit, utrique proprium territorium constituens, limitibus deserpitis interceptum.

Per istam civitatis divisionem, a functionibus peragendis extra proprium districtum abstinere debuerunt s. Georgii Canonici: mansit sed utrique Capitulo ius se statis diebus ad proprias filiales Ecclesias conferendi ut functiones peragerent, prouti ab utriusque Collegiatae erectione in usu erat. Ita perfectum quodammodo aequilibrium inter aemulas Collegiatas se instaurasse rata est saecularis potestas, et cuiuslibet perturbationis occasionem in futurum removisse.

Ast Collegiatae s. Georgii ius ad functiones peragendas acriter inficiabantur administratores (qui et oeconomi vel procuratores vocabantur) temporalium bonorum Ecclesiae s. Ioannis, quae una ex filiabus erat eiusdem Ecclesiae Collegiatae s. Georgii, et anno 1599 per Episcopales Litteras fuerat in suffraganeam erecta. Licet enim huiusmodi oeconomi, omnibus in civitatis M Ecclesiis existerent ad temporalium bonorum administrationem gerendam, et duarum Collegiatarum Capitulis ius competeret eos etiam inter laicos eligendi, et cuique filiali Ecclesiae praeponendi; tamen isti qui Ecclesiae. s. Ioannis bona administrabant, cum de clero essent, bellum Capitulo s. Georgii indicere ceperunt. Itaque primo ius electionis absolutum Capitulo detrectare, dein anno 1660 volvente, conventione cum eo inita, ius obtinere valuerunt per triennium successores sibi eligendi a Capituli Praeposito approbandos: tandem absolute opponi ne Capitulum, vel eius pars, statis diebus ius exerceret functiones peragendi in Ecclesia s. Ioannis, foedere ad hoc inito cum Capellanis in eadem Ecclesia, a Capituli Praeposito deputatis. Et licet eos constanter damnassent uno ore Episcopi et saecularis potestas, ab instituto non destiterunt; anno 1824 canonicalibus stallis in eadem Ecclesia proprio marte constructis, capitulari more sese gerere, et factionibus popularibus scandalisque excitatis, armaria quandoque claudendo ne paramenta aliaeque sacrae supellectiles in promptu essent, quandoque tintinnabulis mallia auferendo, quandoque organa vitiando, praesertim solemnioribus diebus, ab Ecclesia quam suam dicebant, Capitulum arcere studuerunt.

Obstitit illis praedecessorum suorum vestigiis inhaerens po-

stremus omnium Episcopus N. qui anno 1874 in discursu s. Visitationis decreto constituerat:

1. Praeposito Capituli s. Georgii ius competere sacramenta ministrandi vel per se vel per Capellanos ad hoc deputandos et ab Episcopo approbandos:

2. Eidem Praeposito, utpote primae Capituli dignitati, ius pertinere functiones peragendi in solemnitatibus quae de iure parochiali non essent: et prima dignitate absente, ius ad secundam transire. Hisce in solemnitatibus in quibus unus de Capitulo functiones peragit, ius interventus integro Capitulo competere.

3. Capellanos dependenter a Praeposito Sacramentorum administrationi incumbere debere.

4. Oeconomis seu procuratoribus nudam competere bonorum administrationem, cuius rationum redditionem Praeposito adprobandam, quotannis ostendere debent.

Cum vero per huiusmodi decretum clausa tergiversationibus via esset, administratores anno 1875 Ecclesiam s. Ioannis a iurisdictione Matricis subtrahere nisi sunt, oblatis s. Congregationi Concilii precibus pro eiusdem paroeciae dismembratione; sed Episcopi informatione contraria petitioni recepta, s. Congregatio die 8 Maii 1875 rescripsit *non expedire*.

Accidit interea ut Episcopali ab Sede N. ad Metropolitanam S. eveheretur qui tali modo omnia disposuerat: et in contrariam prorsus sententiam iret qui ei Successor Dioecesi N. regendae datus est. Hic nonnisi per substantialem rerum mutationem pacem in civitate M. duraturam obtineri posse pro certo tenens, et Capitulo prohibendum esse duxit ne ad Ecclesiam hanc filialem functiones celebrandi causa accederet, salvo eidem iure in petitorio ius suum ostendendi; et eiusdem Ecclesiae dismembrationem esse promovendam. Itaque iteratis a s. Ioannis oeconomis precibus pro dismembratione obtinenda, Episcopo eas in sua informatione et voto commendante, causam *in folio* poni iussit s. Congregatio.

Ex alia parte Capitulum s. Georgii, contra Episcopum, qui iuris peragendi functiones exercitium praepediverat, idem ius

sibi competere decerni postulavit. Et haec quoque causa per decretum *uniatur* alteri super dismembratione coniuncta est. Ita binae propositae sunt s. Congregationi dirimendae quaestiones, altera super dismembratione cuius actores erant administratores Ecclesiae s. Ioannis, altera super iure peragendi sacras functiones, quam Capitulum s. Georgii promoverat.

Disceptatio synoptica.

QUAE AB ADMINISTRATORIBUS AFFEREBANTUR PRO DISMEMBRATIONE. Quinque praecipue dismembrationis causae enumeratae sunt. 1. Distantia et difficultas ad paroecialem Ecclesiam accedendi. 2. Nimia populi celebritas. 3. Insufficientia et socordia capellanorum. 4. Antipathia inter populum s. Ioannis et s. Georgii fideles existens. 5. Redituum Ecclesiae in parochialem erigendae pinguedo.

Primam causam dismembrationis aperte indicari a s. Tridentina Synodo *Cap. 4 Sess. 21 de reform.* ubi statuit novas parochias etiam invitis rectoribus esse erigendas illis in locis *in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt.* – Huic dispositioni inhaerentem s. Concilii Congregationem pluries paroeciarum dismembrationes decrevisse, et praesertim in recentissimis causis *Laquedonien. 16 Decembris 1876 et 19 Maii 1877*, et in *Ianuen. Dismembrationis Paroeciae 25 Ianuarii 1879.* Hanc in themate causam haberi ostendere ipsas Litteras Episcopales quibus anno 1599 s. Ioannis Ecclesia in Matricis suffraganeam erecta est, quae distantiam Ecclesiae s. Ioannis a Matrice, et accessus difficultatem inter eiusdem erectionis motiva reposuit. Talibus existentibus causis per cappellanos suppleri non posse: monere namque *Ursaya discept. Eccles. tom. 1 part. 1 disc. 14 n. 95 et seqq.* – *Quotiescumque paroeciae amplitudo et respective loci distantia, torrentium excrescentia, itineris asperitas supradictorum inconvenientium productiva talis ac tanta est, ut oves faciem pastoris non de facili videant, neque pastor oves frequenter*

cognoscere, et personaliter ac quotidie visitare valeat, talisque sit provisio, prout in casu nostro, ut antiquae Ecclesiae Matricis dignitas non vilescat ac nova filialis congrue dotetur; tunc omnino ad dismembrationem, non autem ad deputationem capellanorum deveniri debet.

Quoad populi celebritatem, tenendum esse cum *Maupied Com. iur. can. vol. 1 pag. 1244 quod in iis parochiis in quibus numerus parochianorum ita exorbitanter auctus est, ut ad viginti millia, triginta millia, et amplius pertingat.....certe.... adest causa necessaria dismembrationis et erectionis novarum parochiarum :* ea praesertim de causa, quia in tanto incolarum numero, nedum difficultas sed impossibilitas habetur sacramenta ministrandi. Hanc quoque ob causam saepius S. C. dismembrationes decrevisse, et etiam in memorata recenti *Ianuen. Dismembrationis*. Notum namque esse Summum Pontificem Pium VI fel. rec. in Apostolicis Litteris diei 10 Martii 1791 graviter questum fuisse, quod uni parocho in Gallia lex civilis sex millium animarum curam concredidisset, etsi lex ipsa vicarios haud excluderet : et alium Pontificem Summum Leonem XII in *Constit. Super universam*, sola populi amplitudine motum, novam paroeciarum circumscriptionem in urbe Roma decrevisse. In casu agi de civitate quam Episcopus asserit quadraginta civium millibus constare, quorum vigintiquatuor mille ad s. Georgii paroeciam, pertinent.

Praesertim vero, iuxta Episcopi informationem et votum, dismembrationem ex hoc capite necessariam fieri, ad aequilibrium inter unam et alteram Collegiatam instaurandum: cum enim habeat paroecia s. Petri sexdecim tantum animarum mille, ei praevalere paroeciam S. Georgii, quae e contra ad aequalitatem reduceretur si novem mille civibus privaretur Ecclesiae s. Ioannis in paroeciam erectae adscribendis.

Tertium pro dismembratione argumentum convalidabat administratorum orator, allatis S. C. resolutionibus, quibus planum fit, ab aula recessisse veterum Canonistarum theoriam quae habebat; paroeciarum dismembrationem minime esse concedendam si animarum bono per Capellanos succurri possit. Certum namque

esse, quod Cappellani cum sint minus practici et etiam minoris aestimationis, ea omnia praestare nequeunt quae proprius parochus praestat. Rationem praevalentiae huius opinionis penes s. Concilii Congregationem esse, quod magis cohaereat Tridentinae dispositioni *sess. 24. cap. 13 de reform.* Etenim parochum proprium melius oves suas agnoscere ac tueri quam Capellanum, qui mercenario Evangelii aequiparari potest, oves tamquam suas non agnoscenti. In facto vero haberi eos qui Capellanorum officio in civitate M. funguntur, vix tales esse, qui confessionibus fidelium recipiendis approbari valeant: et data occasione vere mercenarios sese ostendisse.

Quartam petitae dismembrationis causam sumebat orator, ex diuturnis quaestionibus quae inter s. Ioannis et s. Georgii clerum semper, sed nostro hoc tempore acrius flagraverunt, quarum populus et testis et particeps fit, cum bonorum scandalo, et Ecclesiae Dei hostium exultatione. Ideo non presbyteros tantum s. Ioannis Ecclesiae mancipatos, sed et laicos dismembrationem postulasse. Iustam ex hoc causam dismembrationis haberi docere *Fagnan. in casu ad Aud. de Eccles. aedif. num. 19.*

Petitam dismembrationem necessariam quinto loco facere redituum abundantiam quibus s. Ioannis Ecclesia gaudet. Etenim in *cap. 3 de Eccles. aedif.* Alexandrum III praecipere ut ubi Ecclesia reditibus abundat, *Ecclesiam ibi aedifices: et in ea sacerdotem, sublato appellationis obstaculo..... institutas.* In casu de redituum Ecclesiae s. Ioannis abundantia ambigi nequire: Siquidem annuum reditum Ecclesiae haberi in summa libellarum 5637: 21, cui addendi sunt alii reditus cuiusdam pii operis C. in libellis 1827: 41 unde in totum colligi summam libellarum 7764: 62. Sed missis etiam pii operis reditibus, cum Ecclesiae expensae ordinariae sint libellarum 2014: 45 his subductis a libellis 5737: 21, adhuc superesse pro congrua libellas 3722: 76.

Adiiciebat postremo loco administratorum orator, non modo necessarium sed urgens esse per petitam Ecclesiae in paroeciam erectionem providere, ne eiusdem Ecclesiae bona regio

quod vocant dominio addicerentur, cuius ad instantian. lis penes supremum Italicae Signaturae Tribunal pendebat. Huiusmodi urgentiam ex eo quoque ostendi, quod haereticorum nisus in dies crescerent, quorum opera templum fuerat apertum.

EORUMDEM ADMINISTRATORUM ARGUMENTA CONTRA IUS SACRAS PERAGENDI FUNCTIONES. Eorum orator contendebat: hoc ius nonnisi ex habitualitate curae animarum Capitulum s. Georgii sibi vindicare posse. Habitualem vero curam in casu deesse omnino, quia in Bulla erectionis Ecclesiae s. Georgii in Collegiatam dictum fuerat a Summo Pontifice Urbano VIII in Ecclesia s. Georgii « Praepositum......... omnia onera parochialia » supportare, et Capellanos et ministrantes eum adiuvantes, » prout Rector qui suo tempore fuit ipsius Ecclesiae s. Geor- » gii hactenus facere prout solitus fuit manutenere, te- » neatur ». Neque in Ecclesia s. Georgii Parochum qua Capituli Vicarium constitutum inveniri; quod cum accidit habitualis cura Collegio adscribitur.

A iure autem devium non esse Ecclesiam aliquam curatam in Collegiatam erigi et curam *remanere penes parochum* prout antea erat, *non autem in collegium vel dignitatem transferri, teste Ferraris* in *Biblioth. Verb. Collegiata num. 75.* Et dato etiam quod cura habitualis penes Capitulum esset, nunquam posset parochialia iura invadere. Unde s. Congregatio Concilii in *Baren. 26 Iulii 1756* cum quaereretur – *an supra enunciati actus seu functiones quatenus spectent privative ad Archipresbyterum, eo absente vel impedito expleri valeant ab eius substituto etiam non Canonico in casu; affirmative,* respondit.

Ceterum rem absolvere, quod hoc iure peragendi functiones frui nequeat Capitulum, neque ordinaria potestate neque privilegiata. Non ordinaria, quia etiam parochi ius ad functiones extra propriam Ecclesiam agendas non extenditur: prouti s. Rituum Congregatio definivit in decretis Urbis et Orbis anni 1703: non privilegiata quia privilegium non praesumitur: ad monitum eiusdem s. Rituum Congregationis diei *4 Maii 1857* quod habet: – *Quodcumque privilegium ad augendum insignium quarumdam*

Ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede dignitatibus Canonicis..... concessum, utpote laesivum Dignitati Episcopali de iure strictissime est interpretandum : quamobrem, nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud quod speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad aliâ, quae singillatim descripta non fuerint. »

Argumenta Capituli s. Georgii. Cum primum causa istaec die 26 Aprilis plenae Congregationi proposita fuit, ex parte Capituli s. Georgii praeiudiciali exceptione excitata de carentia legitimae personae standi in iudicio, actio denegabatur administratoribus Ecclesiae sancti Ioannis. Exceptionis fundamentum ponebat in iuris axiomate *interesse non habens audiendus non est (De Luca de Donat. disc. 2 n. 19)*. Cum enim preces pro dismembratione quae iudicio causam dederant a procuratoribus oblatae fuissent, inspecta autem eorum qualitate hi nec paroeciam neque Ecclesiam repraesentarent, sed unice temporalium bonorum administrationem, planum esse, aiebat Capitulum, eos nihil commune habere neque cum Ecclesia neque cum paroecia, quae ad Praepositum et ad Capitulum pertinet.

Novum huic argumento robur adiiciebatur ex eo quod, ceu Capitulum contendebat, actuales procuratores qui iudicium instituerunt, nec tales in facto haberi possent, quia iuxta transactionem anni 1660 nequirent administrationem suscipere, nisi a Praeposito suae nominationis approbationem quaererent: hanc vero nullimode petiisse qui anno 1877 fuerant a praedecessoribus tamquam successores designati: et nonnisi ex abusu eos rei Ecclesiae s. Ioannis gerendae operam dedisse.

His iisdem de causis procuratores legitima carere persona standi in iudicio quoad quaestionem de iure peragendi sacras functiones, cum illi tantum qui Ecclesiam in spiritualibus repraehesentant functionibus interesse valeant. Procuratores nonnisi accidentaliter inter Sacerdotes fuisse electos, cum nihil impediret quominus et inter laicos eligi possent. Tandem hac in quaestione non contra administratores, sed contra Episcopum, qui ius Capituli inficiabatur, iudicium fuisse institutum.

His adductis rationibus Capitulum, a quaestionibus in merito

pertractandis abstinebat, dilationem postulans, si Patres Eminentissimi satis in his non haberi putarent unde procuratores repellerent.

Utraque causa ita a partibus pertractata, proposita fuere resolvenda

Dubia

I. *An sit locus dismembrationi paroeciae in casu.*

II. *An constet de iure peragendi sacras functiones in Ecclesia s. Ioannis Baptistae in casu.*

Resolutio. S. Concilii Congregatio die 26 Aprilis 1879 respondit.

Ad I. *Affirmative*

Ad II. *Sacras functiones a Capitulo peragendas non esse.*

Causae Prosequutio.

Capitulum s. Georgii novae audientiae beneficio impetrato, certamen funditus instaurabat super utraque quaestione, seorsim et contra dismembrationem et pro iure sacras peragendi functiones tractatione instituta.

Contra dismembrationem triplici capite divisam orationem proponebat, quorum in primo argumenta ipsa ab adversariis allata quovis robore destitui ostendendum aggrediebatur. Etenim cum in casu a facto ad ius arguere adversarii debuissent, et facta documentis probare, documenta attendi non posse aiebat quae pars contendens sibi ipsi ad commodum paraverat, ex notissimo iuris principio, quod - *nemo simul actor et testis esse possit.* - Iamvero ex Episcopi declaratione, ex interventu in causam cuiusdam Confraternitatis, ex solidali scopo quo s. Ioannis procuratores cum aemulo Capitulo s. Petri iungebantur, hos omnes in causa actores esse; eorumque attestationibus et narrationibus pro rei opportunitate conditis, probationes ex adverso allatas omnes confici demonstrabat: et concludebat, huiusmodi probationes tantum valere potuisse quantum fidei testes promerebantur, quae cum nulla esset ob actorum personam qua induebantur, sequi, et ipsas probationes nullo modo consistere posse. et pro non existentibus habendas esse.

Latius extendebatur secundum caput, quo, dato et non concesso, posse procuratores Ecclesiae s. Ioannis documentis uti ad acta exhibitis, argumenta quae inde hausta sunt se destructurum pollicebatur Capitulum, demonstrando; vel dismembrationis causas in iure recensitas nihil cum subiecta materia commune habere, vel intrinseca falsitate laborare, quae in attestationibus, quibus adversum summarium fere ex integro constabat, pro veris narrata sunt.

Itaque primo procuratorum argumento respondens, dismembrationis causam ex distantia et accessus difficultate promanantem, a casu alienissimam ostendebat, quia de hac sermo fieri solet cum ad paroeciam accedere coguntur fideles, ut sacramenta percipiant et divina audiant officia. Hanc fuisse sacrosancti Tridentini Concilii mentem in *Cap. 4 ses. 21 de reform.* In casu nullam existere necessitatem Collegiatam s. Georgii adeundi; cum omnia ad parochialem spectantia in ipsa Ecclesia s. Ioannis inveniantur ab anno 1599, cum primum Episcopus O. Eam suffraganeam Matricis constituit. Sane in Ea et sacramenta ministrari fidelibus, et Evangelium praedicari, et olea sancta servari, et functiones quamplurimas celebrari, ex ipsis eiusdem Ecclesiae administrationis libris ad acta exhibitis probari. Quapropter remota quavis occasione ad Matricem s. Georgii Ecclesiam accedendi, absonum omnino esse quod distantia et accessus difficultas in medium proferrentur.

Celebritatem populi non ita numerice magnam esse ac eam Episcopus una cum procuratoribus proprio marte asserebant; ex municipalibus aeque ac ex ecclesiasticis animarum descriptionibus erui. Huiusmodi celebritatem non numerice ab Episcopo opponi, sed ut per dismembrationem aequilibrium aemulas inter Ecclesias s. Petri et s. Georgii obtineretur. Atqui omnia e contra ostendere, per dismembrationem propositam aequilibrium reapse existens turbari: nam quae minor est et esse debet Collegiata Ecclesia s. Petri maior fieret, et numerice alteri praevaleret, et dum haec tres super suffraganeas iurisdictionem suam servaret, Ecclesia s. Georgii duas tantum suffraganeas haberet. Hoc facto magnam insignis Matricis depressionem orituram, quam

avertendam esse monent ipsi auctores ex adverso citati. Nam *Ursaya discept. Eccles. tom. 1 par. 1 Disc. 14 n. 95 et seqq.* monet: tunc esse ad dismembrationem deveniendum cum *antiquae Ecclesiae Matricis dignitas non vilescat.* Ergo contra Episcopum et procuratores argumentum converti, cum non aequilibrium, sed aequilibrii perturbatio ex dismembratione oriretur.

Ex demonstrata Ecclesiae s. Georgii constitutione nec non ex Capellanorum nominibus, quorum plerique de procuratorum coetu fuerunt, animarum perniciem et ipsorum capellanorum, ignorantiam respuebat. Cum enim Episcopus procuratores undequaque commendasset, fieri non potuisse ut et capellanos una simul haud commendaret qui de procuratorum coetu vel fuerunt vel sunt adhuc. Attestationibus eos omnes ad confessiones audiendas habiles esse evincebat; quosdam vero et verbo Dei praedicando insignes. Facta ad eorum socordiam probandam ex adverso edita undique falsitate laborare, ac eo usque spiritu partium ductos administratores fuisse, ut ad sine sacramentis mortuos quaerendos, etiam vivos inter mortuos numeraverint.

Populi antipathiam tantum in mente procuratorum Ecclesiae s. Ioannis existere, qui sacerdotali charactere insignes, nulli non pepercerunt artificio ut scandala fidelium oculis subiicerentur, atque ut factiones exurgerent. Non enim populum paramenta abscondisse, mallea tintinnabulis abstulisse, organa vitiasse, sed procuratores; ut Capitulum s. Georgii a functionibus peragendis arcerent.

Ceterum quae gravissima omnium est pro dismembrationibus impetrandis, et omnibus praeire debet congruae existentia, hanc desiderari omnino in casu. Nam ipsis libris administrationis redituum Ecclesiae s. Ioannis, ostendi: eiusdem Ecclesiae reditus comprehensis pii operis C. contributionibus (quae annuas libellas 150 haud excedunt) reditus haberi in media pro summa libellarum 5612: 94, expensas in libellis 5712: 75 ideoque exitum excedere pro summa annua libellarum 99:87. Quapropter vel Missas, vel onera, vel pensiones, vel cultum, vel variabiles expensas minui oportere, vel congruae inveniendae nuncium

mittere, quae in annuis libellis 850 ad minus esset constituenda.

Periculum bonis Ecclesiae s. Ioannis imminens ob iudicii coram civili signatura pendentiam, inter somnia esse relegandum; cum a die 21 Aprilis, antequam causa primum coram S. C. proponeretur, sententia prodiisset procuratorum votis omnino consona. Haereticorum templa in procuratorum mentibus extitisse, aeque ac populi desiderium novam habendi paroeciam; cum e contra s. Ioannis fideles fere omnes protestati fuerint se nolle a paroecia s. Georgii dismembrari, ne immediatae sancti Georgii totius civitatis M patroni praecipui protectioni subtraherentur.

Tertio in capite mala ex dismembratione oritura enumerabat Capitulum: quae sunt Collegiatae moralis materialisque depressio, tertiae matricis erectio; et in ea, novarum dissentionum ac scandalorum fomites in dies crescentes. Etenim indubium esse, suppressis per Italicam legem Collegiatis, ad servandum Matricis suae honorem et s. Georgii Patroni sui primatum, praesbyteros inveniri qui insignis Collegiatae clero cooptari exoptent: sed hac depressa, et presbyterorum animos deprimi, squaloris Ecclesiae suae participes effectos. Huic rationi accedere proventuum quorumdam amissionem quae certissima ex libris deprehenditur.

Tertiae Matricis existentiam indubie esse expectandam: quia authonomam s. Ioannis paroeciam privilegiis illis omnibus frui debere procul dubio clamabunt s. Ioannis procuratores et parochus, ac alia fruitur paroecia s. Petri quae ex abusu et vi promotarum factionum, saeculari a potestate Matricis titulum sumpsit: quaeque potissima consilia ac adiumenta s. Ioannis procuratoribus praestitit ad victoriam iisdem comparandam. Nam aemulae maioris Collegiatae cladem, in proprium triumphum converti.

Haec omnia evincere: casum omnino diversum proponi ac illum causae *Ianuen. dismembrationis 25 Ianuarii 1879*. « Siqui-
» dem hac in causa de civitate agebatur ita ad Aquilonem longe
» lateque amplificata, ut ex novis viis novarumque extructione
» domorum nova civitas antiquae addita videretur » deque di-

smembratione attenta vera populi frequentia et accessus difficultate, nam populus reapse creverat, et ob civitatis amplificationem quidam longe a parochiali templo distabant: agebatur de populi voto excipiendo, nec non de vere erectis templis haereticorum novas inter domos, deque nova funditus aedificata aere collato magna Ecclesia Deiparae Immaculatae dicata, in qua congrua constituebatur ab Episcopo ad paroeciam in ea instituendam. Iamvero nihil huiusmodi in casu haberi ex demonstratis constare: immo contrarium omnino, attentis loci circumstantiis et fidelium animis.

Concludebat itaque Capitulum, perditam operam se facturum si de iuris principiis casui aptandis disputaret. Ius enim omnibus notum esse in huiusmodi causis applicandum praesertim hoc nostro tempore, quo dismembrationes maximo favore excipiuntur. Sed factis casum a casu ita diversum exhiberi, ut quae dismembrationes communiter opportunae atque salutares recensentur, inopportunae quandoque ac etiam perniciosae futurae sint. Talem esse, attentis temporis, et loci circumstantiis petitam a procuratoribus dismembrationem, ut utilitate nulla foveatur, et perniciem potius allaturam fore appareat.

Pro iure sacras peragendi functiones, triplici quoque argumentatione utebatur Capitulum. Ostendebat primo ius quod sibi vindicat, validissimum fulcrum habere in decretis s. Congregationis Rituum editis diebus 24 Maii et 6 Septembris 1636. Cum enim sacra Congregatio die 24 Maii declaravisset *Ecclesiam s. Georgii civitatis M. esse Collegiatam insignem et Matricem, eique uti tali deberi praecedentiam et praeeminentiam super omnes alias Ecclesias eiusdem civitatis* et die 6 Septembris eadem sacra Congregatio, pro bono pacis, enumeravisset quaenam essent eiusmodi praeeminentiae, et sub numero *sexto* aperte expressisset *quod accedente clero s. Georgii ad Ecclesiam s. Petri pro exercenda publica functione, spectet et pertineat ad Praepositum s. Georgii et hoc casu praecedentiam deberi eidem clero s. Georgii;* cumque Litteris Apostolicis diei 4 Iunii 1689 Summus Pontifex Innocentius XI haec eadem decreta confirmasset; iam ambigi amplius nequire de iure Capituli s. Geor-

gii pro exercendis functionibus. Orta tali ac tam sollemni reiudicata, non amplius quaeri an male vel bene fuerit iudicatum, sed an fuerit iudicatum: quod cum constet, remiudicatam pro iure habendam esse.

Atque hoc loco monebat Capitulum, etiam hisce non existentibus decretis, haud arduum sibi futurum fuisse evincere hoc se iure pollere, quia in Bulla qua in Matrici Parochiali Ecclesia s. Georgii Collegiatam erexit, verba adhibuit Summus Pontifex Urbanus VIII « titulum collativum, denominationem » naturam et essentiam Parochialis Ecclesiae...Auctoritate No» stra perpetuo supprimas et extinguas, ipsamque Ecclesiam in » saecularem et collegiatam insignem..... et in ea unum Prae» positum quae prima et principalis dignitas etc..... erigas et » instituas » et quia Capitulo assignavit « fructus reditus et » proventus iura obventiones et emolumenta universa tam certa » quam incerta etiam ratione exercitii curae animarum, lucrifieri » et percipi solita, ac ex pede altaris provenientia, nec non » etiam omnia et singula census reditus et bona..... similiter » perpetuo applices et appropries..... ita quod..... Praepositus » intuitu exercitii et oneris curae animarum illi incumbentis, » huiusmodi duas, quilibet vero ex reliquis Dignitates obtinen» tibus ac Canonicis unam aequalem portionem omnes singuli » habeant. »

Data in facto Parochialis Ecclesiae suppressione, et loco eius Collegiatae erectione, data fructuum perceptione universo Capitulari Collegio attributa, applicandum esse illud Pignatellii *(Consul. Eccles. TOM. IX consult. 169 num. 9 et seq.)* (1) qui

(1) Auctor loc. cit. ita se habet. - His tamen minime obstantibus tenendum est hujusmodi curam saltem habitualem, illiusque titulum residere apud Capitulum, actualem vero apud Archipresbyterum. Probatur primo ex ipsa erectione parochialis Ecclesiae in collegiatam, in qua instituti fuerunt unus Archipresbyter principalis Dignitas, qui curam animarum per se ipsum exercere deberet, duodecim Canonici qui una cum ipso Archipresbytero Capitulum eiusdem Ecclesiae Collegiatae constituerunt. Unde sequitur curam animarum, quae residebat penes Ecclesiam Parochialem esse in proprietate ac titulo apud eamdem Ecclesiam erectam in Collegiatam, illiusque Capitulum, quod constituitur ex Archipresbytero et Canonicis. Rom cons. 325 n. 2 et Gabriel cons. 199 n. 7 lib. 2. Deinde quia in Bulla erectionis Collegiatae disponitur, quod cura debet exerceri per

auctoritati innixus aliorum auctorum tradit: talibus in rerum adiunctis, habitualem curam, penes Capitulum residere. Iamvero si Capitulo ea quae Ecclesiae sunt et paroeciae privilegia competunt, cum ad Ecclesiam spectet praeeminentia et praecedentia super omnes alias ecclesias eiusdem civitatis, et Capitulo easdem praeeminentias et praecedentias spectare deducendum esse.

Verum haec argumenta ad abundantiam afferri: siquidem in decretis s. Rituum Congregationis et Litteris Innocentii XI aperte dictum fuerit. *Ecclesiam s. Georgii esse Collegiatam insignem et matricem eique – uti tali – deberi praecedentiam et*

Archipresbyterum. Quod demonstrat proprietatem curae residere apud Capitulum, illiusque exercitium et curam actualem penes Archipresbyterum Lott. d. lib. 1. qu. 14. n. 101 ac seq. Rota dec 316. p. 4 to. 2. Rec. Et Archipresbyterum exercere curam uti ministrum Capituli et Collegii Gabriel loc. cit. num. 10 A.

Ad hoc quia in Bulla erectionis assignantur Archipresbytero ex fructibus et bonis Ecclesiae in Collegiatam erigendae annua scuta centum, reliqua vero omnia et singula ejusdem Ecclesiae fructus redditus proventus, jura obventiones et emolumenta, census possessiones proprietates ac bona quaecumque et qualiacumque mensae Capitulari pro canonicatuum et praebendarum dote applicavit. Ex hac autem dispositione etiam infertur curam habitualem residere penes Capitulum. Barbos. ad Conc. Trid. Sess. 24 de Ref. c. 4 n. 22 Cavaler dec. 595 n. 2 et 3 et dec. 289. n. 2 Rota dec. 202 n. 10 p. 1 Rec. et dec. 204 n. 2. p. 2. et fuit declaratum a S. Congr. Concilii in Coimbricensi 14 Novembris 1646.

Postremo quia cum assignata fuerit Archipresbytero dicta portio et caeteri omnes fructus, praesertim decimae primitiae oblationes percipiantur a Capitulo; signum est indubitatum quod penes Capitulum resideat cura habitualis, illiusque proprietas et titulus. Abb. in c. pastor n. 2. de his quae fiunt a Prael. Lott. d. l. 1 q. 20 n. 126. –

Idem auctor §. 13 ad 15 – Non obstat quod in Bulla erectionis non legatur Canonicis fuisse unitam et assignatam curam animarum. Quia satis apparet curam animarum Ecclesiae Parochialis erectae in Collegiatam fuisse translatam in ipsam Collegiatam exercendam ab Archipresbytero. Unde cum Ecclesia Collegiata constituatur ab ipso Collegio et Capitulo, sitque cum ipsa individua et inseparabilis, sequitur manifeste curam animarum respectu proprietatis residere apud solum Collegium et Capitulum quod constituit ipsam Ecclesiam Collegiatam: exercitium dumtaxat remanere penes Archipresbyterum. Ac ita ut ne quidem relevaret si in provisionibus obtentis a Sede Apostolica huiusmodi Archipresbyteratus, legatur Archipresbyteratui imminere curam animarum. Quia est narrativa provisionum, quae non debet praeiudicare Capitulo: et in omnem eventum esset intelligendum de cura actuali, remanente habituali apud Capitulum. Ut per Duran. dec. 214 n. 5. seq. ac Rot. dec. 376 n. 9 p. 4 tom. 2 ac dec. 445 n. 9 et 10 p. 5 et in Romana Jurium Parochialium 4 Decembris 1651 cor. Celso.

praeeminentiam super omnes alias Collegiatas eiusdem civitatis. Per haec namque verba privilegia Ecclesiae s. Georgii competentia dicta esse, *uti Collegiatae Insigni* et *Matrici*, independenter a cura vel actuali vel habituali. Neque privilegiorum exercitium ad unum Archipresbyterum coarctari: etenim in *articulo secundo* processionem Corporis Christi respiciente dictum inveniri: delationem Corporis Christi spectare *ad Praepositum s. Georgii uti primam dignitatem, et eo absente, ad aliam dignitatem eiusdem Matricis ordine successivo.*

Multominus obiici posse quae inter Capitula s. Petri et s. Georgii iudicialiter acta sunt, ad alias Ecclesias non extendi; etenim si talibus fruebatur privilegiis et functiones peragendi iure in aemula Collegiata et paroecia authonoma s. Georgii Capitulum, eo fortius tenendum esse hoc iure ipsum pollere quoad Ecclesiam filialem suffraganeam ac omnino ab ipsa Matrice dependentem, qualis ab antiquis usque temporibus fuerat s. Ioannis Ecclesia.

Hisce etiam missis, ius Capituli pro functionibus peragendis in Ecclesiis filiabus, ostendi absolute contendebat, consuetudine ab immemorabili existente undique documentis apertissimis probata, contra quam nihil unquam potuerunt procuratorum turbativae: cum omnes Ecclesiasticae etiam potestatis sententiae, unanimes Capituli ius, s. Ioannis procuratoribus contradicentibus confirmaverint. Postremum omnium esse Decretum Episcopi N. actualis praedecessoris in discursu visitationis anno 1874 editum. Thesim confirmare etiam documenta ex adverso allata, ad ostendendum quot et quantis reclamationibus causam dederit ius hoc peragendi functiones; reclamationes, enim omnes pertinaciam procuratorum eorumque attentata, Canonicorum vero ius ac possessionem in aperto ponere.

Ipsam aequilibrii legem ab Episcopo contra Capitulum invocatam, eiusdem iuris manutentionem suadere; nam cum Capitulum s. Petri in omnibus suffraganeis suis et filiabus eiusmodi iure utatur; necesse esse ut non minoribus polleat facultatibus Capitulum, cuius privilegia saeculare brachium minuit,

sed coram Ecclesia eadem semper tenenda sunt ac Pontifex Innocentius XI sancivit.

Ceterum observantiam, quae, per se solam meliorem de mundo titulum supplet, invincibilem fieri, quoties titulo solidissimo innitatur. Iamvero in casu resiudicatas s. Rituum Congregationis et Bullam Innocentii XI observantiae fundamentum praebere quo validius nullum.

Tertio loco allata est resiudicata Ecclesiastici iudicis in subiecta materia edita anno 1634; qua explicatum est dictionem *propriam Ecclesiam s. Georgii* ad omnes eius filiales extendi debuisse, ideoque, omnia quae in propria s. Georgii Ecclesia fieri poterant, et in omnibus aliis filiabus Ecclesiis fieri potuisse. Quamobrem decidere in casu argumentum quod Episcopus tamquam potissimum contra ius peragendi functiones attulerat, asserendo functiones in alienis Ecclesiis non esse peragendas. Etenim quod ius sibi vindicavit s. Georgii Capitulum, non alienas sed proprias Matricis Ecclesias respiciebat; proprias quidem in sensu iuris et in facto: cum constet saeculo XII unam s. Georgii Ecclesiam civitatis M. sub B. Petri et Sedis Apostolicae protectione immediata susceptam fuisse, ceteras autem omnes alias Ecclesias eiusdem civitatis, illi uni subiectas mansisse: et nonnisi ab anno 1504 in s. Petri Ecclesia paroeciam existere cepisse.

His aliisque fuso calamo a Capitulo adductis (quae tamen omitti posse duximus) Eminentissimis Patribus pro duplici primorum dubiorum ordine, *bis* eadem dubitandi formula proposita est

IN PRIMO ET SECUNDO DUBIO

An sit standum vel recedendum a decisis in casu. Ipsi autem in generalibus comitiis diei 20 Decembris 1879 responsa dederunt:

Ad I. In decisis et amplius; firma obligatione Episcopi constituendi securam congruam Parocho, impositoque eidem Parocho onere praesentandi Ecclesiae s. Georgii in festo Titularis ac Patroni Principalis M cereum trium librarum in signum matricitatis.

Ad II. In decisis et amplius.

Quibus omnibus inspectis

COLLIGERE POTERIS:

I. Distantiam et difficultatem ad parochialem Ecclesiam accedendi nec non nimiam populi frequentiam inter causas dismembrationum praecipuas recenseri.

II. Dismembrationum favorem maximum in praesenti haberi in causis dismembrationis alicuius paroeciae, cui fundamentum praestat Tridentina Synodus *Sess. 21 Cap. 4 de reformatione.*

III. Nec satis validum obicem parari per capellanos animarum curae satis consultum esse; etenim capellanis praevalere parochos fidelium proprios, qui oves suas cognoscere, eisque melius ac opportunius adesse valent.

IV. Verum in dismembrationibus decernendis, parochi substentationi potissime esse consulendum per congruae constitutionem, sine qua novae paroeciae erectioni locus fieri nequit ex eodem Tridentini *Cap. 4 Sess. 21. de reformatione.*

V. Congruam pro non existenti habendam esse nisi sit undequaque secura. (1)

(1) Cum notum nobis sit, per rescriptum diei 28 Junii anni currentis, ad instantiam Capituli s. Georgii, quatuor plenae Congregationi fuisse ablegatas quaestiones circa interpretationem ac extensionem resolutionum huius causae, ab aliis edendis deductionibus abstinemus, ne supremum s. Congregationis iudicium praevenire velle videamur, quod suo loco, Deo favente, lectoribus nostris erit tradendum.

ABSOLUTIONIS ET REDUCTIONIS MISSARUM

Die 23 Augusti 1879.

Per summaria precum.

Compendium facti. Sacerdos Aloisius G. patronus et Rector beneficii sub invocatione B. M. Virginis, titulo SSmi Rosarii, ipsius beneficii bona a Demanio redemit eaque subito alteri ex patronis Francisco A. cessit absque ulla compensatione, exceptis expensis iam peractis; quin tamen cessionarium oneribus beneficii inconsiderate gravaret: quae onera in Missa quotidiana consistunt.

Aloisio e vivis elato, nepos Alexander Rector Ecclesiae paroecialis A tamquam defuncti universalis haeres, requisitus fuit a fabriceria, ut rem amice componeret pro tutando onerum Missarum adimplemento. Quod cum ipse peragere renuisset, eo quia numquam beneficii bona possedit, in ius ad hoc vocatus, inimicam sibi retulit sententiam. Quandoquidem die 7 Iunii 1878 a Tribunali Civili Parmensi damnatus fuit ad adimplenda omnia onera, beneficio inhaerentia.

Experto inutiliter ab Alexandro appellationis gradu, fabricerii solliciti fuerunt hypothecam inscribere super fundo haereditario. Rebus sic perstantibus, Alexander supplici libello diei 20 Novembris 1878 recursum habuit ad Sacratissimum Principem humiliter expostulans, nedum condonationem quoad praeteritas omissiones, sed etiam onerum reductionem ad missas festivas tantum. Idque ut facilius obtineret exposuit, as haereditarium aere alieno ita praegravari, ut haereditas ipsa impar esset ad praeteritas omissiones reparandas et sustinenda onera, quibus gravatur. Adiecit sese oculorum aegritudine affici. Quae omnia veritati niti asseruit Episcopus.

Requisito denuo eodem Episcopo, ut precise referret quanam de causa Orator agere non debeat contra compatronum, ut onera beneficio inhaerentia satisfaciat, sub die 24 Aprilis labentis anni respondit: Franciscum A. rei familiaris angustia premi, beneficii fundos haud amplius possidere, sed illos statim ac acquisiverit vendidisse.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE ORATORI ADVERSANTUR. Contra Oratoris preces pro absolutione a praeteritis omissionibus deneganda stat mala ipsius fides, ob quam s. C. C. denegandam censuit absolutionen in *Bononien. Servitii Chori 24. Novembris 1787. ad 2. dub.* A morte siquidem patrui sollicitus fuit haereditatem adire, minime vero Missarum celebrationem curare, imo ad hanc obligationem tollendam, nedum propositam transactionem recusavit, verum etiam, cum in ius vocatus fuerit adversamque retulisset sententiam, superius minime erubuit tribunal adire. Insuper animadverti debet quod, gratia concessa, eluderetur sententia, quam fabricerii tot expensis et laboribus retulerunt, malumque plebi cristianae exemplum praeberetur, dum piissimi fundatores a piis relictis retraherentur, qui viventes cernerent, quod Ecclesia de facili absolutionem circa onera non adimpleta concederet, etiam quando ipsum civile gubernium, quod parum non est, aliter decreverit.

Neque dicatur quod inopia Oratoris censeatur iusta ac necessaria causa Missarum onera reducendi; ad hoc enim non sufficere quamcumque inopiam, sed extremam requiri paupertatem legere datum est in *Taurinen. 30. Martii 1776.*, in *Messanen. Reductionis Missarum 24. Ianuarii 1778:* quae autem in casu nostro minime verificatur.

Minusque oggerendum quod Orator nullam utilitatem ex Beneficii reditibus persensit. Siquidem ipse, haereditatem adeundo, etiam omnium onerum obligationem in se suscepit, quibus haec gravata erat *Leg. 49. ff. de obligat., et Art. Instit. De oblig. quae quasi ex contractu nascuntur.* Unde licet haereditas par solvendo non sit, haeres de proprio tenetur. *L. 16. Cod. de Iure declinandi. Lex ultim. Cod. eod. et Novel. 1.*

Ea quae oratori favent. Altera sed vero ex parte perpendi debet, haud in themate bonam fidem deficere pro absolutione quoad praeteritum concedenda. Quandoquidem haud praesumendum est Oratorem, qui parochus est, mala fide duce, Missarum onera minime curasse, sed eatenus, quatenus ab hoc minime adstringi crediderit, quia numquam beneficii bona possederat, neque eadem retinebat. Quod adeo verum est ut, ipse amicam etiam transactionem recusaverit, superius tribunal adierit post inimicam habitam sententiam, et, quod fortius est, neque ipsi fabricerii, neque Episcopus, hac forte ratione ducti, super petita absolutione ab Oratore multum insistant. Concurrente bona fide in praxi esse s. Congregationis, absolutionem concedere a praeteritis omissionibus, aliquo onere adiecto.

Ad reductionem autem quod attinet, considerare oportet, quod licet extrema paupertas recenseatur inter iustas reductionis causas, tamen non desunt huiusce Congregationis exempla, in quibus reductio etiam ob gravem inopiam indulta fuerit, et aliquando ad tempus, donec causa perseveret, uti in *Ianuen. Capellaniae 31. Iulii 1819.*, in *Callien. et Pergulan. Absolutionis et reductionis 20. Decembris 1823.*, aliquando etiam in perpetuum, si haec cum aegritudine obligati coniuncta inveniatur, uti videre est in *Sabinen. Absolutionis Missarum inter Summaria precum relata die 8. Augusti 1863.* De gravi Oratoris paupertate testimonium reddit Episcopus.

Asperrimum subinde foret, si ipse, qui nihil unquam de Beneficii reditibus utilitatis persensit, fere nullum ex haereditate emolumentum persentire debeat, et absque ulla remissione ad omnia praefata onera adimplenda in posterum cogeretur.

Quibus breviter delibatis, remissum fuit EE. PP. iudicio decernere quonam responso preces dimittendae essent in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re ponderatâ, sub die 23 Augusti 1879 respondit:

Celebratis tribus Missis quoad praeteritum pro gratia, quin tamen releventur patronus cessionarius ac hodierni bonorum possessores, qui moneantur, ut consulant conscientiae suae, facto verbo cum SSmo (1).

(1) Recole Vol. XII har. ephemeridum pag. 615.

Ex quibus colliges :

I. Apostolicam Sedem alienam esse a solvendis Missarum obligationibus, nedum ut servetur fundatorum voluntas, sed etiam ut fundatores non defraudentur pretiosis sacrificii fructibus.

II. Hinc apud quemlibet, auctorante civili potestate, transierint bona beneficiorum, oneribus Missarum gravata, apud eumdem onus Missarum transit, neque obligatio extinguitur, nisi per Apostolicum indultum, rationabilibus de causis suffultum.

III. Proinde nisi aliqua gravissima adsit causa, haud concedi solere tum absolutionem super praeteritis omissionibus, tum onerum reductionem; ita ut saepe saepius haud satis fuerit ad id obtinendum gravis haeredis inopia.

IV. Nam haeres adeundo haereditatem, omnium onerum obligationem in se suscipit, quibus haereditas gravata est ; et consequenter haereditatis parvitas haud excusat ab oneribus implendis, quia hoc casu haeres de proprio suppeditare teneretur.

V. In themate tamen haeredem absolutione super praeteritis omissionibus, et reductione onerum dignum fuisse videri, tum quia gravi premeretur inopiâ, tum quia bonae innixus fidei censuerat, onera sequi beneficii dotem, quam numquam ipse haeres potitus fuerat.

SUPER CONCURSU AD PRAEBENDAS MAGISTRALEM ET DOCTORALEM

Die 23 Augusti 1879.

Compendium facti. In Bulla erectionis Cathedralis Ecclesiae B. in Hispania a s. Pio V edita, aperte praescribitur ut assumendus ad Magistralem praebendam, cui, ex ipsius Bullae dispositione, duo adnexa sunt officia Poenitentiarii et Lectoris, in Theologia Magister foret, atque ad aliam Doctoralem Do-

ctor esset in Decretis. Hac tamen minime praescriptione obstante, anno 1853 statuta specialia edita sunt atque ab episcopo confirmata pro his canonicatibus. In hisce statutis perlegere est: Canonicus magistralis debet esse Doctor aut licentiatus in s. Theologia. . . . Canonicus Doctoralis qui erit licentiatus aut Doctor in iure canonico aut civili. In hac legum discrepantia Capitulares quaerunt ab Apostolica Sede, an licentiati ad concursum admitti possint pro assequendis in futurum vacantibus memoratis praebendis. Apostolicus Nuntius rogatus quoad huiusmodi quaestionem respondit: ius scriptum in Hispania praescribere Doctoratus gradum pro dictis praebendis; ast Episcopos admittere passim ad concursum licentiatos et doctores. Retulit etiam praxim hanc praecedere tempus Concordatus anni 1851; quo tempore doctoratus differebat tantum a licentiato quoad extrinsecas solemnitates, minime vero quoad doctrinam aut studia. Nunc autem gradum Doctoratus exposcere ait longiorem studiorum cursum, ceu apud alias Nationes.

Disceptatio synoptica.

GRADUS LICENTIATUS SUFFICERE VIDERETUR ETC. Hisce in facto adnotatis, in iure animadvertere nunc praestat ex una parte quod licentiatus gradus satis ad memoratas praebendas, per concursum optandas, sufficiens esse videtur. Quandoquidem licentiatos venire nomine magistrorum et doctorum docet *Ferraris verb. magister num. 22* qui ulterius cum Alciato et Leandro tenet licentiatos iisdem, quibus Doctores, frui privilegiis. Audiatur sane « Nomine magistrorum et Doctorum veniunt etiam » licentiati, unde et isti gaudent dictis privilegiis *Alciatus in L.* » *cui praecipua de V. S., Leander de privil. Doctorum part. 4* » *n. 11* et alii. Et ratio est quia Licentiati habent etiam il- » lam excellentem et legitime approbatam scientiam et doctri- » nam, bono communi servientem, propter quam principaliter » concessa sunt dicta et alia privilegia Magistris et Doctoribus; » ipsi enim licentiati quamvis lauream Magisterii et Doctoratus » non sint solemniter assecuti, habent tamen licentiam et fa-

» cultatem proximam illam solemniter consequendi quoties ve-
» lint, cum illâ digni iam sint rite et solemniter declarati. Unde
» pro eis stat illud iuris *proxime accingendus habetur pro ac-*
» *cincto; L. penult. ff. de testam. milit.* »

Magis magisque roboratur argumentum ex dispositione Tridentinae Synodi, quae, uti notat *Ferraris loc. cit.*, in assequendis Dignitatibus et beneficiis licentiatos aequiparat Doctoribus prouti statutum legitur in *sess. 22 cap. 2 sess. 24 de ref. cap. 12 de reform.* et pressius pro casu nostro in *sess. 24 cap. 8 de reform.* ubi praecipitur, in cathedralibus poenitentiarium esse instituendum, *qui magister sit vel Doctor aut licentiatus in theologia vel iure canonico.* Nec minoris momenti fieri debet dispositio Bullae Sixti IV *Creditam nobis*, ex qua praefati canonicatus originem repetunt in regnis coronae Castellae et Legionis; necnon Motus proprius Leonis X eiusdem Bullae confirmatorius. In hisce enim Pontificiis dispositionibus ita pro memoratarum praebendarum assecutione Doctoris et Licentiati gradus comparantur, ut alteruter disertissimis verbis satis esse dicatur. Praestat hac de re audire Rotam in *Toletana Canonicatus 18 Maii 1584 coram Aldobrandino rel. a Garc. de benef. part. 5 cap. 4* sub *n. 69* - ibi - « Breviter dicendum
» est per Bullam Sixti IV et motum proprium Leonis X in sin-
» gulis Cathedralibus Ecclesiis Regnorum coronae Castellae et
» Legionis erectum fuisse et institutum unum Canonicatum et
» praebendam pro Doctore vel Licentiato in utroque vel altero
» iure, qui dicitur Doctoralis et alterum pro Magistro seu Do-
» ctore vel licentiato in Theologia, qui dicitur Magistralis ».

Exposita argumenta maximam acquirunt vim ex eo quod tunc temporis, quando Piana Bulla edita fuit, Prolytae gradus nonnisi quam in solemnitate extrinseca a Doctorali laurea differens erat. Sed ea ipsa solemnitas, qua gradus iste conferri consueverat in Hispaniis tanta erat, ut De-Luca licentiatum ea in regione Doctoratui aequiparari *de Praeem. Disc. 35 num. 7* docere non dubitet « licentiatus est solum quidam actus prae-
» parationis Doctoratus, ut est in Italia, secus autem in Hi-
» spania ubi fit solemniter, ideoque doctoratui aequipollet ».

Concinit idem Auctor *De Canonic. disc. 33 num. 4., Lotter. De benef. part. 3 cap. 7 num. 35 seqq.*

Hisce omnibus fastigium imponunt Constitutiones Capitulares, quae, licet non sint confirmatae a Sede Apostolica, vim tamen legis habent, et sunt exequendae in ea parte, qua minime adversantur iuri communi, s. Congr. in *Pisauren. 21 Novembris 1861* §. 2. Neque praetereundum quod Ecclesia Cathedralis B. ex nuperrimo Concordato reduci debeat ad Collegiatam.

Gradus licentiatus non sufficere etc. Altera sed vero ex parte animadvertendum occurrit Pianam Constitutionem adeo in honore habendam esse, ut ad concursum pro vacante praebenda Magistrali vel Doctorali Ecclesiae B. nonnisi quam Doctores debeant admitti. Cum enim Bulla hanc et non aliam interpretationem recepisse videatur, ab ea non est recedendum ex *L. Minime ff. de legib., Afflict. decis. 383 num. 8, Gratian. discept. forens. cap. 460 num. 22.* Quod autem res ita se habuerit ipsimet testantur Capitulares qui referunt: quod anno 1805 et anno 1814 licentiatus admissus fuerit ad concursum harum praebendarum tantum ad *meritum*, quum renunciasset iuri quod consequi posset super easdem.

Et iure meritoque, quandoquidem et ius scriptum Hispaniarum hanc qualitatem exigit, ceu colligi fas est ex informatione Apostolici Nuntii; et de iure est, neque magistri neque Doctoris nomine licentiatos venire. Quidquid enim hac in re sentiat Ferraris una cum Alciato et Leandro, certum est quod ipsorum opiniones ab aliis non minoris notae reprobantur Doctoribus. Unde auctor *addit. ex aliena manu* penes Ferraris *loc. cit. sub num.* 35 habet: « Absolute verum haud est quod as-» serit auctor *num.* 22. Licentiatos venire nomine Magistrorum » seu Doctorum, tum frui privilegiis omnibus iis concessis ». Quod et ex universali usu comprobatur, dum longius studiorum curriculum et eminentior doctrina, tum verbo tum scripto per nova pericula experiunda requiritur ad consequendum magisterii, seu Doctoratus gradum, atque non in Licentiatorum diplomate, bene vero Doctorum tantum conceptis verbis legimus *Magistrum seu Doctorem declaravimus.*

Si igitur anteriori aetate ad assequendas per concursus praebendas, de quibus fit mentio, admissi non fuerunt prolytae, quamvis vix aut ne vix quidem ipsorum gradus ab illo Doctorum differens esset, potiori ratione hodie id dicendum esse videtur, dum novum sistema exposcat longiorem studiorum cursum pro Doctore quam pro Licentiato veluti refert Apostolicus Nuntius. Quamobrem si hac aetate in vita egissent ipse De Luca et Lotterius, haud certe affirmassent illic hosce gradus aequipollentes esse.

Incassum autem fit recursus ad Tridentinam Synodum; ex eo quod enim ipsa mandat expresse ad dignitates, et quaedam beneficia assequenda doctoratum vel saltem licentiam requiri, haud descendit Tridentinos Patres Prolytas Doctoribus aequiparare voluisse, sed tantum quod assumendi, sin in doctorali laurea, proximiori saltem gradu insigniti forent. Dispositiones autem Bullae Sixti IV et Leonis X quae pro hisce praebendis legem veluti edicunt, in Hispaniarum regione minime ad rem facere videntur. Ex posteriori namque dispositione Piana Doctoratum requirente, origo praebendae doctoralis, et Magistralis Ecclesiae B. repetenda est; sed scitum in iure est quod generi semper per speciem derogatur, sive genus praecedat speciem, sive species praecedat genus *Fel. in C. 1 num. 10 vers. secunda dispositio col. 7 in fin. de Rescript., Dec. L. In toto iure 80 col. 3 num. 7 vers. et ista conclusio de reg. iur., Bart. in L. Quaesitum 12 §. Si quis fundum de fund. instr., Gratian. Discept. for. cap. 9 num. 3;* et quod magis quis debet adstringi legibus propriis quam generalibus *Castr. consil. 79 lib. 4, Gratian. loc. cit. n. 12.*

Minusque invocari possunt sive generalis consuetudo in aliis Ecclesiis Hispaniarum vigens, sive statuta capitularia, sive mutatio status Ecclesiae. Non consuetudo; ipsa enim stricti iuris est *Bart. in L. 1 ff. §. Si quis hoc interdicto de itiner. actuq. privat.* subindeque de loco ad locum extendi non debet *L. 3 in fin. ff. de testam., Oldrad. cons. 237 col. 1, Surd. cons. 323 num. 13 lib. 3, Gratian. loc. cit. cap. 937 n. 39 seqq.* Non capitularia statuta Episcopi auctoritate confirmata, cum ipsa

Pontificiae Bullae dispositionem reformare non valeant. Aperte enim iura clamant quod ille qui non potest aliquid tollere, neque valeat reformare *L. Iurisgentium* §. *Adeo ff. de Pactis, Rebuff. in L. Malum 242* §. *Structuram ad fin. vers. Interdum ff. de verb. signif., Gratian. loc. cit. cap. 558 num. 47.* Sed neque Capitulum in suis condendis Statutis de anno 1853, neque Episcopum in eorumdem approbatione tollere valuisse Apostolicas Constitutiones in comperto est; ergo neque ab ipsis Piana Constitutio poterat reformari. Non demum mutatio status Ecclesiae, haec enim fortassis sufficiens ratio videretur ad obtinendam a suprema Apostolica auctoritate moderationem Pianae dispositionis, minime vero ad ipsam marte proprio moderandam.

Hisce igitur utrinque breviter animadversis, rogati sunt EE. PP. sequens dirimere

Dubium.

An Licentiati admitti valeant ad assequendas per concursum Magistralem et Doctoralem praebendam in casu.

Resolutio. Sacra C. Congr. re discussâ die 25 Augusti 1879 censuit respondere:

Quoad futurum affirmative, facto verbo cum SSmo.

Ex quibus colliges:

I. Ex iure scitum esse generi derogari per speciem; ita ut certum sit quod ius commune aut quamplures Romanorum Pontificum constitutiones infirmentur per novam R. Pontificis Constitutionem.

II. In themate dispositionibus Pii quarti et Leonis decimi, edicentibus memoratas praebendas assequi posse aeque Doctores ac licentiatos, derogatum fuisse per Constitutionem s. Pii quinti, requirentem doctoratum ad huiusmodi assequendam doctoralem et magistralem praebendam.

III. Neque aliarum Dioecesium consuetudinem, neque statuta Capitularia, etiam Episcopi auctoritate confirmata, derogare posse Bullis Pontificiis, quia neque Capitulum, neque Episcopus aliquid possunt contra acta s. Sedis.

IV. Patres Tridentinos, quum mandarent expresse requiri doctoratum vel saltem licentiam pro quibusdam dignitatibus, beneficiisque assequendis, haud aequiparare voluisse prolytas doctoribus, sed voluisse ut assumendi ad has dignitates, insigniti essent saltem licentiâ, si doctores abfuerint.

V. His non obstantibus licere etiam prolytis adire concursum pro assèquendis praebendis de quibus in themate, eo quod S. C. Concilii huic rei annuerit, praevio Sanctissimi Patris assensu, quo aliquo modo derogatum fuit Constitutioni s. Pii V.

PRAEBENDAE THEOLOGALIS

Die 20 Septembris 1879.

Per summaria precum.

Compendium facti. Canonicus Theologus Cathedralis M. die 8 Ianuarii 1877 Apostolicae Sedi exposuit: se, de ordine Episcopi, Theologiam scholasticam in Seminario legere, quo Clerus et populus convenire nequeunt. Quaesivit ideo « *an praeter fructus praebendae ac distributiones quotidianas, lucretur etiam alia omnia emolumenta quae ipsi obvenirent, si habitu canonicali indutus praesens esset?* Episcopus et Capitulum favorabile Theologo votum emiserunt. Ordinarius tamen adiecit; sese censuisse quod Theologia scholastica legi posset in seminario, loco explanationis s. Scripturae in Ecclesia a Theologo peragendae; ex quo autem sibi innotuit nuperrima resolutio S. C. C. (1) iussisse Theologum explanare debere s. Scripturam loco Theologiae. Interdum Ordinarius idem oravit, ut Theologo ipsi indultum concederetur quoad perceptionem dictarum distributionum.

(1) Habes resolutionem huiusmodi Vol. IX pag. 505 et seq. Quae resolutio confirmata fuit cum adiectione, *et amplius* postquam canonicus ille obtinuit novae audientiae beneficium, ut videre est Vol. X pag. 509 et seqq.

Disceptatio Synoptica.

C. THEOLOGUS LEGERE POTEST THEOLOGIAM SCHOLASTICAM. Canonicum theologum plene satisfacere menti Tridentini Concilii tam si explicet s. Scripturam, quam si in Theologia scholastica Clerum erudiat, unâ veluti echo tradunt Canonistae *Bened. XIV De Syn. Dioec. lib. 13 cap. 9 num. 17, Fagnan. in cap. Quia nonnullis num. 29 seqq. de Magistris, Pirhing. in ius can. tom. 4 lib. 5 §. 1 n. 7, Pignatell. consult. 62 num. 27 tom. 3 Ventriglia in praxi part. 2 art. 12 n. 27.* Quam quidem sententiam secuta est S. C. Congregatio in *Pacen. 28 Septembris 1765 ad I Dub., in Fulginaten. 3 Iulii 1784,* et in *Oppiden. 15 Martii 1820.* Atqui non minus certum in iure est quod Canonicus Theologus absens a Choro ea die qua legit, pro praesente in choro haberi debeat ad effectum lucrandi incerta etiam emolumenta, nisi obstet voluntas testatoris vel dantis *s. Congr. in Oriolen. 5 Augusti 1616, Verulana Emolumentorum 15 Decembris 1877.* Cum igitur Canonicus Theologus tradendo s. Scripturam aeque suo muneri satisfaciat, ac si illam explanaret in Ecclesia, cumque ea die pro praesenti haberi debeat ad effectum lucrandi etiam incerta emolumenta, nisi obstet voluntas testatoris vel dantis, videretur quod affirmativo responso propositum dimittendum esset dubium, et hac responsione satis provisum precibus Episcopi.

Neque regerere fas est, priscam sententiam post publicationem Encyclicae *Inter praecipuas* Gregorii XVI fel. rec. fuisse immutatam. Errare enim videntur ii, qui modo nonnullis S. C. resolutionibus innixi, hanc sententiam defendere vellent. Quandoquidem responsa S. C. legem dant in casibus particularibus, subindeque de casu ad casum extendenda non sunt. Quod fortius in hac materia tenendum quia si expendantur recitatae Encyclicae dispositiones de praecepto in posterum s. Scripturam annuntiandi non datur reperire verbum, neque vola (1).

(1) Vide Appendicem I relatam Vol. IX. pag. 510 quoad originem et onera C. Theologi. In ea reperies etiam pag. 516 relatum §. 3 Encyclicae *Inter praecipuas* Gregorii XVI respicientem huiusmodi quaestionem.

C. THEOLOGUS EXPLANARE DEBET S. SCRIPTURAM. Contra sed vero animadvertas oportet quod Pontifex, nova edita Constitutione, ostendere voluit haud veritati consonum esse quod biblici calumniatores de s. Ecclesia asserebant, ipsam nempe arcere populum fidelem a ss. Scripturarum cognitione, ostendendo iugiter ipsam pervigilem fuisse, ut s. Scriptura nedum ab Episcopis, sed et a Canonico theologo in cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis explanaretur. Nec omittit notare s. Sedem solere Episcopis gratulari, si canonicos theologos habeant in publicis sacrarum literarum lectionibus suo munere benefungentes, ac illorum pastorales curas excitare, si alicubi res adhuc ex sententia non successerit. Cum igitur ex ipsa Constitutione haud obscure eruatur placitum Principis esse atque Ecclesiae mentem, ut populus Scripturarum cognitionem adipiscatur, quae a Theologo in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis tradenda est, indubie tenendum hoc placitum pro lege in posterum habendum esse, iuxta doctrinam *text. in L. 1 ff. De Constit. Princ.* Principi quod placuit, legis habet vigorem.

Nec secus sensisse videtur S. C. C. Quandoquidem vix edita recitata Constitutione, semper mandavit s. Scripturam a Canonico Theologo explanandam esse (1).

Si igitur adhuc vigeat argumentum quod philosophi ex inductione trahunt, dubitari prorsus fas non est quod, post famigeratissimam Encyclicam Gregorii XVI, sententia quam tuetur Benedict. XIV et pluries retinuerat S. C. C. in tenues auras abierit. Quin affirmari possit responsa S. C. legem edere in casibus particularibus. Ne plura enim hac de re dicam, placeat tantum observare quod Encyclica edita fuit postridie nonas Maii 1844, atque mense vix elapso die nempe 27 Iulii 1844 EE. PP. quorum consilio et opere Pontifex indubitanter fuerat usus in hac edenda Constitutione, responsum in causa *Derthonen.*, pluries hac in materia citata protulerunt adiiciendo, *Episcopus curet executionem nuperrimae Encyclicae SSmi Domini Nostri*. Quo pacto igitur asserere haec potuerant, nisi per no-

(1) Resolutiones quamplurimae quae doctrinam hanc plene confirmant prostant relatae Vol. IX pag. 505 et seqq. usque ad pag. 518: et Vol. X pag. 509 et seqq

vam Constitutionem nova lex mandata esset? numquid satis non fuisset exprimere: *Non expedire?*

Dato autem, at numquam concesso praefatam Encyclicam aliquid novi minime praescripsisse, certum est quod antiqua decreta S. C. per Bened. XIV notata cum recentioribus pugnare videntur. Sed in concursu priorum decretorum s. Congregationis Concilii, posteriora unice spectanda atque attendenda esse tradunt *Scarf. ad Ceccop. t. 3 addit. 45 n. 43 in fin., Pignat. t. 1 cons. 108 n. 13 et Rota in Melevitana Decretorum 2 Mart. 1707 §. final. cor. Ansaldo.*

Resolutio. Sacra C. Congregatio, re discussa, sub die 20 Septembris 1879, respondit: *Affirmative, nisi obstet voluntas testatoris vel dantis* (1).

Ex quibus colliges:

I. Canonico Theologo illo die quo legit, tribuendas esse integras distributiones quotidianas omnium horarum, licet non inservierit (2).

II. Hoc privilegio frui Theologum pro integra die, qua ss. Scripturarum peragit explanationem sive tantum mane sive sero tantum id egerit (3).

III. Canonicum Theologum dispensari a choro, et uti praesentem haberi pro tota die, qua docet ss. Scripturas, quam-

(1) Ex eo quod S. C. C. nihil innuerit de praeciso onere Canonici Theologi, ne quis colligat, quod iste, pro suo debito, docere possit Scholasticam Theologiam, loco explanationis ss. Scripturarum. Nobis enim videtur quod eadem S. C. C. verba hic non fecerit de more huiusmodi, tum quia nihil de hoc in supplici libello quaesitum fuit: tum quia pro certo habet C. Theologum fungi proprio non posse munere, nisi explanando ss. Scripturas, ceu per varias significavit nuperrimas resolutiones; tum quia Episcopus disertis verbis adpromiserit C. Theologum posthac ss. Scripturas publice explanaturum fore, Theologiam posthabendo scholasticam.

(2) Sacra C. C. in Mediolanen. 29 April. 1597 lib. 7 decret. et in Bisarchien. 16 Septem. 1857.

(3) Pluries id statuit S. C. C. sed praecipue in Barchinonen. *praeb. theol. 2 Iun. 1860.* per *sum. prec.* Si tamen matutinum et laudes recitentur die praecedenti post vesperas, pro matutino et laudibus non est censendus uti praesens. Fagnan. *cap. Licet de praeb. n. 117.* S. C. C. lib. 5 decret. pag. 7 a terg.

quam sui antecessores usi fuerint hoc privilegio pro hora tantum in qua legerent (1).

IV. C. Theologum, generaliter loquendo, lucrari etiam distributiones extraordinarias, pro diebus quibus proprio fungitur munere, nisi obstet vel constitutio capitularis, vel consuetudo, vel disponentium voluntas.

V. In themate indultum fuisse oratori ut lucrari valeret, die qua legit, praeter distributiones quotidianas, etiam alia omnia emolumenta, quae eidem obvenirent, si habitu canonicali indutus praesens esset, de more tamen adiecta conditione, *nisi obstet voluntas testatoris vel dantis.*

(1) Perusina Theol. 30 Iulii 1859.

EX S. CONGR. RITUUM

MONITUM

Etsi, praeter Litanias Ssm̃i Nominis Iesu, Beatae Mariae Virginis *Lauretanas* nuncupatas, et sanctorum quae in libris liturgicis habentur, nullae aliae a sancta Sede approbatae fuerint, quaedam tamen typis passim evulgantur, quae in honorem alicuius Sancti vel mysterii Fidelibus recitandae proponuntur, atque in libris praesertim pietatis vulgo *di devozione* continentur nonnunquam etiam auctoritatis ecclesiasticae sanctione munitis. Hinc sacra Rituum Congregatio sui muneris esse duxit Rm̃os Locorum Ordinarios admonere, ne sinant alias Litanias publice recitari nisi praedictas, vel alias, si quae a S. R. U. Inquisitione recognitae et approbatae fuerint; ac simul caveant suam approbationem pro impressione subnectere iis libris, in quibus Litaniae inveniuntur apostolica sanctione carentes. Die 16 Iunii 1880.

D. Cardinalis BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus.

PLAC. RALLI S. R. C. Secretarius.

DECRETUM

Matheranen.; confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Fr. Aegidio a Laurentiana Ordinis Minorum sancti Francisci beato nuncupato.

In Ordinariis sacrorum Rituum Congregationis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Ioannem Baptistam Pitra, Ponentem Causae supradictae proposito Dubio: « *An sententia lata a Rmo Archiepisco-* » *po Matheranensi iudice delegato super Cultu ab immemorabili* » *tempore praestito praefato Ven. Servo Dei, seu super casu ex-* » *cepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda* » *in casu et ad effectum de quo agitur?* » Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: « *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam* ». Die 12 Junii 1880.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatis, Sanctitas Sua Rescriptum sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit die 24 iisdem mense et anno.

D. Card. BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus

Loco ✠ Sigilli

Placidus Ralli S. R. C. Secretarius.

DECLARATIO

Sacrae Indicis Congregationis super significatum Formulae

- DIMITTATUR -

Feria II die 21 Iunii 1880.

Sacra Indicis Congregatio habita in Palatio Apostolico Vaticano die 21 Iunii 1880 declaravit quod Formula - *dimittatur* - hoc tantum significat: Opus quod dimittitur non prohiberi.

Quibus Sanctissimo Domino nostro Leoni Papæ XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, Sanctitas Sua Declarationem probavit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 28 Iunii 1880.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. HIERONYMUS PIUS SACCHERI Ord. Praed.

S. Ind. Congr. a Secretis.

APPENDIX II.

PLERAQUE REFERUNTUR DECRETA SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS EX APPENDICE IV (COLLECTIONI GARDELLINIANAE ADIICIENDA) DEPROMPTA.

ENGOLISMEN.

Rm̃e Dñe uti Frater,

Amplitudo Tua Ssm̃o D. N. Pio Papae IX exposuit quod in Ecclesia Parochiali Civitatis Engolismen. a sancto Ausonio Episcopo et Martyre nuncupata Octiduo Defunctorum perdurante, initio mensis Novembris, multa pia exercitia locum habeant in levamen animarum in Purgatorio degentium, inter quae plures etiam celebrantur Missae lectae de Requie singulis Octidui ipsius diebus, etiamsi ritus duplex vel Dominica occurrat. Contra hunc morem ibi iam vigentem ante magnam perturbationem Gallicam quum unus ac alter Sacerdos, Amplitudine Tua consulta, Rubricas observare voluerint, anno 1875 recurrente, Parochus retulit statim admirationem et rumorem populi ortum esse, ita ut A. T. congruum reputaverit potiusquam legis observantiam urgere, eumdem SS. D. N. humillime rogare, ut, attentis peculiaribus circumstantiis, invectam praxim in enunciata Ecclesia Octiduo defunctorum perdurante de Apostolica benignitate permittere dignaretur.

Sacra vero Rituum Congregatio omnibus mature perpensis, rescribere rata est sub die 21 Decembris 1876 « Referantur preces Ssm̃o».

Facta itaque de praemissis per infrascriptum Secretarium Ssm̃o Dño Nostro Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas sua indulsit ut in memorata Paroecia singulis Octidui diebus Missae de Requie decantari valeant, exceptis tamen ab hac concessione Dominica et Duplicibus primae et secundae classis; quoad Missas vero lectas de Requie, occurrente ritu duplici, earumdem celebrationem se toleraturum edixit ad proximum triennium tantum, exceptis tamen omnino Dominica ac Duplicibus primae ac secundae classis; ac mandavit ut significaretur Amplitudini Tuae mentem suam esse ut Ipsa omnimode curet quod praedictus usus removeatur, etiam ante triennium si fieri possit, ac omnia conformentur Rubricis Missalis Romani quoad celebrationem Missarum de Requie sine cantu.

Romae die 11 Ianuarii 1877.

Rm̃o Dño uti Fratri Episcopo Engolismen.

DE ZACATHECAS

Rm̃us Dñus Iosephus Maria a Refugio Guerra hodiernus Episcopus de Zacathecas in Republica Me-

xicana Septentrionalis Americae sequens Dubium sacrae Rituum Congregationi resolvendum proposuit, nimirum: Officium Beatae Mariae Virginis sub titulo de Guadalupe totius nationis Mexicanae inclitae et singularis Patronae concessum est Ecclesiis huius Provinciae cum Octava integra; sed cum aliquando dies octava occurrat in Feria IV Quatuor Temporum Adventus, cuius Evangelium est ipsum ac Festivitatis, quaeritur: an loco Homiliae diei octavae, legendae sint tres Lectiones Homiliae eiusdem Feriae et in fine Missae Evangelium sancti Ioannis, uti fit in Festo Expectationis partus Beatae Mariae Virginis, quando occurrit in Feria IV dictorum quatuor temporum: vel quid faciendum in casu?

Sacra porro eadem Congregatio, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, nec non voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: In casu omittendum in Officio Evangelium cum Homilia Feriae et in fine Missae legendum Evangelium sancti Ioannis. Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 27 Ianuarii 1877.

CALATAYERONEN.

In illa Dioeceseos Calatayeronen. parte, quae olim pertinebat ad Archidioecesim Syracusarum usque ab erectione sedis conservata fuit consuetudo, ut quando Episcopus celebraret in Pontificalibus, a Dignitatibus et Canonicis obedientia praestaretur per osculationem manus. Quum postremis hisce annis ob temporum adiuncta, diu suo Pastore viduata remanserit sedes Calatayeronen. ipsius Cathedralis Ecclesiae Canonici proprio marte decreverunt se amplius obedientiam non esse praestituros proprio Episcopo, siquidem caeremoniam illam Caeremoniali Episcoporum contrariam esse asserebant. Quum autem in prima Pontificali Missa ab hodierno Rmo Dño Episcopo Calatayeronen. celebrata, ex omissione huius obedientiae gravis in populo rumor exarserit, rei notitia ad Episcopum pervenit, qui hac de re cum suo Capitulo conquestus est, illudque est cohortatus ad debitam sibi obedientiam de more praestandam, quin tamen id obtinere potuerit.

Quapropter laudatus Episcopus ad sacram Rituum Congregationem recursum habuit. Quae congruum tempus quum Capitulo Calatayeronensi adsignavisset ut sua iura ad sacram Congregationem deduceret, iuribus ipsis hinc inde exhibitis mature consideratis, perpendens consuetudinem vigentem favere omnino Episcopo, eamque arbitrarie fuisse a Canonicis interruptam, ad evitanda scandala, praesertim, quae ex denegatione praedicta oriebantur, sub die 15 Iulii anni superioris provisionale Decretum in Causa edendum censuit, quod scilicet: Nihil esset innovandum quoad consuetudinem praestandae obedientiae Rmo Episcopo in Pontificalibus a singulis Canonicis per osculationem manus; salvo tamen iisdem iure agendi in petitorio.

Quum vero Capitulum obtento beneficio ius suum agendi in petitorio uti voluerit, locus factus est

concordationi Dubii, quod sic partibus praesentibus fuit exaratum: An et quomodo constet de iure Episcopi exigendi in Pontificalibus a singulis Dignitatibus et Canonicis praesentationem obsequii per osculationem manus?

Quum autem Dubium ipsum ab Emo et Rmo Dño Card. Aloisio Oreglia a Sancto Stephano huius Causae Ponente constituto, propositum fuerit in Ordinariis sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis; Emi et Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, utraque parte voce et scripto informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuerunt: Constare et amplius. Atque ita rescripserunt, ac servari mandaverunt die 3 Februarii 1877.

GRANATEN.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae Granatensis sacrorum Rituum Congregationi sequentia exposuit, nimirum:

In Metropolitana Ecclesia memorabilis invaluit consuetudo occasione data, ut fertur, a profanationibus et contumeliis olim a tergo altaris effectis, ut in solemni thurificatione tantum in maiori Altari Ecclesiae Metropolitanae in forma tabernaculi extructo, quod commode decoreque Celebrans potest circumire, siquidem latera quatuor perfectissime aequalia similiterque offerat exornata, et hoc dumtaxat ad Introitum Missae et ad *Magnificat* in Vesperis et ad *Benedictus* in Matutinis iuxta Rubricas, Sacerdos postquam praescriptos ductus cum thuribulo explevit, circulum altaris perficiat a cornu Epistolae ad cornu usque Evangelii, quin tamen ullum ex vigintiquinque ductibus omittat suo loco et tempore vel ullum tantum adiiciat; sed solummodo gyrum faciat altaris, ut sic fiat protestatio circa sanctitatem et decorem totius tabernaculi. Iuxta praxim Capituli huius Metropolitanae Ecclesiae thurificatio sequenti ratione locum obtinet. Celebrans perficit tres ductus ad crucem, tres ad candelabra, duo ad latus, tres ad planitiem altaris in cornu Epistolae: tum gyrum facit a tergo tabernaculi et cum ad cornu Evangelii pervenerit, implet eodem modo quae sancita in rubricis usque ad terminum. Quae cum ita se habeant praefatus Magister Caeremoniarum ab eadem sacra Congregatione humiliter exquisivit: An possit memorata praxis ut laudabilis retineri in tabernaculo tantum Metropolitanae Ecclesiae Granatensis, argumentis allatis extantibus?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est: Affirmative. Die 3 Februarii 1877 (1).

RAVENNATEN.

Ex conditione a Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Ravennatensis imposita cuidam Parocho eiusdem Civitatis ad concionandum invitato in praedicta Metropolitana

(1) Decretum quod sequeretur etc. habes Vol. X pag. 575 har. eph.

non assumendi scilicet tempore concionis Mozzettam et Rocchettum et Stolam aurifrygiatam, gravis exarsit controversia inter Capitulum praefatum et Conventum Parochorum eiusdem Civitatis. Quum enim Parochi dicto Conventui adscripti existiment se praefata insignia etiam in Metropolitana ex Pontificiis concessionibus deferre posse, de re graviter conquesti sunt, ac ad sua iura protuenda recursum habuere ad Archiepiscopum. Verum quum res incassum ceciderit nec partes ad concordiam induci potuerint, controversia a Canonicis ad sacram Rituum Congregationem delata est. Quae primum super recursu Canonicorum exquisivit ab Archiepiscopo, ut auditis interesse habentibus informationem et votum suum proferret, postea vero idem effecit super recursu conventus Parochorum qui de abusibus Canonicorum in usu privilegiorum conquesti sunt; examini sacrae Congregationis quinquaginta et octo Dubia proponentes.

Postquam autem sacra Congregatio omnia recepit, singula Dubia tum a Canonicis tum a Conventu Parochorum proposita ad trutinam revocans, intellexit totam controversiam reduci posse unico Dubio sic exarato: An Parochis urbanis Ravennatibus liceat deferre insignia per rescriptum sa. me. Benedicti Papae XIII, et Breve sa. me. Pii Papae VII iisdem concessa, quoties in Metropolitana Ecclesia, etiam praesente Capitulo, sacras conciones habent? Cui quidem Dubio sacra eadem Congregatio, auditis informatione et voto Rmi Dni Archiepiscopi, et iuribus ex utraque parte deductis mature accurateque perpensis, rescribendum censuit: Affirmative facto verbo cum Ssmo, quoad alia vero proposita Dubia tam ex parte Capituli quam ex parte Conventus Parochorum, respondit: Lectum. Die 23 Martii 1877.

Facta autem de praedictis Ssmo Dno Nostro Pio Papae IX per infrascriptum Cardinalem sacrae Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua propositi Dubii resolutionem approbare et ratam habere dignata est die 25 eodem mense et anno.

NULLIUS SANCTAE LUCIAE

Rme Dne.

Litteris ad sanctam Sedem Apostolicam datis die 14 elapsi mensis Martii postulasti, ut tibi daretur facultas administrandi Sacramentum Confirmationis, quod in territorio ad istam Praelaturam pertinente septem abhinc annis administratum non fuit.

Sacra vero rituum Congregatio, audita relatione tuae instantiae per infrascriptum Secretarium facta, rescribere rata est: Negative et ad mentem. Mens autem est quod tibi notum fiat ut quamprimum provideas pro administratione huiusmodi Sacramenti, invitando nimirum ac etiam deprecando aliquem Episcopum ad illud conferendum fidelibus istius Praelaturae, in qua Vicarii Capitularis munus geris.

Romae die 14 Aprilis 1877.

Rmo Dno hodierno Vicario Capitulari Nullius Sanctae Luciae.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

DE CONSISTORIO HABITO DIE 20 AUGUSTI 1880

Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII quum habuisset Allocutionem, quam pag. 49 retulimus, sequentes proposuit Ecclesias:

Metropolitanam Ecclesiam Capuan. vacan. per obitum clar. mem. Francisci Xaverii dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis Apuzzo, postremi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti; pro R. P. D. Alphonso Capecelatro e Ducibus Castri Pagani, Patricio Neapolitano, et Presbytero Congregationis Oratorii s. Philippi Nerii. Praecipuis suae Congregationis perfunctus muneribus, ibique a quindecim fere annis Praepositum hucusque agens, nonnullis de re theologica, et historica editis libris, Examinator Neapolitani Cleri adlectus est. Pluribus tum Romae, tum alibi Academiis adscriptus, inter SANCTITATIS SUAE Domesticos Praesules cooptatus, et S. R. E. Vice-Bibliothecarius hactenus renuntiatus est.

Episcopalem Ecclesiam Araden. sub Archiepiscopo Tyrensi in partibus infidelium vacan. per obitum bo. me. Iosephi Rizzolati ultimi illius Episcopi apud romanam curiam defuncti pro R. P. D. Petro Iosepho Tordoya, Episcopo dimissionario Sedis de Cuzsco Peruviana in ditione.

Cathedralem Ecclesiam de Arequipa in Peruviana dictione Americae Meridionalis vacan. per obitum bo. me. Iosephi Benedicti Torres ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; pro R. P. D. Ioanne Maria Huerta, iam Antistite Puniensi, ad praesentationem perillustris Viri Nicolai Pierola Peruvianae Reipublicae Praesidis, vigore Indulti Apostolici.

Episcopalem Ecclesiam Evarien. sub Archiepiscopo Damasceno in partibus infidelium vacan. per successionem R. P. D. Ioannis Petri Boyer ad Sedem Claromontensem, pro R. P. D. Raphaele Mezzetti Episcopo dimissionario Sedis Liburnensis.

Cathedralem Ecclesiam Senogallien. vacan. per obitum bo. me. Francisci e Marchionibus Latoni ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; pro Reverendo D. Ignatio Bartoli Presbytero Auximanae dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Castrifidardi Auximanae dioeceseos progenitus et quinquagesimum secundum aetatis suae annum supergressus est. Sacro Presbyteratus ordine et iuris Canonici doctoratus laurea dudum insignitus, in ecclesiasticis exercendis functionibus, praesertim fidelium confessiones auscultando navam impendit operam. Auximanensis Capituli Canonicus hucusque renunciatus, eius dioeceseos Examinator pro-Synodalis adlectus, inibi tum seminarii, tum nobilis Collegii Campana pluribus annis Rector, atque Pontificii iuris institutionum Antecessor effectus est. Senogalliae vero penes Collegium-Convictum Mastai Praesidis munere ad praesens usque perfunctus est.

Cathedralem Ecclesiam Assisien. vacan. per obitum bo. me. Pauli ex Comitibus Fabiani ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti: pro Reverendo D. Peregrino Tofoni Presbytero Firmanae archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido Cryptae Azzolinae Firmanae archidioeceseos progenitus, sexagesimum aetatis suae annum supergressus est. Sacro Presbyteratus ordine dudum donatus in functionibus obeundis ecclesiasticis naviter incubuit. Inter praedefuncti Emi Cardinalis De Angelis, Firmani Archipraesulis, familiares triginta quinque fere annis adscitus, comes extitit Eius peregrinationis, sive dum in vinculis ad arcem Anconitanam, sive dum Augustae Taurinorum exsul fuerat detentus. Canonicus ad honores Metropolitanae Ecclesiae Firmanae, et coadiutor cum futura successione quartae Primicerii dignitatis inibi hucusque renunciatus est. Illius seminarii Rectorem et ibidem Iuris Canonici Antecessorem agens, Examinatoris pro-Synodalis et piae domus egentium puellarum sana institutione imbuendarum ecclesiastici Moderatoris perfunctus est muneribus.

Cathedralem Ecclesiam Castellaneten. vacan. per obitum bo. me. Mariani Positano ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; pro R. D. Caietano Bacile, e dynastis Castelionis, Presbyteri Hydruntinae archidioeceseos. A dynastis Castelionis ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Spongano* Hydruntinae archidioeceseos progenitus, trigesimum sextum aetatis suae annum supergressus est. Sacro Praesbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis functionibus peragendis navam impendit operam. In patria paroeciali Ecclesia Archipresbyterum – Curatum hucusque agens, Examinatoris pro-Synodalis, atque Vicarii foranei muneribus perfunctus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM LIBURNEN. vacan. per dimissionem a R. P. D. Raphaele Mezzetti ultro, libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam, atque ab EADEM admissam; pro Reverendo D. Remigio Pacini Presbytero Collensi. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe Collis Hetrusci progenitus sexagesimum aetatis suae annum supergressus est. Sacro Presbyteratus ordine dudum donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus, signanter Dei verbum praedicando, fideliumque excipiendo sacramentales confessiones, sedulo incubuit. Aretini seminarii-convictus Praefectus, rethoricae, ac theologiae moralis Praeceptor iam effectus et ecclesiasticus Deputatus adlectus, inter Examinatores pro-Synodales adscitus, atque ad s. Mariam in Gradibus Arretii Parochus hucusque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM EMERITEN. in ditione de Beneçuela Americae Meridionalis adhuc ut prius vacan. per obitum bo. me. Ioannis Hilarii Boset ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti; nam R. D. Thomas Zerpa die 29 Sept. 1876 eidem Ecclesiae praepositus Sedem ipsam ultro libenterque in manus SANCTITATIS SUAE dimisit antequam munus consecrationis, aut Ecclesiae ipsius possessionem susciperet; quam dimissionem EADEM SANCTITAS SUA ratam habuit ac admisit; pro R. D. Romano Lovera Presbytero archidioeceseos s. Iacobi de Beneçuela, ad praesentationem, vigore Indulti Apostolici, perillustris Viri Reipublicae de Bençuela Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in urbe Guacara archidioeceseos s. Iacobi de Beneçuela progenitus quadragesimum primum aetatis suae annum supergressus est. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus sese laudabiliter exercuit. Archidioecesano in seminario philosophicas, theologicasqne tradens praelectiones, paroecias s. Mariae de *Candelaria*, de *Maracay*, ac de *Puerto Cabello* nuncupatas aliquando administrans, ad Archidiaconatum in Metropolitana de Beneçuela assumptus est. Missionarius et *de San Diego* ac *de los Guayos* ipsa in archidioecesi hucusque Curia renunciatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM HIEROPOLITAN. sub Archiepiscopo Synadense in partibus infidelium vacan. per obitum bo. me. Iosephi Chevalier ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, pro R. D. Leone Belouino Presbytero in dioecesi Briocense degenti. Iuxta decretum sacrae Congregationis Consistorialis a praefata SANCTITATE SUA adprobatum, in Auxiliarem deputatus fuit R. P. D. Alexii Ioannis Mariae Guilloux, Archipraesulis Portus Principis Haitiana in ditione, ut eidem de eius consensu ac lubito adiumento esse possit in pontificalibus, caeterisque pastoralibus muniis illa in civitate, atque archidioecesis fructuose ac salubriter in

Domino peragendis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenitus, in quinquagesimo quarto aetatis suae anno constitutus est. Sacro Presbyteratus ordine dudum initiatus, in ecclesiasticis functionibus obeundis sedulam impendit operam. Canonicus ad honores Briocense in Cathedrali adlectus, et Montis Contorii, *Moncontour,* Curatus ipsa in dioecesi ad praesens usque renunciatus, octodecim pene annis sacram inibi missionem peregit.

Cathedralem Ecclesiam Bobien. vacan. per obitum bo. me. Henrici Gaio, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; pro R. D. Ioanne Baptista Porrati Presbytero dioeceseos Alexandriae Statelliorum. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido Castellatii dioeceseos Alexandriae Statelliorum progenitus, in quinquagesimo quinto aetatis suae anno constitutus est. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in functionibus peragendis ecclesiasticis, praesertim utriusque sexus confessiones sacramentales auscultando, se totum dicavit. Penes dioecesanum seminarium plures per annos theologico magisterio addictus, ibique tum Praefectus ac vice-Rector, tum etiam Rector renunciatus, inter pro-Synodales Examinatores et Canonicos Collegiatos s. Mariae de Curte ac de Nive adscitus, Cathedralis Alexandrinae Canonicus-Poenitentiarius hucusque adlectus est.

Per Breve autem pontificium provisae atque publicatae fuerunt sequentes ecclesiae:

Ecclesia Archiepiscopalis Hadrianopolitan. in part. infid. favore R. P. D. Michaelis Heiss, translati a sede Crossensi atque deputati in coadiutorem, cum futura successione R. P. D. Ioannis Martini Henni: Archiepiscopi Milwauchiensis.

Ecclesia Episcopalis Sozusen. in part. infid. favore R. P. D. Francisci Kerril Amherst, iam Episcopi Northantoniensis.

Ecclesia cathedralis Mediobürgen. in Anglia, favore R. D. Riccardi Lacy, missionarii illius civitatis.

Ecclesia Cathedralis Northantoniensis in Anglia, favore R. D. Arturi Riddell, missionarii apud Scarborough e Dioecesi Mediobürgensi.

Ecclesia Cathedralis Columben. in statibus Americae foedere iunctis, e provincia Cincinnatensi, favore R. D. Antonii Watterson, sacerdotis ex Pensilvania oriundi.

Ecclesiae Episcopalis Tricalien. in part. infid. favore R. P. Bonaventurae Portillo, ex Ordine Franciscano, deputati in Vicarium

Apostolicum territorii inferioris Californiae, dismembrati e Dioecesi Monteregen.

Ecclesia Episcopalis Canathen. in part. infid. favore R. D. Ludovici Gaspar e societate pro exteris missionibus Parisiorum, electi in Vicarium Apostolicum Cocincinae Septentrionalis.

Ecclesia Episcopalis Botren. in part. infid. favore R. P. Henrici Butté e Societate Iesu, praeelecti in Vicarium Apostolicum Iche-ly Meridio-Orientalis.

Ecclesia Episcopalis Abilen. in part. infid. favore R. P. Ilarionis Fraysse, e Societate Mariae, designati in Vicarium Apostolicum Novae Caledoniae.

Ecclesia Episcopalis Crisopolitan. in part. infid. favore R. D. Ioannis Coadou, e Seminario missionum exterarum Parisiorum, deputati in Vicarium Apostolicum Mayssocar.

Ecclesia Episcopalis Ceramen. in part. infid. favore R. D. Patritii Manogue, praeelecti in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Eugenii O'Connell, Episcopi Vallispraten. in Statibus unitis Americae Septemtrionalis.

Ecclesia Episcopalis Emmaus in part. infid. favore R. P. D. Iacobi Laird Patterson, sacerdotis Archidioecesis Westmonasterien. Praelati Domestici Suae Sanctitatis.

Tandem SS̃mus Pater rogatus fuit de Pallio pro Ecclesia Metropolitana Capuan.

EX S CONGREGATIONE CONCILII

DISTRIBUTIONUM ET PROVENTUUM

Die 23 Augusti 1879.

Compendium Facti. Capitulum Cathedralis Ecclesiae A. usque a primis temporibus curae habitualis atque actualis super universa civitate potiebatur; subindeque Capitulares animarum curam exercentes nedum a punctaturis extorres erant, verum etiam distributionibus tam ordinariis, quam extraordinariis fruebantur.

Volvente anno 1857 per apostolicum Rescriptum, cui nomen Brevis inditum est, cautum fuit ut, sex praebendis canonicalibus suppressis pro congrua parochorum alimonia, sex pariter in tota civitate novae et distinctae crearentur Paroeciae, quas inter et una in Cathedrali existeret ab Archipresbytero, secunda dignitate, regenda. Ex hoc factum fuit ut ista secunda dignitas uberes fructus perciperet. Quandoquidem nedum ipsa, ut caeteri Canonici, potiebatur praebendam, sed et sextam partem praebendarum, quae ex Bullae dispositione suppressae fuerant; adeo ut fructus Praebendae Archipresbyteralis summam libellarum 3301,52 in praesentiarum conflent. Id aegre ferens Capitulum, per suum praesidem sub die 16 Septembris 1878 supplicem S. C. C. libellum porrexit, ut dirimere dignaretur dubia quae in calce exscribuntur.

Disceptatio synoptica

Ea quae parocho adversantur. Distributionibus ab absente lucrandis obicem parare videtur prae primis *caput unic. de cler. non resid. in 6*. Siquidem in hoc Bonifacii VIII decreto haec leguntur: - *Statuimus, ut distributiones ipsae quoti-*

dianae, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis ac aliis Beneficiatis et Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem adfuerint tribuantur. . . . Quod Bonifacii VIII decretum in usum revocatum a Concilio Tridentino in notissimo *Capite 12 sess. 24 de Reform.* non obstantibus quibuscumque statutis, et consuetudinibus indubiam atque indeclinabilem legem firmavit in distributionibus percipiendis « *Distributiones vero,* ita Tridentini Patres, *qui statutis horis interfuerint recipiant, reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant* ». Et iure optimo: distributiones enim Clericis debentur ratione servitii personalis, non autem respectu tituli, nec dantur tamquam Canonico, sed tamquam inservienti divinis.

Quod si S. C. C. quotidianas distributiones iis aliquando attribuit, qui a choro abessent propter animarum curae exercitium, perpendendum sedulo est, de illis tantum sic eam disponere, quorum canonicatui curae animarum onus sit adnexum, uti docent *Barbosa de Can. et Dignit. cap. 24 n. 11., Moneta de Distrib. quot. part. 2 quaest. 11 n. 69*, tenuitque s. Congregatio in *Montis Regalis Distributionum 6 Dec. 1732, Perusina 25 Iunii 1765.* Id tamen in themate dici nequit, quia Archipresbytero adiudicata fuit portio extinctarum Praebendarum, quae pro erigendis Paroeciis suppressae fuerant, quaeque portio distincta est ab Archipresbyterali praebenda; subindeque neque ius, neque recta ratio pateretur, ut ipse aliis laboribus distentus, pro quibus mercedem et non levem percipit, etiam omnibus potiri debeat privilegiis, quibus ii fruuntur Parochi, quorum dignitati, vel canonicatui adnexum est onus curae animarum.

Idem consectarium potiori ratione tenendum videtur etiam in distributionibus, quae audiunt inter praesentes. Maxime quia ad hasce lucrandas satis non est ficta, sed realis et physica praesentia beneficiati requiritur, ceu passim docet S. C. C. praecipue vero in *Reatina Iubilationis 28 Aprilis 1770* §. *Contra;* ubi traditur quod tribui debent « Emolumenta Anniversariorum, » Processionum aliorumque similium quae ex praesumpta testa- » torum voluntate relinquuntur Capitularibus actu interessen- » tibus, qui pro animabus Benefactorum preces fuderint ».

Quod vero spectat ad fallentias animadvertendum occurrit, ex iuris dispositione accrescere debere tantummodo interessentibus, qui ob aliorum absentiam maiorem subeunt in choro laborem. Ipsae enim tamquam praemium interessentibus dantur, et in poenam absentibus auferuntur. Hinc docet *Barbosa de Canonicis et dignitatibus cap. 23 n. 18* - ibi - « Utrum autem » distributiones absentium debeantur actu interessentibus, verum etiam aliis, qui iuris fictione censentur interessentes, ut » quia absunt ex causa infirmitatis vel in Ecclesiae suae utilitatem. . . solum deberi actu interessentibus constat ex *cap.* » *unic. vers. Statuimus de Cleric. non resid.* » Concinunt *Bonacina de distrib. quaest. ult. punct. 1 n. 6., de Benef. p. 3 cap. 2 n. 465.* Hi enim DD. moventur ad hanc tuendam sententiam ex eo quod absens ob legitimam causam reputatur praesens in choro ad lucrandas suas distributiones ex *Conc. Trid. sess. 24 cap. 12;* non vero a negligentibus amissas; quia congruum est ut hae illis accrescant, qui stante aliorum absentia maiori labore gravantur. Hisce igitur omnibus attentis prono veluti alveo fluit Archipresbyterum ad lucrandas distributiones inter praesentes, nec non fallentias a negligentibus amissas, bono iure destitutum fore.

Ea quae parocho favent. Altera sed vero ex parte scitissimi iuris est, Parochum animarum curae incumbentem ita praesentem in choro reputari ac si divinis intersit, *Trident. Synodus sess. 22 cap. 3.* Quare non modo de distributionibus ordinariis participem fieri debere, verum etiam de extraordinariis docet *Scarfant. lib. 2 tit. 10 n. 9 et seq.* - ibi - « Et eo magis certa Capituli persona, cui dumtaxat immineat cura » animarum cumulanda est distributionibus, si divinorum tempore parochialia munia exerceat. . . . Accipe de quibuscumque Distributionibus tam ordinariis, quam extraordinariis ita » contra *Bonac. de distrib. d. 2 quaest. 5 §. 7 in fine* absolute tenet *Trullen. in Decal. lib. cap. 8 dec. 2 num. 7.,* » et declaravit sacra Congregatio teste Nicolio in *Glos. V. Di-* » *stributiones num. 13.* » Et merito: si enim indultum iubilationis suffragatur pro participatione omnium fructuum et di-

stributionum etiam extraordinariarum ut declaravit S. C. C. *in Burgi s. Domnini 19 Aprilis 1704;* imo si suffragatur ad percipienda, praeter distributiones ordinarias, quaecumque alia emolumenta, ut in *Aquipendien. 27 Sept. 1559 ad dub. II., Perusina 17 Iulii 1668, Romana 29 Ianuarii et 5 Martii 1678,* nulla pretiosa ratio suppetere videtur ad id denegandum Archipresbytero Parocho, qui dum animarum curae incumbit inhaerenti suae dignitati, non minus quam Canonicus iubilatus pro praesente et interessente habendus est; *Garcias de benef. p. 3 cap. 334.*

Nec minus parochum, officii causâ et propter exercitium curae animarum absentem a choro, negligentium fallentias constat lucrari. Neminem enim latet praesenti in choro iuris fictione haec emolumenta tribui. Ipsa enim dantur et Canonicis indulto donatis, infirmitatis causa, uti videre est in *Romana 5 Maii 1703 ad II Dubium,* in quo quaerebatur; *An eidem Canonico* (absenti a choro et aliis divinis officiis ex indulto propter infirmitatem) *competat pro sua rata parte etiam ius accrescendi earum distributionum et communium quae ob absentiam vel vacationem Canonicorum interessentibus accrescunt, et a qua die supradicta omnia debeantur in casu.* - Responsum prodiit - *Affirmative a die praesentationis indulti.* - Item dantur et iubilatis uti videre est in *Aquipendii 2 Martii 1697 ad III Dub., dummodo non obstent constitutiones particulares, et consuetudo Ecclesiae.* Unde Scarfantonius loquens de Canonicis absentibus a publica psalmodia ob rationabilem causam, facto sibi dubio, utrum istis debeantur distributiones, quas alii Canonici, absque rationabili causa, absentes a Choro tunc temporis amittunt, profitetur se pro affirmativa stare sententia contra Bonacinam aliosque. Atque hanc opinionem etiam probabilem dicunt *Castr. Pal. tom. 2 et Trullen. in decis. cap. 8 n. 7;* et *Benedictus XIV Instit. 107* refert S. C. C. sub die 18 *Aprilis 1511* in decisione scripta in *L. XI Dec. 98* censuisse, eos qui absunt a servitio Chori ob infirmitatem, vel aliam causam non modo percipere debere distributiones quotidianas sui Canonicatus, perinde ac si statis horis interessent, sed etiam percipere aug-

mentum distributionum quas amittunt illi, qui divinis non interfuerint. Ex quibus colligitur, fallentias absentium a Parocho actu quo abest a Choro ob exercitium curae animarum percipiendas fore, cum eum abesse ex legitima causa in dubium revocari non possit.

Omnem praeterea amaritudinem hac super re tollit observantia. Observantia est enim fida interpres dispositionum humanarum et maximum valorem habet in distributionum materia. Porro compertum est, duce observantia, Capitulares munere Parochiali fungentes, pro praesentibus in Choro habitos fuisse, consequenter distributiones ordinarias et alios proventus nactos esse. Ergo eodem iure pollere Archipresbyterum actualem autumandum est, cum sit subrogatus Capitularibus animarum curam gerentibus; atque hoc eo vel maxime quia ab anno 1857 in quo Curam obtinuit, in pacifica adest possessione. Praeterea observandum est quod Capitulum ad sidera tollit Archipresbyteri reditus, omittendo reditus eosdem talibus affici gravaminibus, quae valde eorumdem summam extenuant.

Nunc ad alterum dubium in quo quaeritur an Archipresbytero onus sit conferendi tertiam partem fructuum Praebendae, distributionum quotidianarum gratiâ. Sententiae affirmativae subscribendum videtur. Scitissimum enim in iure est, quod qui commodum persentit, onus subire teneatur *Reg. 55 de Reg. iuris in 6.* Ratio autem huius principii fundatur in aequitate naturali, quam adeo agnovit etiam Imperator ut illum nec ferendum, nec tolerandum existimaret qui lucrum et commoda amplectitur, et annexa incommoda sufferre non vult, *L. un.* §. *1 ad fin. C. de Caducis tollend.* - ibi - *Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit* -. Cum itaque Archipresbyter absens a Choro ratione muneris Parochialis distributionum utilitatem consequatur, sustinendum ab ipsomet fore onus contributionis in sua praebenda in aprico est.

Affabre quidem Cardinalis de Luca *Lib. 14 part. 5 adn. ad Sac. Conc. Trid. disc. 15* docet « in istis decretis pro Ec-
» clesia[illegible]dralium. . . . meliori servitio ac cultu pru-

» denter disponitur, quod ubi distributiones quotidianae te-
» nues essent, adeo ut Canonicos ac Beneficiatos, aliosque mi-
» nistros ad servitium non allicerent, quia nempe ob tenuitatem
» de facili negliguntur, tunc tertia pars fructuum singularum
» praebendarum, cum debita proportione, ut aequalis, non au-
» tem inaequalis contributio sit, quotidianis distributionibus
» assignari debeat. »

Nihilo tamen secius non in tertia parte fructuum totius praebendae ipse obstringendus videtur, sed in contributione qua quilibet Canonicus infandis nostris temporibus, iuxta reditus Ecclesiae devictus manet. Alias enim Canonici lucrum captarent cum damno Archipresbyteri; quod quantum nefas sit, nemo est qui non videat.

His itaque expositis, remissum fuit iudicio Eñorum Iudicum decernere quonam responso dimittenda essent

Dubia.

I. *An Archipresbytero, ob curae animarum exercitium absenti a Choro, debeatur participatio in distributionibus quotidianis, necnon in emolumentis extraordinariis et adventitiis in casu.*

II. *An eidem Archipresbytero absenti, ut supra, debeantur fallentiae Canonicorum absentium in casu.*

Et quatenus affirmative ad utrumque.

III. *An et in qua quantitate fructuum suae praebendae Archipresbyter concurrere debeat pro distributionibus quotidianis in casu.*

Resolutio. Sacra C. Congr. sub die 23 Augusti haec dabat responsa:

Ad primum affirmative, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis.

Ad secundum affirmative.

Ad tertium affirmative pro tertia parte praebendae canonicalis tantum.

Ex quibus colliges.

I. Distributiones chorales haud deberi clericis respectu tituli; sed ratione servitii personalis, seu quia divinis inserviunt

iuxta Tridentinum: *distributiones vero, qui statutis horis interfuerint recipiant, reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant.*

II. Verumtamen ex *Trid. Sess. 22 cap. 3* Parochum tempore quo *in curata ecclesia resederit ac ministraverit,* tamquam praesentem haberi, ac divinis interesse; ideoque frui distributionibus valere tum ordinariis, tum extraordinariis.

III. Nam si canonicus iubilatus aut absens infirmitatis causâ, ex praxi S. C. C. frui potest distributionibus ordinariis et extraordinariis, nec non emolumentis quibuslibet, nulla adesse ratio videtur, qua privilegium huiusmodi denegandum sit Canonico Parocho, qui divinorum tempore, munia exerceat parochialia.

IV. Neminem praeterea latere physice absentem rationabili de causa, fictione iuris haberi praesentem, et lucrari negligentium fallentias; ast quomodonam his fallentiis carebit canonicus Parochus, absens ob curae animarum bonum, quum nulla sit absentiae causa rationabilior?

V. Ex omnibus praebendis contributionem fieri debere aequaliter pro distributionibus quotidianis, erui ex ipsa naturali aequitate; nam tolerandum non est, quod incommoda ferre non velit, qui lucrum et commoda amplectitur.

VI. Hinc in themate liquidum esse Canonico Parocho munia parochialia exercenti, negligentium fallentias omnesque distributiones deberi, nisi obstet voluntas testatoris vel dantis (1); ipsumque canonicum Parochum concurrere debere pro distributionibus quotidianis, pro tertia parte praebendae canonicalis tantum.

(1) Sacra C. C. dum indulget, ut qui rationabili de causa absens est a choro, fictione tamen iuris uti praesens habeatur et lucrari valeat omnes distributiones ordinarias et extraordinarias adiicit limitationem – *nisi obstet voluntas testatoris aut dantis* – Etenim uti sacram et inviolabilem habet testatoris aut dantis voluntatem, qui caverint ut physice praesentes tantum participare debeant, ceu videre est in *Novarien. Iubilat. 2 Octob. 1677.* In hac quaestione proposito dubio « An duo Canonici iubilati » s. Gaudentii frui deberent emolumen- » tis anniversariorum, quae fiunt intra » annum, licet non adsisterent responsum » fuit – *affirmative.* » Causa tamen iterum proposita die 29 Ian. 1681, rescriptum fuit: « in decisis quoad anniversaria fixa, » et in quibus non cautum est a testato- » ribus, ut interessentes tantum parti- » cipare debeant, » uti legitur in lib. 42 decret. fol. 44.

CANONICATUS

Die 20 Septembris 1879.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Canonicus F. nunc iam vitâ functus, cupiens ut praebendam canonicalem, quam per mortem relinqueret, Sacerdos sibi benevisus consequeretur, adpromisit se repensurum, pensionis instar, decimam fructuum praebendae partem filio cuiusdam mulieris, quatenus ista a patrono obtineret ut ad eamdem praebendam nominaretur praedictus Sacerdos. Patronus a muliere rogatus annuit, et Presbyter Vincentius G. canonicatum obtinuit sub conditione rependendi quotannis Salvatori T. decimam fructuum partem. Nunc autem praebendatus et pensionarius, supplici dato libello, a Sede Apostolica efflagitant, ut attentâ bonâ fide, quoad praeteritum sanatio eisdem tribuatur, et quoad futurum liceat Canonico praebendam retinere et pensionem pensionario rependere, ne scandalum et admiratio in populo enascatur contra eumdem beneficiatum, quatenus beneficio privari deberet.

Disceptatio Synoptica.

EA QUAE ORATORIBUS OPPONUNTUR. In primis notandum quod cum quis alicui dat, vel confert aut resignat Beneficium ecclesiasticum, *vel ad illud praesentat*, et eligit, seu electum et praesentatum instituit et confirmat cum certa confidentia, et obligatione, idest cum expresso vel tacito pacto vel conditione, ut sibimet vel *alteri*, certo tempore, iterum cedat, *aut ex eo pensionem, vel certam partem fructuum* tribuat, simoniam confidentialem committit, uti clare patet ex Const. 85 Pii IV « *Romanum Pontificem* » et ex Const. s. Pii V « *Intolerabi-*

lis » ex cap. *Sicut tuis 33* et *argum. cap. Veniens 19 De Simonia.* Sacra Congregatio in *Hurien. 19 Apr. 1785* §. *In Simoniae, Barbosa* in *cap. Nemo num. 4 De Simonia, Layman. De Simonia* §. *6 num. 65* cum universa canonistarum schola. Et hoc etiam procedit in beneficiis iurispatronatus, etiamsi praesentatus ignoret pactum simoniacum intercessisse: *cap. Si alicuius 59 De elect. cap. Nobis 27 De Simonia, Ferraris, verbo Simonia art. 2 num. 9,* S. C. C. in *Urbinaten. 18 Decembris 1851* §. *Iam vero.*

Quae si prae oculis habeantur, clare patet in casu, tam oratores quam patronum simoniae confidentialis labem incurrisse, ideoque poenas latas in citatis Constitutionibus Pii IV et V contra simoniacos effugere non posse videntur, ac per consequens ipso facto excommunicationem incurrisse Summo Pontifici reservatam in Bulla *Apostolicae Sedis* §. *9;* privatum existere Sacerdotem G. beneficio simoniace obtento, et inhabilem evasisse ad alia quaecumque beneficia in posterum obtinenda. Utrique insuper oratori onus incumbere videtur restitutionis fructuum simoniace perceptorum, qui applicari debent Camerae Apostolicae. *Cap. Si quis neque caus. 1 quaest. 1, cap. Matthaeus 23 de Simonia, Extrav. Cum Detestabile 2 De Simonia.* s. Pius V in cit. Constit. et in Const. 6 « *Cum primum,* » et beneficium in casu reservari Summo Pontifici, ita ut nullus alius illud conferre valeat, citatae Const. Pii IV et V.

Neque absolutio concedenda videtur nisi prius Sacerdos G. beneficium dimittat, et ipse et Sacerdos S. C. C. fructus perceptos restituant, docente hoc in *Caurien. Censurarum 30 Iulii 1874 ;* in qua cum ageretur de absolutione pro admissa simonia, proposito dubio: « *An sit consulendum SS. pro absolutione et convalidatione tituli beneficii* », respondit: « *Dimittat, restituat fructus perceptos, et postea supplicet.* »

Ea quae oratoribus favent. Altera vero ex parte dici potest quod ignorantia censurarum excusat ab eis incurrendis, quamvis contra legem agendo quis gravissime peccet: *Cap. Ut animarum periculis 2 De Constit. in VI,* quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia: *cap. Qua fronte 15 de appel-*

lation; contumacia autem non adest, ubi ignorantia censurae habetur, cum ignorantia excuset a contemptu et contumacia. *L. Si ignorans 50 ff. Locati.* Insuper ab incursu simoniae excusat ignorantia invincibilis, quia ad peccatum requiritur consensus; ignorantis autem nullus est consensus. *L. Si per errorem 15 ff. De iurisd. omnium iudicum; L. Non idcirco 9 C. De iuris ac facti ignorant.* Cum autem ignorantia a culpa simoniae excuset, excusare etiam a poenis dicenda est, ubi enim nulla est culpa, ibi nulla esse debet poena. *Arg. leg. Si putarem 31 ff. Ad leg. Aquiliam, leg. Sancimus 22 Cod. De poenis, Cap. Cognoscentes 2 De Constit.* - ibi - « *Rem quae culpa caret in damnum vocari non convenit.* » *Cap. Sine culpa 23 De Reg. Iur. in 6* - ibi - « *Sine culpa, nisi subdit causa, non est aliquis puniendus.* »

Igitur cum in facto constet Oratores in bona fide fuisse, et ignorasse pactum simoniacum conventum inter titularem et famulam, sciente et approbante patrono, viderentur immunes a quavis censura et culpa, aut saltem ab eisdem absolvendi *Suarez tom. 1 de Relig. tract. ul. de Simon. cap. 57 n. 39 Thesaur. de poenis part. 2 verb. Simonia* §. *2 circa finem, Reiff. lib. 5 tit. 3 n. 278 et alii communiter.* Sacerdos autem G. etiam in possessione beneficii manutenendus videtur, quia alia quacumque provisione caret ad honeste vitam sustentandam, et quia si beneficio expoliaretur, scandalum enasceretur inter fideles, quod omnino vitandum amico foedere omnia iura clamant.

Hisce obiter in iure et in facto delibatis, remissum fuit EE. PP. sapientiae decernere quonam responso Oratorum preces dimittendae essent.

Resolutio. Sacra Concilii Congr. sub die 20 Septembris 1879 censuit respondere: *Praevia absolutione saltem ad cautelam, pro gratia sanationis favore utriusque, attenta bona fide, ita tamen ut pensio vitam beneficiati non praetergrediatur, et canonicus ac pensionarius pro unica vice persolvere debeant Ordinario sextam redituum partem, in pauperes erogandam, facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

I. Simoniam, de qua in themate, esse confidentialem; quia beneficium collatum fuit cum certa confidentia et obligatione ut pars fructuum beneficii eiusdem alteri ab investito solveretur (1).

II. Huiusmodi confidentialis simoniae genus, praeter poenas ex iure communi coeteroquin adhuc vigentes, ex nuperrima *Const. Apostolicae Sedis* §. IX excommunicatione plecti R. Pontifici reservata.

III. Tum a simoniae labe tum a poenis ecclesiasticis immunes videri oratores; eoquod simoniacam ignoraverint conventionem ab aliis initam, et ex iure certum sit quod sine culpa non sit aliquis puniendus.

(1) Rei simoniae confidentialis privantur tum beneficii per simoniam acquisiti, tum alterius cuiuscumque beneficii aut pensionis, etiam canonice prius obtentae, atque inhabilitationem incurrunt ad idem beneficium et ad alia quaecumque obtinenda; probabiliter non ante sententiam, saltem criminis declaratoriam. Insuper collatio beneficii per simoniam confidentialem dati vel accepti soli R. Pontifici reservatur, fructusque ex eo male percepti Apostolicae Camerae applicantur. Et iuxta Caput *Sicut tuis 33 de Simonia* Oratores, de quibus agitur, debuissent beneficium et pensionem dimittere, quum agnovissent simoniam per alios esse patratam. Legitur enim *loc. cit.* « Secundum sacrorum canonum instituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur. »

Ast oratores ad Apostolicam Sedem recursum habere praetulerunt, ut sanatoriam super praeteritum obtinerent, et facultatem retinendi beneficium et accipiendi pensionem in futuro. Et voti compotes facti sunt, ex benignitate SS̄mi Patris.



CONCURSUS

Die 20 Decembris 1879.

COMPENDIUM FACTI. Ecclesia parochialis et archipresbyteralis s. Iulianae virgini et martyri dicata Dioecesis A. suo mansit viduata pastore die 19 Octobris anni 1877. Ordinarius, cuius erat eiusmodi beneficium conferre, post quatuor menses a die vacationis, petiit ab Apostolica Sede dispensationem a concursu faciendo. Gratia denegata fuit et monitus fuit Episcopus teneri ad concursum indicendum. Ut novus sufficeretur pastor in illa paroecia pro bono animarum, per edictales litteras diei 7 Iulii 1878 concursum Episcopus indixit; dieque 15 eiusdem mensis terminum convocationis prorogavit (1).

Albo concurrentium nomen dederunt dd. Antonius Iannucci, Antonius Iannotta, Alphonsus Iannucci, Paschalis Mauro, Antonius Renzi, Angelus della Ratta, et Alphonsus Calandra; qui omnes die 25 Iulii 1878 coram tribus examinatoribus comparuerunt ad periculum subeundum. Ad trutinam deinde revocatis concurrentium responsis, ac perpensis testimoniis morumque probitate eorum tantum, qui quoad doctrinae meritum idonei reputati fuerant, (2) uti ex actis apparere videtur, quinque priores adprobati renunciati fuerunt, duo postremi reprobati. Dein Episcopus d. Antonium Iannucci, qui maiorem votorum numerum retulerat, in novum Archipresbyterum elegit, eique institutionem dedit. At cum postea mente recogitans se errasse

(1) Dilatio huiusmodi nullitatis poenam non meretur. Nam si Tridentinum praefinit terminum decem dierum, hunc tamen precise non assignat, sed arbitrio Episcopi relinquit. Poterit esse longior, dummodo non excedat 20 diem, servata forma constitutionis s. Pii V, iuxta *Garsias de Benef. 1. par. 9. et cap. 2 n. 50 et 51.*

(2) Vide appendicem pag. 119 in qua perpendimus, an ratio huiusmodi ferendi iudicium, stet adversus doctrinam de iudicio cumulativo ferendo, tum quoad scientiam tum quoad concurrentium requisita.

intellexisset, eoquod provisio ad Sedem Apostolicam ea vice fuerat devoluta ob eius negligentiam, quia a die vacationis decimus currebat mensis, Bullas Apostolicas favore electi a Dataria impetravit, quae revera datae sunt quarto Kalendas Octobris 1878; ac regio, ut aiunt *placet* munitae, executioni demandatae fuerunt, non sine aliquo clamore et scandalo ex parte d. Calandra.

Hic enim aegro animo suam ferens reprobationem, intra terminos iuris, a mala examinatorum relatione appellavit ad Metropolitanam Curiam. Quae primo pronunciavit, concursum nullum fore declarandum, utpote indictum elapso tempore habili pro collatione paroeciae ex parte Episcopi; perpenso tamen quod in posterum collatio Paroeciae facta fuerat ab Apostolica Dataria, semet incompetentem praesenti in controversia declaravit. Quapropter d. Calandra die 27 Ianuarii petiit a S. C. C. ut concursus ille declararetur nullus, ut scriptis concursus iterum perpensis, magis idoneo nempe domino Calandra, ecclesia tribueretur, ut Bullae Apostolicae nullae declararentur, quia obreptitiae, et subreptitiae.

Episcopus, de more, rogatus pro informatione, totus in eo fuit ut Apostolicam Bullam, superius citatam, a subreptionis obreptionisque vitio omnino expertem demonstraret. Postea Reverendissimus Praesul examinatores prosynodales a simoniae labe, qua infectos d. Calandra per iniuriam in vulgus dictitabat, expurgat, eumdemque turbarum et scandali causam declarat, ita ut ex conscientiae debito eum a confessionibus audiendis suspendere debuerit.

Disceptatio synoptica.

Iura Domini Calandra. Iubet Tridentina Synodus *Sess. 24 cap. 18 de ref.* Examinatores prosynodales ferre debere in collatione beneficii parochialis iudicium cumulativum scientiae et requisitorum .Etenim sic se habet Tridentinorum Patrum mandatum. « *Peracto examine renuntientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrinâ, prudentiâ et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis.* »

Quae quidem doctrina de iudicio cumulativo ac coniunctivo ferendo, circa doctrinam ac requisita concurrentium, clarius explicatur et confirmatur a Benedicto XIV *De Synod. Dioec. libr. 4 cap. 8 n. 3* « Examinatores....... non solum experiri » debent eorumdem scientiam,sed et praecipuam rationem ha- » bere probitatis morum, prudentiae, aetatis et caeterarum qua- » litatum, quibus praeditum esse oportet cui animarum regi- » men committitur. » Cui concinit eiusdem Pontificis Constitutio incipiens *Cum illud* §. 16. « Parem ni forte maiorem solertiam » Examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, » regimini animarum consentaneis: morum honestatem inqui- » rant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus Ecclesiae » obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spe- » ctabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere con- » socianda; hisque omnibus coniunctim expensis, inhabiles per » sua suffragia reiiciant, et idoneos Episcopo renuncient. »

Nunc si Tridentinum et Benedictus XIV formiter iudicium cumulativum et coniunctivum scientiae et requisitorum induxerunt, hac forma spreta, ipse concursus corruat necesse est. Audiatur sane Reclusius *de Concursibus p. 1 tit. 5 n. 16 et seq.* « Mala pariter erit Examinatorum relatio, quotiescumque intra » doctrinae limites sese continuerint, de moribus autem aliis- » que ad animarum regimen opportunis qualitatibus minime in- » vestigaverint; Benedictus XIV....... ita ut huiusmodi mala » examinatorum relatio, ob non servatam praescriptam ordina- » tamque formam, afferat insanabilem concursus nullitatem ex » citatis auctoritatibus.

Cui doctrinae constanter adhaesit S. C. C. quae in causa *Montis Regalis* diei 2 Augusti 1607 relàta a Fagnano *in Cap. Eam te* de act. et qualit. praef. n. 15 censuit: « Si examina- » tores non retulerint idoneos quoad omnes qualitates, prout » Concilium requirit, concursum esse nullum ». Quibus concinere videntur resolutiones in Beneventana Concursus die 26 Ianuarii 1878, et in Viterbien. 4 Maii eiusdem anni. (1)

(1) Habes quaestiones istas relatas Vol. XI. pag. 117 et 125.

Quum igitur in Concursu, de quo agitur, nulla ratio ab examinatoribus habita fuerit de meritis d. Angeli della Ratta et actoris Calandra, ceu ex actis apparet, manifesta videretur erumpere concursus nullitas; ideoque novum concursum indicendum esse, vetito tamen d. Iannucci ad concursum accessu, ob simoniae labem. Quae nullitas sanata dici nequit ex Bulla a Dataria concessa favore Iannucci, eoquod de nullitatis sanatione, ex hoc capite, ne verbum quidem occurrit.

Quod si contendi vellet, hac etiam formâ spretâ, concursum sustineri, provisio tamen parochialis Ecclesiae favore Iannucci facta, sustineri non posse videtur, utpote simoniacâ labe infecta. Ex iure enim certum est, beneficiorum collationes simoniace factas, irritas et inanes esse. Idque obtinet sive ab utraque parte simonia perfecta sit, sive conventione nitatur, tam si ipse electus, quam si, eo ignaro, eius amici et consanguinei pecuniam dederint aut promiserint *Can. 5 caus. 1 quaest. 4 Extravag. 2 de Simon. inter communes, cap. 27 de Simonia* et DD. communiter.

Quod reapse in themate simonia intercesserit inter d. Iannucci et examinatores, enarrat actor, nonnullisque testimoniis conficere studet, et arguit nullitatem provisionis favore Iannucci. Enarrat insuper quomodo provisio facta, vi Apostolicae Bullae, sustineri nequeat, quia obreptionis et subreptionis vitio laborat.

Vel nullus itaque validus declararetur concursus facta provisio esset infirmanda, atque ideo sustinebat actor sibi paroeciam adiudicandam esse. Etenim si requisita doctrinae, arcto foedere consocientur, si omnia coniunctim expendantur ad tramites Benedictinae Constitutionis, d. Calandra profecto inter approbatos adnumerandus esset. Nam ipse per plures annos publice docuit in Seminario dioecesano, confessoris, cathechistae, et concionatoris munere functus est. Posita ergo approbatione, cum in Episcopi facultate sit inter approbatos, quem magis idoneum in Domino iudicaverit eligere, indubie ipse electus fuisset, subindeque in praesens ipsi paroecia adiudicanda esset. Adiecit etiam quod Episcopus, acto-

rem praetulisset aliis omnibus in paroecia, ob declarationes existimationis et benevolentiae, quas eidem patefacerat usque ad diem in quo ab examinatoribus prosynodalibus reprobatus fuit.

Iura D. Iannucci. Ex altera vero parte, ratio agendi examinatorum minime reprobanda videretur in casu, uti Tridentinae legi contraria. Nam ista iubet examinatores inquirere debere de aetate, moribus, doctrina, prudentia concurrentium; ast scientiâ deficiente, inutile videtur excutere caetera merita: eoquod concurrens ex unius defectu, inidoneus iam iudicatus fuerit. Scitum est etiam ex ss. canonibus, quod ignorantes et indocti a parochiali munere arcendi sint; ideoque videretur ex legis dispositione Examinatoribus onus incumbere, tunc solum super merita inquirendi, quando concurrentes determinatos scientiae gradus, facto periculo, attigerint. Sic in *Anagnina Concursus* (1) 20 Iulii 1872, ex eo quod examinatores in vim longaevae consuetudinis haud merita expenderant Sacerdotis Pace, qui reprobatus quoad scientiam fuerat, proposito dubio: « *An constet de nullitate concursus ad Paroeciam s. Pancratii in casu.* » respondit *Negative*. Quae quidem resolutio confirmari meruit in Comitiis 14 Decembris eiusdem anni, cum clausula *et amplius*.

Quamobrem si de concursus validitate haud ambigendum sit, inutile videtur disquisitionem instituere super provisione Ecclesiae parochialis in persona d. Iannucci, qui prae suo competitore dignior, quoad scientiam et requisita apparet. Idque constare videtur tam si perpendantur acta concursus, quam si consideretur iudicium editum ab examinatoribus et deputato consultore (2). Et quod maius est, praeelectus ab Episcopo fuit et Apostolicae Datariae commendatus, a qua sui favore Bullam Apostolicam obtinuit, quae iam executioni fuit demandata.

Accusatio autem Simoniae contra examinatores prolata, pro nihilo habenda est; quia testes de auditu tantum sunt, eorum testimonia scripto exarata, nullâ authenticitatis notâ firmantur,

(1) Relatam habes quaestionem istam Vol. VII pag. 340 har. ephem.

(2) Perlege Appendicem III pag. 119. In ea, docti consultoris vestigia sequendo, aliquid innuere curavimus de validitate concursus, etsi Beneficium ad s. Sedem devolutum fuerit; de iudicio ab examinatoribus lato, de inefficacia electionis et collationis ab Episcopo facta, deque Bulla Apostolicae Datariae.

et quia de eorum examinatorum moralitate bonum testimonium perhibet Antistes edicens, praetensam simoniam in vulgus editam fuisse ab actore Calandra.

Minusque attendi debet quod de subreptionis et obreptionis vitio relatum est; ex eo quod in eius impetratione neque de lite pendente penes Curiam Metropolitanam, neque de iure devolutionis ad Sedem Apostolicam mentio facta fuerit. Nam eadem verba Bullae contrarium evincunt, eo quod mentio fiat ab eadem Bulla et de lite pendente, et de iure devolutionis ad s. Sedem, omnibusque occurritur.

Hisce breviter expositis sequentia enodanda proposita fuerunt

Dubia.

I. *An constet de nullitate concursus.*

II. *An provisio Sacerdotis Antonii Iannucci sustineatur in casu.*

Et quatenus negative ad utrumque.

III. *An et cui parochialis ecclesia adiudicanda sit in casu.*

Resolutio. Sacra C. Concilii, sub die 20 Decembris 1879, re disceptatâ, censuit respondendum:

Ad primum. *Negative.* (1)

Ad secundum. *Affirmative.*

Ad tertium. *Provisum in praecedentibus. Sacerdos autem Calandra vacet per decem dies spiritualibus exercitiis in poenam illatae calumniae.*

(1) Ab illationibus, de more, deducendis abstinemus; eo quod quae deduci possent aequales nobis videntur illis quae reperiuntur Vol. XI pag. 131; ceu colligi potest ex his quae dicturi sumus in proxima appendice.

APPENDIX III.

In qua nonnullae enucleantur difficultates a praecedenti quaestione super Concursu exhibitae.

Innuimus Vol. XI pag. 131 harum ephemerid. ab examinatoribus peragendum esse in concursibus iudicium cumulativum, quoad doctrinam et concurrentium requisita. Ita ut innixi Tridentino *Sess. 24 cap. 18 de ref.* Benedicto XIV *de Synod. Dioec. lib. 4 cap. 8, n. 3,* et Reclusio *de concursibus p. 1 tit. 5 n. 16 et seq.* censuimus concursum nullitate infici, hac spretâ inquirendi formâ. Nam si theoria ab aliquibus defensa de disiunctivo iudicio ferendo, quoad scientiam et quoad concurrentium merita, de iure constituendo uti irrationabilis damnari nequeat, de iure constituto reiicienda est, utpote contraria Tridentinae sanctioni, explicatae a *Bened. XIV loc. cit.*

Doctrinae huic forte adversa praesens resolutio S. C. C. relata pag. 113 alicui videri poterit; nam Examitores illo in themate reprobarunt duos presbyteros concurrentes d. Calandra et d. De la Ratta, priusquam cognoscerent de eorumdem requisitis. Nobis tamen videtur nullum doctrinae eidem illatum fuisse vulnus per hanc resolutionem. Examinatores enim inquirentes de scientia concurrentium, reperierunt d. Calandra appellantem, septem obtinuisse puncta mala et septem puncta bona; De la Ratta autem obtinuisse sex puncta bona et undecim mala. Hinc impossibile fuit Examinatoribus consociare, arcto foedere, puncta scientiae, quae prorsus deerant, et puncta requisitorum quoad praenominatos presbyteros. Isti enim scientiae omnino expertes reperti, negativam exhibuerunt scientiae quantitatem, meritorum punctis addendam. Quamobrem in casu, de quo agimus dici nequit, nobis videtur, peractum fuisse iudicium disiunctivum quoad scientiam et quoad merita concurrentium: sed potius fieri nequivisse iudicium coniunctivum seu additionem ex quantitate negativa scientiae cum quantitate positiva meritorum. Verumtamen dato etiam quod resolutio istaec, doctrinae de qua egimus adversaretur, quid hoc? Dicendum ne erit; nunc S. C. Congregationem, doctrinam reiecisse innumeris suffultam resolutionibus, ut in thesauro videre est? Absit a nobis, quod censeamus per unam aut alteram resolutionem, quae verbis tantum non re contraria esse posset, vel a rerum adiunctis parta, voluisse Emos Patres praxim reiicere, sanctioni Tridentinae apprime consonam. Nonne satius dicere esset quod abnormitas alicuius resolutionis, ab aliis quamplurimis eiusdem generis, aliquando

originem ducat ab adiunctis personarum, locorum et temporum, quae nota sint Emis tantum iudicibus, quaeque prudentia aut charitas proferri in publicum haud expedire suadeant? Nunc ad alia transeundum est.

Paroecia de qua sermo est vacua pastore mansit die 19 Octobris 1877, concursus autem locum habuit die 25 Iulii 1878. Hinc Episcopus post novem menses, a die vacationis, concursum indixit pro collatione huius beneficii curati: ac proinde beneficium vacatum absque ullo dubio sanctae Sedi devolutum erat. Nam s. Pius V sua Constit. *In conferendis* statuit ad s. Sedem devolvi beneficium curatum, quatenus Episcopus, intra sex menses, illud non conferat. « Insuper ne parochiales ecclesiae diu in suspenso maneant in maximum animarum periculum. . . quarumcumque ecclesiarum parochialium, quarum, dum pro tempore vacant ad Episcopos et quosvis alios Ordinarios collatores . . . provisio et collatio spectat et pertinet, quibus iidem Episcopi et Ordinarii praedicti infra sex mensium spatium a die vacationis earumdem, perfecto examine iuxta formam Concilii Tridentini non providerint. . . collationem, provisionem, institutionem ac omnimodam dispensationem Nobis et ipsi s. Sedi reservamus. » (1).

Verumtamen si Ecclesia haec devoluta fuit s. Sedi, ob Episcopi negligentiam, quaeri posset an Episcopus valide concursum indixerit. Quidquid alii censeant, videtur asseri posse, quod concursus valide indictus ab Episcopo fuerit. Etenim per Pontificum Constitutiones, de reservationibus agentes, haud Apostolicae Sedi reservata sunt quae fiunt antecedenter, sed ob negligentium poenam sola beneficii collatio actioni pontificiae devolvitur. Ad rem Bened. XIV *Constit. cum illud.* « Cum non raro contingat ecclesias parochiales, canonicatus atque alia beneficia curam animarum habentia ab Apostolica Sede esse conferenda, vel quia vacaverint in mensibus reservatis, vel quia ex alio capite dictae Sedi reservata sint, Nos praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, praecipimus et man-

(1) Alexander III in Concilio Lateranensi III primum induxit huiusmodi devolutionem cap. 2 *de concess. praeb.* ubi legitur. « Cum vero praebendas ecclesiasticas, sive beneficia ac officia in aliqua ecclesia vacare contigerit, non diu maneant in suspenso, sed infra sex menses personis quae digne administrare valeant, conferantur. Si Episcopus vero, ubi ad eum spectat, distulerit, per capitulum ordinetur. Quod si ad capitulum pertinuerit, et infra praedictum terminum hoc non fuerit expletum, Episcopus secundum Deum, hoc cum religiosorum hominum consilio exequatur. Vel si omnes forte neglexerint Metropolitanus de ipsis secundum Deum disponat.

» damus, ut uno vel altero eve» niente casu, concursus ab Epi» scopo sine ullo discrimine indi» catur, nulla ad hunc actum pe» tita venia vel licentia, quam no» stris hisce litteris sibi tributam » Episcopi intelligant. » Quod autem doctissimus Pontifex iste per verba *uno vel altero eveniente casu,* loqui intelligeret de omnibus reservationis casibus, ac proinde de casu devolutionis, facile deprehenditur. Devolutio enim quaedam reservatio est, et ipse Pius V in praecitata Constitutione devolutionem ob negligentiam Episcoporum, ad reservationis caput reducit, ceu ex verbis ipsis eruitur. Praeterea nil aptius ostendit mentem legislatoris, quam legis ratio; quae certo in themate innuit legislatorem comprehendere voluisse omnes casus. Et re quidem vera quaenam fuit ratio legis Pii V et legis Benedicti XIV? Eadem ratio, idemque finis utrumque movet Pontificem; qui per has constitutiones nil aliud voluerunt, quam ut curae animarum vacanti quamcitius per Episcopos provideretur, et digniori conferretur. Ast Episcopus solus qui oves suas novit, exacto examine per concursum, potest praesentare magis idoneum, qui nempe et scientiâ et morum praestantiâ coeteros antecellat. Insuper in collationibus reservatis sanctae Sedi, iuxta cit. Constitutionem, Episcopi indicere possunt concursum: quare nequibunt in casu devolutionis ob negligentiam Episcopi? Benedictus XIV *Synod. Dioec.* explicat suam constitutionem cum ait: « quo vero ad » cetera omnia beneficia curata ex » alio quocumque titulo, praeter » quam ratione mensis s. Sedi re» servati, acta concursus ad Data» riam mittant. » Per illa verba *in omnibus. . . et alio quocumque titulo* omnes exceptiones respuit, idcirco intelligit etiam de reservatis iure devolutionis.

Reservatio beneficii, iure devolutionis, identitatem habet cum beneficio affecto (1), ergo quod dicitur de qualibet beneficii curati reservatione relate ad indictionem concursus, dicendum est de reservatione iure devolutionis eiusdem beneficii, quia aequiparantur in hoc ac proinde quod lex benedictina decrevit de uno, decrevit de alio.

Ergo si etiam in casu devolutionis beneficii curati ad s. Sedem, Episcopis data est facultas indicendi concursum, iure Episcopus de quo in themate, illum indixit. Verum quid faciendum foret, si Episcopus in negligentia sua perseverasset? Iussu R. Pontificis concursus per ipsum Episcopum indicendus erat. Hoc idem Episcopus

(1) Inter beneficia reservata et affecta aliqui ponunt hanc differentiam. Beneficium reservatum hoc proprium habet, quod Episcopus perpetuo careat facultate illud conferendi, Beneficium affectum habet peculiare quod Episcopus conferre illud non possit, pro sola illa vice qua a Pontifice confertur.

sponte perfecit ad normam *Trident. Sess.* 24 quod a Sede Apostolica peragere cogeretur.

Vidimus iam quod etiamsi Parochiale beneficium devolutum fuerit Apostolicae Sedi, tamen Episcopus valide concursum indixit. Nunc videndum est an concursus absolutus validitate polleat, et an iudices servaverint iura devolutionis ad s. Sedem, iudicium dando.

Quod validus sit concursus absolutus, de quo sermo est, facile evinci posse videtur; quia actus indictionis concursus impletur examine absoluto. Benedictus XIV per *Constit. Cum illud* nedum Episcopis concedit facultatem indicendi convocationem concurrentium, sed peragendi etiam examen. Mandavit enim Episcopis: « Ut quoties vacaverint beneficia s. Sedi reservata, quibus annexa sit animarum cura, opportuna facultate sibi per nos directe collata, concursum indicere non praetermittant; et si quidem agatur de beneficiis reservatis ratione mensis, in quem incidit vacatio, huiusmodi concursus acta ad Datariam Apostolicam minime transmittant, sed tamen significare non negligant, quem ipsi magis idoneum in Domino censeant; quo vero ad caetera omnia beneficia curata ex alio quocumque titulo, praeterquam ratione mensis s. Sedi reservata, acta concursus ad Datariam mittant. » Ex quibus colligitur datam fuisse Episcopis facultatem perficiendi examen. Et ideo, ceu iam supra innuimus, si Episcopi, in casu devolutionis, ob negligentiam Episcoporum, facultate pollent indicendi concursum, etiam in casu devolutionis, possunt concursum agere et concurrentes examinare. Si actus concursus debent ad Datariam transmittere, uti iubet Bened. XIV, debent examen a concurrentibus exigere; alioquin quaenam acta concursus ad s. Sedem mittent? In themate constat normam concursus a Tridentino et a Pontificibus Romanis constitutam, sequutam fuisse. Nam Tridentinum Sess. 24 cap. 18 sic disponit quoad examen: « Transacto » constituto tempore, omnes qui » descripti fuerint examinentur ab » Episcopo, sive eo impedito, ab » eius Vicario generali atque ab » aliis examinatoribus non paucioribus, quam tribus, quorum votis, si pares aut singulares fuerint accedere possit Episcopus vel » Vicarius, quibus magis videbitur. » Examinatores autem singulis annis in Dioecesana Synodo ab Episcopo vel eius Vicario ad minus » sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, et ab ea probentur. » Advenienteque vacatione cuiuslibet Ecclesiae, tres ex illis eligat » Episcopus, qui cum eo examen » perficiant. . . iurentque omnes ad » s. Dei evangelia, se quacumque » humana affectione postposita fideliter munus executuros. » Et s. Pius V adiiciebat: « tempore praefinito transacto, professi omnes examinentur coram Episcopo vel

Vicario. Examinatores in Dioecesana Synodo ab Episcopo vel eius Vicario et capitulo maioris Ecclesiae sex ad minus proponantur. Ex his tres sint examinatores. . . iurent se examinaturos, quolibet humano respectu posthabito. » Et Clemens XI ait: « Omnes concurrentes examinentur eodem modo. Eaedem scilicet quaestiones, iidem casus, idem Evangelii textus proponantur omnibus concurrentibus. Eodem tempore dicantur omnibus iidem casus, eaedem quaestiones. Certum tempus idem omnibus detur ad solvendos propositos casus. Claudantur concurrentes in conclavi unde exire non possint, deturque illis scribendi copia. Omnes sua manu scribant et se subscribant. Responsa scribantur latine, conciuncula patrio sermone. » Benedictus XIV confirmavit Constitutionem hanc referens ea omnia quae in illa continentur in sua Constitutione *Cum illud,* adiiciens praeterea: « die praestituto ab Episcopo habeatur concursus, servata accurate in omnibus forma in supra relatis literis anno 1721 (nempe in constitutione Clementis XI) editis, totaque in eo gestorum series scriptis diligenter enucleetur. Porro examinatores, ad assequendam certam et indubiam coniecturam scientiae, postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in evolvendo explicandoque oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite vel a sanctis Patribus vel a sacro Concilio Tridentino vel a Catechismo romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas responsiones quaestionibus propositis ». Hanc canonicam normam sequutam ab Episcopo et Examinatoribus fuisse nemo negat.

Nunc ad secundam propositionis partem gradum facientes, putamus quod examinatores pro-Synodales dando iudicium egerint citra ius reservationis. Etenim statutum est pro beneficiis reservatis sive directe sive iure devolutionis, quod s. Sedi relinquitur proferre iudicium de concursu peracto; praeterquam in reservatione, relate ad mensem in quo provisio spectat ad R. Pontificem, iuxta pluries cit. Constit. *Cum illud* « Absoluto concursu si res sit de beneficiis curatis quae tantum ratione mensium reservata sint, Episcopus inter approbatos eligat magis idoneum et Datariae significet nec acta concursus transmittantur, nisi a Dataria, cum id opportunum duxerit, requirantur. Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet animarum ex alio quovis capite, quam mensium Apostolicorum, s. Sedi reservata sint. Eo sane casu, veteri non immutato more, abstineat Episcopus a ferendo dignioris iudicio, et acta concursus, ultro Datariae exhibeat; licebit tamen Ordinariis, pro suo arbitrio, familiaribus litteris Datario scriptis, eidem denunciare personam, quam censent regendae ecclesiae magis idoneam, eumdemque

commonere an occulta aliqua et in actis reticita subsit causa, quae cuipiam obstet ad beneficium curatum obtinendum.

Examinatores ergo se abstinere debebant a ferendo iudicio, et Episcopus debebat acta ad Apostolicam Datariam transmittere. Et ideo iudicium ab examinatoribus datum, quamvis rectum, inefficax fuit, nullumque valuit obtinere effectum iuridicum quoad beneficii collationem.

Ex quibus consequitur etiam, nullam et inefficacem electionem et collationem beneficii ab Episcopo factam fuisse. Etenim R. Pontifex plenariâ utitur potestate omnia conferendi beneficia Ecclesiastica. *Cap. Licet de praeb. in 6;* et ab ipso omnis beneficiorum divisio et origo collationis procedit, iuxta *Cap. ut Eccles. sing. caus. 13 qu. 1.* Et ideo R. Pontifex conferre potest omnia beneficia ad Ordinarios pertinentia vel iure praeventionis, vel reservationis, vel devolutionis. Caput quod ius devolutionis respicit ad causam nostram spectat. Episcopus contulit beneficium curatum post novem menses, imo in decimo mense a die vacationis, et in possessum immisit presbyterum, quem digniorem existimavit: dum ex *Cap. de suppl. negl.* sancitum sit quod *si is ad quem spectat beneficii collatio, lapso tempore Lateranensis concilii conferat, non valet collatio* » Et ratio est quia transacto temporis limite, collatores ipso facto privantur potestate conferendi, quae ad superiorem devolvitur. Et pro non dato habetur quod ab illo datur, qui non potest de iure donare.

Quoad beneficia curata vero s. Pius V *Constit. In conferendis,* quum reservavit s. Sedi beneficium parochiale vacans, cui Episcopus infra sex menses non providerit, subiungit: « *districtius inhibentes ne quis praeter R. Pontificem, aut alios indulta huiusmodi obtinentes, ut praefertur, quacumque sit super hoc auctoritate munitos de huiusmodi beneficiis sic reservatis, ut praefertur, disponere* ». Hinc iuxta canones Episcopus poterat concursum indicere, nequaquam tamen poterat eligere, conferre et in possessionem immittere ; hi actus taxative prohibentur a citatis canonibus et a *Constit.* s. Pii V. Episcopus in themate debebat acta concursus ad Datariam mittere sicut praecipit Constit. *Cum illud.* relate ad Beneficia quocumque titulo reservata, praeterquam illa quae vacant in mensibus Apostolicis.

Episcopum in themate haud excusat error, sicut ipse putavit. Error ne in iure? Non credimus: nam ius in hac re clarissime decernit. Forsitan error propter ignorantiam iuris? nequidem illum excusat: quia error ex ignorantia iuris cum ipsa ignorantia iuris identificatur, et huiusmodi ignorantia non excusat. Error facti? Ast ex actibus constat Episcopum plenam vacationis noti-

tiam habuisse, nullumque errorem facti commisisse. Quinimo Episcopus tam conscius erat de sua inhabilitate illud conferendi beneficium, propter suam negligentiam in providendo, ut Curiae Metropolitanae, et ipso die quo immittebat in possessum novum parochum declaravit, se id agere ex s. Sedis delegatione. Qua tamen delegatione caruit; quia a s. Sede eam directe non obtinuit, neque ius eam Episcopis negligentibus tribuit; eo quod inhabilitatus tamquam s. Sedis delegatus provideret; quod in casu devolutionis numquam a iure conceditur.

Quibus praenotatis dicimus quod Bulla per Datariam concessa valida fuit et efficax. Nam hoc in casu Leo XIII usus est potestate, quam reassumpsit iure devolutionis, providendo ex se in poenam negligentiae Episcopi. Neque obiicere fas est quod presbyter commendatitiam ab Episcopo obtinuit; nam in *cit. Constit. Cum illud* postquam Benedictus XIV decreverit ut Episcopi abstineant a ferendo dignioris iudicio, sed acta concursus ultro Datariae exhibeant, subiungit: « licebit » tamen Ordinariis pro suo arbi- » trio familiaribus litteris Datario » scriptis, eidem denunciare per- » sonam, quam censent regendae » ecclesiae magis idoneam eamdem- » que commonere, an occulta ali- » qua et in actis reticita subsit » causa, quae cuipiam obstet ad » beneficium curatum obtinendum. » Nos ipsi postmodum ab hac sede » omnium principe ac magistra, » luculento edocebimus exemplo, » quantoque vos honore prosequa- » mur, venerabiles fratres in par- » tem nostrae sollicitudinis evo- » catos. »

Neque suspicari licet Bullam collationis paroeciae vitio obreptionis et subreptionis laborare: eoquod electus et institutus idoneus est ad regendam paroeciam. Nam peracto novo examine repertus est longe superans omnes concurrentes. Tandem appellans ait, vitium subreptionis inveniri in concessione Bullae, eoquod Episcopus non manifestavit ius devolutionis ad s. Sedem in poenam suae negligentiae. Ast verba ipsius Bullae confutant asserentis paradoxa; dum ostendunt etiam rationem, qua *hac vice* s. Sedes confert illud beneficium. Hinc Datarius declarat plenam habere cognitionem de tempore vacationis beneficii, ac proinde per verba *hac vice* exprimit facultatem qua providetur, scilicet iure devolutionis.

Quamobrem videtur quod collationis Bulla sanatoria dici possit; in quantum omnia restituit in integrum, scilicet reponendo causam in ea conditione qua fuerat, vix concursu absoluto, et Pontifex non sanando confirmat electionem ab Episcopo factam, sed ipsemet suâ auctoritate, iure devolutionis providet.

DECRETUM (1)

QUO SSMUS PATER LEO XIII DECLARAT AC STATUIT, MATRIMONIUM, QUOD AIUNT CIVILE, IMPEDIMENTUM IUSTITIAE PUBLICAE HONESTATIS NON PRODUCERE.

Postquam laici legumlatores praeter civiles ac politicos matrimonii effectus, impio ausu ipsum pervadere ac moderari praesumpsere matrimoniale foedus, quod a Deo auctore naturae, ante omnem civilis societatis existentiam primitus institutum, ac ad ineffabilem Sacramenti dignitatem deinde a Christo Redemptore evectum, quamlibet politicam et civilem iurisdictionem penitus excedit, pluries Episcopi aliique animarum pastores ab Apostolica Sede anxii postularunt, an ex actu civili, qui honorandum usurpat matrimonii nomen, impedimentum iustitiae publicae honestatis oriatur. Quae postulationes cum iteratae postremis hisce temporibus fuissent, Summus Pontifex mandavit, ut huiusmodi negotium a s. Congregatione Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ritu ac sedulo expenderetur. Sacra autem Congregatio, exquisitis virorum in theologicis et canonicis disciplinis peritorum consultationibus, ac re mature discussa in generali comitio diei 13 Martii 1879 propositae dubii formulae - *An actus, qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum iustitiae publicae honestatis* - rescripsit - *Negative; et consulendum SSmo, ut id declarare ac statuere dignetur.* - Quapropter SSmus Dnus noster Leo Papa XIII audita universa rei relatione in audientia diei 17 eiusdem mensis in voto S. C. concedens, per praesens decretum declarat, ac statuit, praememoratum actum, qui vulgo dicitur matrimonium civile, in locis ubi promulgatum est decretum Concilii Tridentini *Sess. XXIV cap. 31 de Reform. matrim.* sive fideles actum ipsum explentes intendant, uti par est, (matrimonio ecclesiastico iam rite celebrato, vel cum animo illud quantocius celebrandi) meram caeremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum intendant matrimonium de praesenti contrahere, impedimentum iustitiae publicae honestatis non producere. Atque ita etc.

(1) Ex causis a nobis extraneis factum est, ut serius in lucem ederetur decretum quoad quaestionem de matrimonio civili, iam per nos relatam Vol. XII pag. 147 har. ephem.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

VENERABILIS CONFRATERNITATIS SS. STIGMATUM: SUPER INTERPRETATIONE STATUTORUM ET VALIDITATE CONGREGATIONUM.

Die 13 Iunii et 5 Septembris 1879.

Compendium facti. Statutum Archiconfraternitatis ss. Stigmatum Romae, a Clemente X. approbatum in *cap. 5.* decernit quod descriptis omnium fratrum nominibus, ex eisdem sexaginta sortiantur. Qui sexaginta fratres una cum Primicerio et Guardianis, eligunt maiores Officiales. Confraternitas V. praefatae Archiconfraternitati aggregata, longo abhinc tempore, tertiam praesentium fratrum partem, qui nunquam ad sexaginta pervenerunt, sortiri consuevit, eisdemque ut supra commissa erat electio maiorum officialium.

Die 13 Ianuarii 1878, praesentibus quinque Guardianis, absente autem Primicerio, in generali conventu abrogata fuit dicta consuetudo. Et nemine reclamante, omnibusque suffragium ferentibus, constitutum est, ut omnes fratres praesentes, quatenus sexaginta numero minores essent, eligere possent officiales maiores. Et iuxta normam nuper constitutam quaeque Statutis magis consentanea visa fuit, maiores officiales in illo conventu electi sunt.

Verumtamen paucis elapsis diebus, ex fratribus aliquis apud Curiam Ecclesiasticam recursum habuit, eo consilio ut novae irritarentur electiones, quippe quae peractae fuissent, antiqua posthabita consuetudine, et absente, in generali Conventu, Ordinario ecclesiastico et Primicerio.

Vicarius Generalis recursum excipiens, novum indixit ut haberetur secretum conventum, die 10 Februarii, cui ille ipse interfuit. Et quamvis nonnulli protestarent, quod praesentia ecclesiasticae auctoritatis, statutis esset contraria, tamen irritae declaratae fuerunt resolutiones diei 13 Ianuarii per appositum Vicarii Generalis decretum.

Dein iussu Vicarii eiusdem, secretum conventum indictum fuit, die 20 Martii, cui ille ipse praefuit, non obstantibus eisdem protestationibus. Die autem 24 mensis eiusdem ad sortitionem tertiae partis ex praesentibus deventum est; a qua tertia fratrum parte maiores officiales electi fuere; sed omnino diversi ab illis qui die 13 Ianuarii electi fuerant. Res ad s. Congr. Ep. et Reg. delata fuit sub tribus dubiis in calce exscriptis.

Ordinarius censuit posse consuetudinem manuteneri, utpote longissimam, quia nullum peperit inconveniens; quamvis confratres, istam incipiendo, male interpretati fuerint statuta a Clemente X. approbata.

Disceptatio Synoptica

Ea quae adversantur antiquae consuetudini. Omnino statutis contrariam esse tertiae partis ex praesentibus confratribus sortitionem, animadversum fuit. Nam Statuta haec interpretationem quamlibet respuunt, ex quo explicite praecipiant sortitionem sexaginta confratrum, tunc peragendam esse quum praesentes hunc superent numerum. Idque sapienter constitutum fuisse ad confusionem removendam quae enasci possit ex nimia suffragia ferentium multitudine. Contrarium tamen praecavere studuit inconveniens, lex statutaria, ex nimia votantium paucitate; ne resolutiones capiendae, vi atque opportuna auctoritate carerent.

Quamobrem lex eadem iussit a Congregatione Generali, negotia maiora pertractari debere; ut a maiori votantium numero prudentius caperetur consilium; cui vis atque maior auctoritas consequenter conciliaretur. Verumtamen quum in Confraternitate V. parvus adesse soleat fratrum numerus, si tertiae partis sortitio fiat, legis spiritus prorsus eluditur. Hinc resolutio Con-

gregationis generalis die 13 Ianuarii 1878 opportuna et iuxta legem videretur, eoquod dum observantiam statutorum revocet, contrariam delet consuetudinem.

Ordinarius ipse, qui in sua informatione ait, consuetudinem hanc etsi statutis contrariam, manutenendam esse, quia adhuc omnia tranquille processerunt, haud probabilitatem futuri alicuius inconvenientis exclusit. Ait enim tertia praesentium pars saepe saepius impar esse potest, pro implendo gravi negotio electionis maiorum officialium. Contingere siquidem posset casus quo resolutiones capiendae, a minori numero inirentur in Congregatione generali, quam in Congregatione secreta, quod esset absurdum. Praeterea ratio extrahendi tertiam praesentium partem, ita statutis essentialiter adversatur, ut consuetudo ulla admitti nequeat. Et re quidem vera iuxta de Luca *De Regul. Disc. 68. n. 3.* nulla inolitur consuetudo, quum lex ita clara sit, ut nullam admittat observantiam in linea interpretativa, praesuntiva aut praescriptiva; nam « ubi in verbis nulla am» biguitas est, nulla debet admitti nec voluntatis nec cuius» cumque observantiae interpretatio, quae non datur in rebus » claris. » Statuta de quibus agitur haud admittunt interpretationem, quia abscisse et clare iubent fieri sortitionem sexaginta fratrum, tunc solum cum fratres sint hoc numero frequentiores; sed nil innuunt de tertia parte eorumdem sortienda. Quae consuetudo etiamsi admitti uti legitime inolita velit, tamen quum ab eisdem ipsa revocetur a quibus introducta fuerat, nemo inficias iverit huius revocationis legalitatem.

Ea quae consuetudini favent. Praetereundum tamen haud est, quod consuetudo haec habeat in sui favorem tum lapsum centumquinquaginta annorum, tum iudicium Emi Ordinarii, qui censuit eamdem manuteneri posse. Nam ex ipso s. Augustino ad Ianuar. *lib. 4. cap. 3.* « ipsa mutatio consuetudinis, » quae adiuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quae » utilis non est, perturbatione infructuosa, consequenter noxia » est. » Quinimo ita longaeva consuetudo huiusmodi est, ut derogare aut reformare valeat Statutum ipsum. « Centenaria est » ille melior titulus de mundo, quo mediante omnia praescri-

» buntur, omnia mutantur », De Luca *de Can. Disc. 2. n. 6.*; Rota *coram Molines Dec. 262. et coram Martinez in Praenestina 23. Mar. 1818. n. 3.* « Qui possessione utitur centena- » ria, is certe quocumque meliori, ac potentiori titulo, iureque » suffultus est, vis pactum, vis privilegium cuncta haec et » si quid aliud exoptas ex possessione centenaria sunt prae- » sumenda. »

Quoad 2um dubium, an ideo in Congregationibus confratrum praesentia Ecclesiasticae auctoritatis necessaria sit, animadversum fuit, quod interventio haec adversatur Statutis huius confraternitatis a Clemente X. approbatis. Et re quidem vera, etsi ecclesiasticus aliquis semper Congregationibus interfuerit, numquam repraesentavit Ordinarii iurisdictionem, sed adfuit uti Primicerius; ad quam dignitatem evectus fuit praevia aggregatione inter confratres. Et quamvis autumetur quondam iussum fuisse ab Ordinario, ut Vicarius Generalis eamdem explicaret iurisdictionem super ss. Stigmatum Confraternitatem, ac super alias, dispositio haec numquam realiter in praxim deducta fuit, neque vim legis habere potuit, eoquod contraria sit Statutis a R. Pontifice approbatis.

Ex canonistis autem eruitur, Episcopum vel per se vel per delegatam personam interesse posse Congregationibus Confraternitatum, ad protuendum ordinem, *S. C. Ep. et Reg. in Ragusina 1. April. 1596.* « Ordinarius seu Episcopus potest per » seipsum vel per suum delegatum intervenire et assistere » Congregationibus Confraternitatum, et electionibus officialium, » modo non faciat novitates. » Et s. C. Concilii in Senogallien. *4. Iun. 1707.* habet: « Imo potest Episcopus per seipsum vel » per suum delegatum intervenire et assistere Congregationibus » Confratrum, etiamsi fiant in Ecclesiis et Oratoriis Regularium, » in quibus reperiuntur societates erectae, absque eo quod » possit excludi, votum tamen dare non debet. » Et Monacelli *Tom. 1. Tit. 6. Formul. 11. n. 18.* docet Ordinarium praepedire non posse ut Confraternitates et Congregationes peragant *sine licentia, et praesentia Delegati Episcopi, sub poena nullitatis.* Sacra insuper C. Concilii in Asculana 24 Martii 1725

dubio: « An liceat Confratribus.... convocare Congregationes » tam generales, quam particulares, ac devenire ad electionem » officialium, aliaque negotia Confraternitatis proponere, ac de» terminare absque licentia et assistentia Episcopi, seu Vicarii » foranei, aut alterius personae per Episcopum deputandae », respondit: « *Affirmative.* »

Hisce praenotatis tria proposita fuere enodanda

Dubia

I. *An opus fuerit sortiri tertiam confratrum partem, eoquod numerus praesentium haud excederet sexaginta.*

II. *An in Congregatione dictae Confraternitatis necessaria sit praesentia auctoritatis ecclesiasticae.*

III. *An validae haberi debeant resolutiones Congregationum secretae et generalis diei 13 Ianuarii, et consequenter nullae effectuque carentes aliae initae in Congregationibus successivis.*

Resolutio. Sacra Congr. Ep. et Reg. die 13 Iunii 1879 respondere censuit:

Tolerandum ut actuales officiales in munere permaneant usque ad finem anni currentis, ita tamen ut elapso dicto anno 1879 fiat nova Congregatio generalis iuxta modum, nempe si sodales excedant numero sexaginta, sorte eligantur sexaginta sodales, qui suffragium ferre debeant; sin vero numerus sexaginta inferior sit, qui intersunt suffragio gaudent. Quod vero spectat ad interventum auctoritatis ecclesiasticae servetur regula generalis, quod nempe Ordinarius ius habeat interveniendi, quin tamen suffragium ferre valeat.

Sub die vero 13 Septembris 1879 quaestione iterum discussâ sub dubio « *An et quomodo recedendum sit a resolutione emissa in Congregatione generali, die 13 Iunii 1879* » responsum paruit: « *In decisis iuxta modum: modus est ut officiales electi in Congregatione die 13 Ianuarii 1878, novo anno incipiant exercitium respectivi officii, et in illo prosequantur per triennium ad formam statuti et amplius.*

Ex quibus colliges:

I. Locorum Ordinarios ius habere interessendi Congregationibus Confraternitatum per se vel per delegatam personam, ad ordinem protuendum; attamen, iuxta regulam generalem, haud suffragium ferre valere.

II. Quamobrem in casu arbitrarium nullumque fuisse videri decretum Vicarii Generalis, quo irritae declaratae fuere Congregationes diei 13 Ianuarii 1878.

III. Quamvis ex Canonistis centenaria consuetudo sit melior titulus de mundo, quo mediante, omnia praescribuntur, omnia mutantur, tamen nil prodesse constat, si debitis destituatur requisitis.

IV. Hinc nullam inolescere posse consuetudinem adversus leges, claris conceptas verbis, quae nullam admittant observantiam in linea interpretativa, praesumptiva aut praescriptiva.

V. Nullamque admitti, neque voluntatis, neque cuiuscumque observantiae interpretationem; quae non datur in verbis claris, et ubi nulla deprehenditur ambiguitas.

VI. Ideoque consuetudinem legi clarae contrariam, usque ab initio habendam esse vitio infectam, rationi oppositam, et veluti abusum, qui tractu temporis convalescere nequeat.

VII. Consuetudinem in themate directe adversari Statutis, quae iubent, disertis verbis, peragi sortitionem sexaginta fratrum, tum solum, cum praesentes excedant hunc numerum, sed ne verbum quidem de sortitione tertiae partis ex fratribus praesentibus.



EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

ROMANA

SUPER ALTARI PRIVILEGIATO

Die 14 Iunii 1880.

Decretum. Procurator Generalis Trappensium exposuit s. Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae ut infra: In unoquoque Trappensium Monasterio extat Altare privilegiatum, in quo celebratur quotidie Missa pro fratribus, propinquis et benefactoribus defunctis.

Cum autem ex decreto eiusdem s. Congregationis diei 29 Februarii 1864 (1) tenendum sit, quod privilegium Altaris nequeat applicari pluribus defunctorum animabus in eadem Missa, quaeritur : quaenam sit praedicti apud Trappenses Altaris privilegiati efficacia, et num privilegium inutile evadat, ex eo quod numquam uni animae determinatae applicetur?

Cum rei examen commissum fuisset Rm̃o P. Consultori, idem tria sequentia proposuit

Dubia

I *Quo sensu intelligenda sit responsio s. Congreg. Indulg. die 29 Februarii 1864, quod privilegium Altaris nequeat applicari pluribus defunctorum animarum in eadem Missa: practice tantum et de facto iuxta mentem concedentis de more Ecclesiae ex limitatione concessionis, an etiam theoretice et absolute ex limitatione potestatis.*

II *Num apud Trappenses in Missa, quae quotidie celebratur pro pluribus (fratribus scilicet propinquis et benefactoribus) Indulgentia Altaris ad unam ex iis limitetur.*

(1) Habes hoc Decretum Vol. I pag. 626 har. ephemer.

III *Num privilegium inutile evaserit, ex eo quod uni ex iis determinatae animae non consueverit applicari.*

In Congregatione generali habita in Palatio Vaticano die 14 Iunii 1880 Emi Patres rescripserunt:

Ad I *Non propositum.*

Ad II *Affirmative.*

Ad III *Negative.*

Et facta de praemissis relatione SS. D. N. Leoni Papae XIII ab infrascripto Secretario, in audientia habita die 19 Iunii 1880 S. S. resolutionem s. Congregationis benigne approbavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusd. S. C. die 19 Iunii 1880.

Al. Card. Oreglia a S. Stephano Praef.

Pius Delicati Secretarius.

VOTUM CONSULTORIS (1).

Ad 1 Generale dubium de efficacia altaris privilegiati proponi potest vel theoretice de absoluta possibilitate, vel practice de facto. Theoretice quaeri potest utrum ex natura rei et intrinseca necessitate et limitatione clavium potestatis indulgentia altaris privilegiati ad unam animam limitetur, adeo ut in una eademque Missa concedi nequeat pro pluribus. At quaestio haec theoretica forte numquam proposita fuit s. Congregationi, adeoque ad eam solvendam non videtur pertinere responsio ad quam appellat Orator in dubii propositione. De quaestione itaque theoretica, quae solutio danda esset mox inquiram.

Sed si ut fieri solet, quaestio de efficacia altaris privilegiati fit practice, seu iuxta mentem concedentis et usum Ecclesiae, solutio iam data est a s. Congregatione, negando indulgentiam altaris privilegiati applicari simul posse pluribus. Applicari nimirum non potest pluribus, non quidem absolute et intrinsece, seu ex rei natura et divina institutione, sed quia ex mente concedentis iuxta morem Ecclesiae Indulgentia pro una tantum anima in singulis Missis conceditur.

Hoc sensu practico, et hoc tantum sensu, intelligendum esse

(1) Ita sapienter concinnatum fuisse nobis visum est huiusmodi votum, ut integrum esset lectoribus tradendum.

puto citatum s. Congregationis responsum ad dubium practicum, dum Episcopo Andegavensi quaerenti « utrum privilegium altaris applicari *possit pluribus* defunctorum animabus » die 29 Febr. 1864, respondit - *Negative* - (Acta s. Sedis vol. I pag. 626).

Imo vero etiam ante hoc responsum, quaestio iam implicite soluta videri poterat, ex alio generali responso s. Congregationis diei 28 Iulii 1840 dum proposito dubio de efficacia altaris privilegiati, declaravit Indulgentiam ex mente concedentis valere pro *anima* a Purgatorii poenis liberanda, *si Deo placuerit*. Ita enim s. Congregatio respondit Episcopo s. Flori « Per Indulgentiam altari privilegiato adnexam, *si spectetur mens concedentis*, et usus clavium potestatis, intelligendam esse Indulgentiam plenariam, quae *animam* statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis: si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse Indulgentiam cuius mensura Divinae Misericordiae beneplacito et acceptationi respondet » (apud Prinzivalli pag. 420). Sed hoc etiam generale responsum intelligendum esse, puto ut practicum responsum ad practicum dubium, scilicet *si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis*, Indulgentia altaris datur pro una anima, non pro pluribus in una eademque Missa. Haec est quidem mens et praxis Ecclesiae, et Congregatio declarat quid Ecclesia intendit, non autem quae sit limitatio clavium potestatis. Quaestio itaque soluta est practice, non autem theoretice et absolute.

Iam si quaestio theoretice proponitur, in re quae pendet a mente concedentis et a divina acceptione, nulla videtur esse ratio intrinseca ex divina institutione clavium potestatis, cur Indulgentia plenaria pro pluribus simul animabus, si Deo placuerit, liberandis uni Missae adnecti non possit. Sane uni eidemque operi, per se Indulgentia adnecti potest valida simul pro pluribus: imo ita factum quandoque fuisse colligimus ex D. Thoma, qui in IV. Sent. dist. 45 ad 3 quaest. 2 aliam pertractans quaestionem, ea habet quae ad praesentem etiam quaestionem de altari facere possunt. Etenim s. Doctor innuit « *consuetudinem* Ecclesiae, quae facit praedicari crucem (la Crociata) ut aliquis habeat indulgentiam *pro se* et *duabus*, et *tribus* et *quandoque*

decem animabus tam vivorum quam *mortuorum* » et paulo infra etiam supponit uni eidemque operi indulgentiam concedi posse validam pro pluribus, si detur v. gr. ut ipse ait, sub hac forma: « Quicumque fecerit hoc vel illud, *ipse et pater eius vel quicumque ei adiunctus in purgatorio detentus*, tantum de Indulgentia habebit. » Quemadmodum igitur alteri operi, ita putarem altari privilegiato adnecti posse indulgentiam in una eademque Missa validam pro pluribus.

Praeterea unâ eademque Missâ lucrari certe quis posset indulgentiam plenariam *ex duplici motivo* pro duabus animabus. Etenim ad dubium « An Sacerdos qui Missam celebrat ex. gr. pro defuncto eidemque applicat indulgentiam plenariam altaris privilegiati, potest eodem die vi s. Communionis in Sacrificio peractae, lucrari aliam indulgentiam plenariam vel sibi vel defunctis applicabilem, si ad hanc lucrandam praescribitur sacra Communio » s. Congregatio die 10 Maii 1844 respondit – *Affirmative* – Iam vero si eidem Missae adnecti potest duplex vel triplex indulgentia plenaria ex diversis motivis, non video cur theoretice rem spectando non possit duplex vel triplex indulgentia adnecti ex eo tantum motivo quod celebrata sit ad altare singulariter privilegiatum.

Praeterea aliud etiam simile urgere possum exemplum ex alio s. Congreg. decreto (Acta s. Sedis vol. VIII. pag. 487) « Antistes auxiliator Episcopi S. ad pedes SS. D. N. Pii IX humillime provolutus exposuit, in Litteris Apostolicis *Gravibus Ecclesiae* quoad plenariam Indulgentiam (Iubilaei 1875) edici: Annuentes *etiam* ut haec indulgentia animabus quae Deo in charitate coniunctae ex hac vita migraverint per modum suffragii applicari possit ac valeat; *ex quibus verbis* illi subiisse in mentem sequens dubium; An fidelis qui expletis necessariis conditionibus pro lucrando Iubilaeo, applicare cupiat indulgentiam pro alicuius anima defuncti, et ipse eodem tempore eamdem consequatur indulgentiam. Ex Audientia SS. diei 25 Aprilis 1875 Sanctitas Sua benigne declaravit Iubilaei Indulgentiam *cumulative* pro se et defunctis lucrari posse « Iamvero cur non posset similiter concedi ut Altaris privilegiati indulgentia *cumula-*

tive in una eademque Missa pro duabus vel pluribus Purgatorii animabus valeret, quemadmodum singulari exceptione Pius IX indulsit, ut iisdem Iubilaei operibus aliquis lucrari posset indulgentiam tum pro se, tum pro anima defuncti?

Atque hanc quidem singularem Pii IX exceptionem libenter affero, quia ea fuit benigna exceptio a regula generali, iuxta quam s. Congregatio declaraverat per verba - *quam etiam* - aliquem non posse simul pro se et pro anima defuncti indulgentiam lucrari. Dubium erat ita propositum. « Archipresbyter s. Mariae vulgo *della Barricella* dioecesis Bononiensis obtinuit per Breve diei 2 Sept. 1831 indulgentiam plenariam applicabilem quoque fidelibus defunctis per particulam - *quam etiam* -. Quaerit an vi praefatae particulae haec indulgentia intelligenda sit inclusive seu exclusive, videlicet aut pro vivis tantum vel pro defunctis, sive pro vivis atque defunctis eodem tempore? » Sacra Congregatio respondit « Quando in concessionibus indulgentiarum apponuntur haec verba - *quam etiam* - aut similia, ut intelligatur easdem indulgentias applicabiles esse *etiam* animabus in purgatorio detentis, *exclusive* tantum accipienda sunt, ita ut Christifidelis ad libitum *aut pro se aut pro defunctis tantum* lucrari possit et valeat. » Ita s. Congregatio declaravit sub die 15 Ianuarii 1839 (Apud Prinzivalli pag. 405) Quemadmodum igitur ex exceptionali concessione Pii IX deduci potest, generalem illam s. Congregationis declarationem intelligendam fuisse tantum practice seu de facto iuxta morem Ecclesiae, non autem theoretice de ipsa etiam possibilitate, ita confirmari potest responsum s. Congregationis die 29 Febr. 1864, indulgentiam altaris privilegiati applicari simul non posse pluribus animabus, intelligendum esse practice et de facto iuxta mentem concedentis de more Ecclesiae, non autem etiam theoretice atque absolute, ita ut ea indulgentia concedi non possit pro pluribus.

Obiici quidem forte posset, quod si ea iudulgentia ad unam animam pro se limitanda non esset, *indiscretis* Indulgentiis aditus pateret, et concedi tandem posset ut non modo plures, sed omnes omnino animae Purgatorii simul unâ Missâ per indulgentiam altaris privilegiati iuxta mentem concedentis liberarentur.

Ad hanc difficultatem abigendam sufficit illud advertere quod ad illud propositum notat s. Thomas loco superius citato: « nec tamen sequitur quod Praelatus Ecclesiae possit pro suo arbitrio animas e Purgatorio liberare, quia ad hcc quod Indulgentiae valeant requiritur *causa conveniens.*»

Iuxta hanc s. Thomae doctrinam, quae communis est scholae doctrina, dici potest: Licet non adsit causa conveniens iuxta Divinae Iustitiae ordinationem indulgentiam concedendi, ut omnes simul animae Purgatorii per unam Missam ad altare privilegiatum, quantum est ex parte concedentis, liberentur, potest utique dari causa conveniens ut indulgentia non ad unam animam de more restringatur, sed extendatur ad plures v. g. in favorem benemerentis alicuius sodalitatis, vel ob singulare aliquod meritum, puta fundationis, dotationis alicuius ecclesiae, pluribus commune. Quemadmodum ex. gr. iudicio Benedicti XIII causa adfuit conveniens concedendi altare privilegiatum quotidianum pro animabus fidelium decedentium in hospitali fratrum Ordinis s. Ioannis de Deo (apud Prinzivalli pag. 40), cur non posset haberi causa conveniens concedendi ut uni Missae, si Deo placuerit, indulgentia adnectatur pro pluribus una die in hospitali ab Ecclesia singulariter privilegiato decedentibus? Quemadmodum Benedicti XIV iudicio causa adfuit conveniens concedendi ut in domo Oblatarum Turris Speculorum in die obitus alicuius oblatae omnia domus altaria pro ea anima sint privilegiata (1), cur non posset haberi ratio conveniens concedendi ut eadem indulgentia valeret in singulis Missis pro duabus vel pluribus, si plures forte eodem die ibidem obirent?

Exempla indicavi hypothetica, quia de facto nullum proferre possum exemplum huiusce concessionis; sed quemadmodum ante concessionem Pii IX iuxta morem ab aliquot saltem saeculis vi-

(1) Hanc concessionem non invenio apud Prinzivalli, sed extat marmori insculpta haec inscriptio: Benedictus XIV P. O. M. concessit altari sub invocatione Annunciationis B. M. V. privilegium quotidianum perpetuum pro animabus Oblatarum et degentium in hac venerabili domo, nec non consanguineorum affinium in primo et secundo gradu, et Benefactorum, ac cuilibet altari praedictae domus pariter privilegium in diebus obitus et depositionis cuiusdam ex praefatis oblatis et habitantibus. Ex Decr. s. Congr. Indul. IV. Apr. MDCCXLII.

gentem nullum forte aderat exemplum indulgentiae simul validae *cumulative*, pro eo qui conditiones explevit et pro anima defuncti, ita indulgentia altaris privilegiati concedi per se posset in una eademque Missa pro duabus vel pluribus animabus, licet nullum hactenus, quod sciam, adsit exemplum, adeoque generatim vere dicatur eam indulgentiam practice *applicari* non posse pluribus, quia numquam pro pluribus fuit *concessa*.

Nonnulli quidem putasse videntur de facto etiam adesse singularem omnino exceptionem a regula generali in favorem animarum in Missa die 2 Nov. in commemorotione omnium fidelium defunctorum. De hac opinione fit quidem obiter mentio in Andegavensi dubii propositione, sed nullatenus in responsione die 29 Feb. 1864–At revera privilegium illius diei non est in hoc, quod in una eademque Missa applicari possit indulgentia pro pluribus imo omnibus, ac si mens esset Ecclesiae in singulis Missis Purgatorium ea die, ut ita dicam, quantum est ex parte concedentis, evacuare: sed in eo est privilegium, quod Sacerdotes *omnes* ea die in *quocumque* altari celebrantes, lucrari possint de more eamdem indulgentiam *ac si ad altare privilegiatum* celebrarent. Hoc tantum sensu privilegium postulatum fuit, hoc sensu ex voto quod adhuc exstat, celebris Consultoris P. Theodori a Spiritu Sancto propositum fuit s. Congregationi, ut consulendum SS. et hoc sensu concessum fuit a Clemente XIII, qui « benigne concedit ut Missa die praedicta Commemorationis defunctorum gaudeat *privilegio ac si esset in altari privilegiato celebrata* » Dec. Urbis et Orbis die 19 Maii 1761 (apud Prinzivalli pag. 294).

Manet igitur generale factum, indulgentiam altaris semper ex mente concedentis in singulis Missis ad unam animam limitari, sive definite quando pro certa quadam persona tantum conceditur, sive indefinite quando conceditur vel generatim pro defunctis, vel speciatim pro aliquo coetu, sodalitate, familia, etc. relinquendo ut pro applicatione singularis anima vel in individuo vel in specie Divinae acceptationi a fidelibus designetur, vel omnino Divino Beneplacito relinquatur. Sed haec est *limitatio concessionis*, non *potestatis;* adeoque citatae declarationes

s. Congreg. die 29 Febr. 1864 et die 28 Iulii 1840 de indulgentia altaris pro una anima, non pluribus, accipiendae videntur sensu tantum practico ex limitatione facta a concedente in usu potestatis clavium, non autem theoretice etiam et absolute ex limitatione ipsius potestatis.

Hinc ad 2um.

Quaenam sit apud Trappenses efficacia altaris privilegiati, iam patet solutio: sed ea etiam sine generali hactenus facta disquisitione per se manifesta est ex verbis Concessionis in Brevi Pii IX *(Sum. n. 3)* die 1 Martii 1861, quae ita se habent, « quandocumque Sacerdos aliquis dictae religiosae Congregationis Missam pro *anima cuiuscumque Christifidelis*, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit ad quodlibet ex praefatis altaribus maioribus celebrabit, *anima ipsa* de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur, ita ut eiusdem D. N. Iesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae Immaculatae, Sanctorumque meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis, *si ita Deo placuerit*, liberetur, concedimus et indulgemus. » Efficacia itaque altaris privilegiati apud Trappenses est plenaria Indulgentia pro *una anima* et quidem generatim *cuiuscumque* Christifidelis.

At vero in unoquoque Trappensium monasterio ad huiusmodi privilegiatum altare celebratur quotidie Missa speciatim pro *pluribus* fratribus, propinquis et benefactoribus defunctis.

Bene quidem. Meritum sane satisfactorium sacrificii erit pro omnibus simul fratribus, propinquis et benefactoribus iuxta divinam acceptationem; sed superaddita Indulgentia non valet pro pluribus; et licet forte aliquis ex errore putaret non solum sacrificium, sed etiam indulgentiam privilegiati altaris in eadem Missa applicari simul posse pluribus, non ideo plures animae indulgentiam consequerentur; quia ea non pendet ex mente celebrantis, sed ex mente concedentis; adeoque ea indulgentia non valet pro pluribus non solum, ut dicitur in dubii propositione, ex decreto s. Congreg. Indulg. sub die 29 Febr. 1864, sed potissimum ex ipsa formula concessionis in Brevi Pii IX: sed de hoc vix dubium movetur; quaeritur potius utrum

una saltem anima ex fratribus, propinquis et benefactoribus pro quibus Missa ad privilegiatum altare celebrari consuevit, indulgentiam consequi potuerit, licet nulla ex iis singularis anima designata fuerit, cui indulgentia applicaretur.

Itaque ad 3um.

Num privilegium inutile evadat ex eo quod numquam uni determinatae animae applicetur.

Respondeo, *Negative*. Privilegium inutile non evadit ex defectu determinationis in individuo. Neque enim agitur de actione quadam a sacerdote facienda circa determinatam materiam, ut cum agitur v. gr. de consecratione determinatae hostiae ex pluribus, sed agitur de oblatione indulgentiae quae pendet ex mente concedentis et ex divina acceptatione. Abunde itaque sufficit intentio celebrantis lucrandi pro fratribus propinquis et benefactoribus indulgentiam *quam potest* ad altare privilegiatum iuxta mentem concedentis et divinam acceptationem; adeoque privilegium utile omnino mansit, ut ex animabus fratrum propinquorum et benefactorum, iuxta mentem concedentis *una*, et iuxta divinam acceptationem *si* Deo placuerit, et *quae* Deo placuerit indulgentiae effectum consequi posset.

Abunde dixi ea intentio sufficit: nam in casu habetur non solum implicita, sed etiam explicita intentio lucrandi indulgentiam quam potest in Missa, quam ideo celebrat ad altare privilegiatum pro fratribus, propinquis et benefactoribus. Iamvero iuxta aliud s. Congregationis responsum nulla requiritur necessario explicita intentio, sed sufficit implicita, quae semper supponitur; atque hoc sensu, de explicita scilicet intentione, supposita semper saltem implicita, intelligendam puto responsionem s. Congregationis ad dubium, « Se una Messa celebrata » ad un altare privilegiato sia per se privilegiata, o sia necessario » che o l'offerente la limosina, o il Sacerdote intenda di applicare » il privilegio » (*Versio latina.* An Missa ad Altare privilegiatum recitata per se privilegiata sit; vel oporteat ut sive offerens eleemosynam, sive sacerdos applicare intelligat privilegium) s. Congreg. respondit *Affirmative* ad 1 partem, *Negative* ad 2 die 12 Martii 1855. (apud Prinzivalli pag. 563).

Ex quibus colliges:

I Primum dubium, quoad partem theoreticam, forte haud propositum fuisse videri, quia potius ad s. Congregationem R. U. Inquisitionis sese referret, cui subiiciuntur causae quae ad dogma pertinent; dum S. C. Indulgentiarum dubietatem in Sanctorum reliquiis aut indulgentiis emergentem expendit.

II Videri tamen, quoad partem practicam, iamdiu enodatum fuisse; constans enim praxis Ecclesiae semper fuit, ut altari privilegiato annecteretur Indulgentia, lucranda ab una tantum animâ, Deo in charitate coniunctâ, in una eademque Missa.

III Quin etiam dubium primum, practice sumptum, enodatum fuisse videri per secundi dubii resolutionem; nam s. Cong. respondit: ad unum tantum limitari indulgentiam in qualibet Missa, ex pluribus confratribus, pro quibus Missae litari solent.

IV Quum autem Indulgentiae consecutio haud pendeat a mente celebrantis, sed a mente auctoritatis concedentis et a divina acceptatione; hinc etiamsi pro pluribus generatim Missae sacrificium ad altare privilegiatum offeratur, uni tantum eorumdem indulgentia prodest, quum talis sit mens et limitatio a potestate clavium imposita.

V Sufficere autem sacerdotis celebrantis ad altare privilegiatum intentionem lucrandi indulgentiam, iuxta concedentis mentem, pro fratribus et benefactoribus, ut anima, *una* ex illlis pro quibus oratur, et *quae* Deo placuerit, Indulgentiae effectum consequi valeat.

VI Colligi etiam posse videtur, quod si una tantum ex animabus, quae Deo in charitate coniunctae, indulgentiae beneficium consequatur, meritum tamen sacrificii satisfactorium prodesse omnibus fratribus, propinquis et benefactoribus, pro quibus sacrificia offerri consueverint in altari privilegiato.

VII Quamobrem etiam deprehendi in themate privilegium altaris haud esse inutile, neque quoad indulgentiam, neque quoad meritum sacrificii satisfactorium; nam indulgentia, saltem ab una anima, quae Deo placuerit, in qualibet Missa, et meritum satisfactorium ab omnibus pro quibus sacrificium offertur, lucrifieri possunt.

APPENDIX IV.

PLERAQUE REFERUNTUR DECRETA S. RITUUM CONGREGATIONIS.

OSCEN.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Oscensis a sacra Rituum Congregatione humillime insequentium Dubiorum solutionem expostulavit, nimirum:

Dubium I. Praxis viget in praedicta Ecclesia Cathedrali, quod ille qui Magistri Caeremoniarum munere fungitur, debeat etiam inservire de Palmatoria Canonicis in omnibus officiis. Quum autem id impedimento sit ut propria Caeremoniarii munia exercere valeat, quaeritur: Cuinam spectet in Missis solemnibus canonicalibus Palmatoriam sustinere, ubi adest privilegium?

Dubium II. Sunt etiam in praefata Cathedrali quidam usus ritui Ecclesiae universalis contrarii, sicut viceversa nonnulla sunt ab Ecclesia praescripta, quae in eadem Oscensi Cathedrali non vigent. Quaeritur: quodnam sit in utroque casu Magistri Caeremoniarum munus?

Dubium III. Ecclesia Cathedralis Oscensis duos habet Titulares, scilicet transfigurationem Domini, et Nativitatem sancti Ioannis Baptistae. Quaeritur itaque 1. Possuntne esse duo Titulares Ecclesiae? Quaeritur 2. quatenus affirmative, gaudet uterque privilegiis ex Rubrica?

Sacra porro eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, re mature perpensa et considerata, propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Detur Decretum in una Senarum die 3 Augusti anni 1839.

Ad II. Detur Decretum Generale Dubiorom diei 17 Septembris anni 1822.

Ad III. Ad primam quaestionem affirmative; ad secundam quaestionem, pariter affirmative, dummodo sint aeque principales.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 14 Aprilis 1877.

ASCULAN. IN PICENO.

Rm̃e Dñe uti Frater,

Exposuit Amplitudo Tua huic sacrae Rituum Congregationi quod sub antecessore tuo ita facile obtinebatur venia baptizandi domi, ut id pauperibus cum medici tantum attestatione de aliquo periculo infantis in deferendo illo in Ecclesiam, divitibus autem sine ratione aliqua sed tantum ob honorem concederetur.

Quum autem A. T. huic obstare praxi percupiat, veretur tamen ne id possibile sit, tum ob indutam praxim, tum ob temporum circumstantias. Quapropter ut tutius hac in re procedere possit ab ea-

dem sacra Congregatione humiliter insequentium Dubiorum solutionem expetivit, nimirum:

Dubium I. An quando medicus testatur de aliquo periculo inducendi ad Ecclesiam infantem cuiuscumque conditionis, permitti ab Episcopo possit ut ille baptizetur domi cum omnibus caeremoniis?

Dubium II. Concedi potest baptisma cum omnibus caeremoniis ministrari domi filiis personarum, quae relate ad Dioecesim Principibus aequiparari possint, etsi infirmi non sint?

Sacra porro eadem Congregatio, audita sententia R. P. D. Promotoris s. Fidei et Rm̃i Dñi Assessoris A. T. significandum duxit, quod ipsa omnino curare debeat, attamen prudenter et caute, removere abusus qui in hac re irrepserunt, efficiatque ut infantes ad baptizandum iuxta Ecclesiae praescriptionem et communem praxim deferantur.

Romae die 27 Aprilis 1877.

Rm̃o Dño uti Fratri Episcopo Asculan. in Piceno.

BENEVENTANA

Em̃e et Rm̃e Dñe Dñe Obsm̃e,

Consodales Confraternitatis a Rosario nuncupatae Loci, cui nomen vulgo *Campolattaro,* intra limites Archidioeceseos Eminentiae Vestrae commissae ab hac sancta Sede Apostolica humillimis datis precibus exquisierunt, ut in propria Ecclesia Altare ex marmore confectum erigi queat in loco in quo aliud iam extabat altare, sed sub quo existebant cadavera Defunctorum et quae inde amoveri nequeunt, uti Decreta praescribunt, cum publica Auctoritas locum illum expurgare haud sinat, siquidem ibi sepulti sunt qui morbo *tifo* nuncupato perierunt, et Altare alio in loco erigi non possit; quum tota superficies Ecclesiae in iisdem versetur conditionibus.

Sacra vero eadem Congregatio, audita relatione earumdem precum ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuit: Ad Ordinarium, ut provideat quoad expurgationem saltem loci ad aedificandum altare necessarii, iuxta Decreta, videlicet, quod cadavera non solum non existant subtus altare, sed etiam quod tribus cubitis ab eiusdem gradu vel gradibus distent.

Romae die 27 Aprilis 1877.

Em̃o et Rm̃o Dño Dño Card. Archiepiscopo Beneventano.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

LITTERA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS UNIVERSOS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

VENERABILIBUS FRATRIBUS

Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis universis Catholici Orbis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentibus.

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Grande munus christiani nominis propagandi, beato Petro principi Apostolorum eiusque Successoribus singulari modo demandatum, Romanos Pontifices impulit ut sacri Evangelii nuntios ad varias orbis terrarum gentes diversis temporibus mittendos curarent, prout res et consilia *miserentis Dei* postulare viderentur. — Quamobrem sicut Augustinum ad Britannos in culturam animorum legaverunt, Patritium ad Hibernos, Bonifacium ad Germanos, Villebrordum ad Phrisios, Batavos, Belgas, aliosque persaepe ad alios; sic etiam apostolici muneris apud Slavoniae populos obeundi facultatem Cyrillo et Methodio, viris sanctissimis, concesserunt: quorum instantia maximisque laboribus perfectum est, ut illi Evangelii lumen aspicerent, et ab agresti vita ad humanum civilemque cultum deducerentur.

Cyrillum et Methodium, par Apostolorum nobilissimum, si hominum fama, beneficiorum memor, celebrare Slavonia tota numquam desiit, non minore certe studio colere Ecclesia Romana consuevit, quae et utrumque eorum, quamdiu vixerunt, multis

rebus honoravit, et alterius demortui cineribus carere noluit. — Inde iam ab anno MDCCCLXIII Slavonici generis Bohemis, Moravis et Croatis, qui solemnia in honorem Cyrilli et Methodii celebrare quotannis die nono mensis martii consueverant, indulgentia Pii IX immortalis memoriae decessoris Nostri permissum est, ut deinceps diem quintum mensis Iulii festum agerent, horariasque preces ob Cyrilli et Methodii memoriam persolverent. Neque multo post, quo tempore Concilium magnum ad Vaticanum haberetur, perplures Episcopi ab hac Apostolica Sede suppliciter petiverunt, ut eorundem cultus et stata solemnitas ad universam Ecclesiam propagaretur. Verum infecta ad hanc diem re, et ob temporum vices mutato per eas regiones reipublicae statu, opportunus Nobis oblatus videtur locus iuvandi Slavoniae populos, de quorum incolumitate et salute solliciti magnopere sumus. Igitur cum paternam caritatem Nostram nulla in re ab iis desiderari patimur, tum latius proferri augerique religionem volumus hominum sanctissimorum, qui Slavonicas gentes sicut olim, disseminata fide catholica, ab interitu ad salutem revocarunt, ita nunc sunt caelesti patrocinio potenter defensuri. Quo autem magis emergat, quales sint quos orbi catholico venerandos et colendos proponimus, placet rerum gestarum historiam breviter attingere.

Cyrillus et Methodius fratres germani, Thessalonicae amplissimo loco nati Constantinopolim mature concesserunt, ut in ipsa urbe Orientis principe humanitatis artes addiscerent. Nec latuit scintilla ingenii, quae iam tum elucebat in adolescentibus; nam uterque plurimum brevi profecerunt; at Cyrillus maxime, qui eam scientiarum laudem adeptus est ut singularis honoris caussa *Philosophus* appellaretur. Non longo intervallo monachum agere Methodius coepit; Cyrillus autem dignus est habitus, cui Theodora imperatrix, auctore Ignatio Patriarcha, negotium daret erudiendi ad fidem christianam Chazaros trans Chersonesum incolentes, qui idoneos sacrorum administros Constantinopoli imploraverant. Quod ille munus non gravate accepit. Itaque Chersonam in Tauris adlatus, sermoni vernaculo illius gentis, ut quidam ferunt, aliquandiu operam dedit; eoque tempore sibi

contigit optimis auspiciis, ut s. Clementis I P. M. sacros cineres inveniret, quos quidem haud difficile agnovit cum ex pervagata maiorum memoria, tum ex anchora, quacum ipsa martyrem fortissimum Traiani imperatoris iussu in mare praecipitem actum, et deinde conditum fuisse constabat. — Tam pretioso thesauro potitus, in Chazarorum urbes sedesque penetravit; quos praeceptis suis edoctos et Dei numine instinctos, multiplici superstitione deleta, ad Iesum Christum adiunxit. Recenti christianorum communitate optime constituta, continentiae simul et caritatis memorabile documentum edidit, cum oblata ab indigenis dona omnia recusavit excepta servorum, qui christianum nomen profiterentur, manumissione. Mox Constantinopolim rediit alacer, atque in monasterium Polychronis, quo se iam Methodius receperat, Cyrillus ipse secessit.

Interim res apud Chazaros prospere gestas ad Rastilaum Moraviae principem fama detulerat. Is, Chazarorum exemplo incitatus, de aliquot operariis evangelicis Constantinopoli arcessendis cum imperatore Michaële III egit, nec difficile, quod volebat, impetravit. Igitur tot iam factis nobilitata virtus, proximorumque iuvandorum in Cyrillo et Methodio perspecta voluntas effecit, ut ii Moraviensi expeditioni destinarentur. Cumque iter per Bulgariam instituissent christianorum initiatam sacris nullo loco praetermittunt amplificandae religionis opportunitatem. In Moraviam vero, effussa obviam multitudine ad imperii fines, summa voluntate et celebri laetitia excipiuntur. Nec mora fuit, quin imbuere christianis institutionibus animos aggrederentur et in spem caelestium bonorum erigere; idque tanta vi, tam operosa industria, ut non longo intervallo Moravorum gens nomen Iesu Christo libentissime dederit. Ad eam rem non parum scientia valuit dictionis slavonicae, quam Cyrillus ante perceperat, multumque potuerunt sacrae utriusque Testamenti litterae, quas proprio populi sermone reddiderat. Quare omnis Slavorum natio plurimum homini debet, quod non fidei christianae solum, sed etiam civilis humanitatis ex illo beneficium acceperit: nam Cyrillus et Methodius principes inveniendi fuerunt ipsas litteras, quibus est sermo ipsorum Slavorum signatus et expres-

sus, eaque de causa eiusdem sermonis auctores non immerito habentur.

Ex tam remotis disiunctisque provinciis rerum gestarum gloriam secundus rumor Romam nuntiaverat. — Atque ita cum Nicolaus I P. M. fratres optimos Romam contendere iussisset, ii sine cunctatione imperata facere instituunt; romanumque iter alacriter ingressi, reliquias s. Clementis secum advehunt. Quo nuntio, Hadrianus II, qui in locum Nicolai demortui fuerat suffectus, Clero populoque comitante, obviam magna cum honoris significatione progreditur hospitibus illustribus. Corpus s. Clementis magnis extemplo prodigiis nobilitatum, solemni ducta pompa, inlatum est in Basilicam iisdem vestigiis paternae domus martyris invictissimi Constantiniano tempore excitatam. Deinde Cyrillus et Methodius de munere apostolico, in quo essent sancte laborioseque versati, ad Pontificem Maximum, assidente Clero, referunt. Et quoniam fecisse contra instituta maiorum religionesque sanctissimas arguebantur, quod sermonem Slavonicum in perfunctione munerum sacrorum usurpavissent, causam dixere rationibus tam certis tamque illustribus, ut Pontifex totusque Clerus et laudarint homines et probarint. Tum ambo, dicto ex formula catholicae professionis sacramento, iuratique se in fide beati Petri et Pontificum Romanorum permansuros, Episcopi ab ipso Hadriano creati consecratique sunt, pluresque ex discipulis eorum variis sacrorum ordinum gradibus initiati.

Erat tamen provisum divinitus, ut Cyrillus Romae conderet vitae cursum anno DCCCLXIX die XIV Februarii, virtute magis quam aetate maturus. Elatus est funere publico magnificoque apparatu, eo ipso quo Pontifices Romani solent, et in sepulcro, quod sibi Hadrianus extruxerat, perhonorifice compositus. Sacrum defuncti corpus, quia Constantinopolim asportari populus romanus non pertulit, quamvis parentis moestissimae desiderio expetitum, deductum est ad sancti Clementis, atque huius prope cineres conditum, quos Cyrillus ipse tot annis venerabundus asservarant. Cumque veheretur per Urbem inter festos psalmorum cantus, non tam funeris quam triumphi pompa, visus est populus romanus libamenta honorum caelestium viro sanctissimo detulisse.

Haec ubi acta, Methodius iussu auspiciisque Pontificis Maximi ad consueta apostolici muneris officia in Moraviam episcopus remigravit. In ea provincia *facta forma gregis ex animo* rei catholicae inservire maiore in dies studio instituit; factiosis rerum novarum auctoribus, ne catholicum nomen opinionum insania labefacerent, fortiter resistere; Suentopolcum principem, qui Rastilaum exceperat, ad religionem erudire; eumdemque officium deserentem admonere, increpare, demum sacrorum interdictione punire. His de caussis invidiam excepit teterrimi atque impurissimi tyranni, a quo actus est in exilium. Sed aliquanto post restitutus tempestivis adhortationibus impetravit, ut mutati animi indicia princeps ederet, pristinamque consuetudinem novo vitae modo redimi intelligeret oportere. Illud vero est mirabile, quod vigilans Methodii caritas, praetervecta Moraviae fines, sicut superstite Cyrillo Liburnicos et Servios attigerat, ita nunc Pannonios complectebatur, quorum principem, Cocelum nomine ad religionem catholicam informavit, et in officio retinuit: et Bulgaros, quos ipsos cum rege eorum Bogori in fide christiani nominis confirmavit; et Dalmatas, quibuscum caelestia partiebat communicabatque charismata; et Carinthios, in quibus ad unius veri Dei notitiam cultumque traducendis plurimum elaboravit.

Sed ea res molestiam homini peperit. Etenim quidam ex novella christianorum societate, quia strenue actis rebus virtutique Methodii inviderent, apud Joannem VIII Hadriani successorem, insontem postularunt de suspecta fide violatoque more maiorum, qui in sacris obeundis sermonem graecum aut latinum unum adhibere consueverunt, praeterea nullum. Tunc Pontifex incolumitatis fidei disciplinaeque veteris studiosissimus, Methodio Romam evocato diluere crimina, seseque purgare imperat. Is, ut semper erat ad parendum alacer conscientiaeque testimonio fretus, anno DCCCLXXX cum coram Joanne et Episcopis aliquot Cleroque urbano adfuisset, facile vicit, eam prorsus fidem et se retinuisse constanter et ceteros diligenter edocuisse, quam praesente et approbante Hadriano declaratam, ad sepulcrum principis Apostolorum iureiurando confirmarat: quod vero ad linguam Slavonicam in sacris peragendis usurpatam, se iustis

de caussis, ex venia ipsius Hadriani Pontificis, nec sacris litteris repugnantibus, iure fecisse. Qua peroratione ita se qualibet culpae suspicione liberavit, ut in re praesenti complexus Methodium Pontifex potestatem eius archiepiscopalem, expeditionemque Slavonicam libenti animo ratam esse iusserit. Insuper, aliquot delectis Episcopis, quibus Methodius ipse praeesset, et quorum opera in administranda re christiana iuvaretur, perhonorificis commendatum litteris in Moraviam cum liberis mandatis remisit. Quas res omnes postea Summus Pontifex confirmatas voluit per litteras ad Methodium datas, cum scilicet huic rursus subeunda malevolorum invidia fuit. Quare securus animi, cum Pontifice Maximo cunctaque Ecclesia romana arctissimo caritatis fideique vinculo coniunctus adsignatum sibi munus explere multo vigilantius perseveravit; nec diu desideratus est egregius operae fructus. Nam cum primum ipse per se ad catholicam fidem Borzivoium principem Bohemorum, deinde Ludmillam uxorem eius, adhibito quodam sacerdote, perduxisset, brevi perfecit, ut in ea gente christianum nomen longe lateque vulgaretur. Per eadem tempora Evangelii lumen in Poloniam invehendum curavit; quo cum ille per mediam Gallaeciam penetravisset, sedem episcopalem Leopoli statuit. Inde, ut nonnulli tradiderunt, in Moscoviam proprii nominis digressus, thronum pontificale *Kiowense* constituit. Cum his haud sane arescentibus laureis in Moraviam reversus est ad suos: iamque sese abripi ad humanum exitum sentiens, ipsemet sibi successorem designavit; Clerumque et populum supremis praeceptis ad virtutem cohortatus, ea vita, quae sibi via in caelum fuit placidissime defunctus est. — Uti Cyrillum Roma, sic Methodium Moraviae decedentem luxit, amissum quaesivit, funere eius modis omnibus honestato.

Horum factorum, Venerabiles Fratres, periucunda Nobis accidit recordatio; nec mediocriter commovemur, cum retro longe respicimus optimis initiis splendidam Slavonicarum gentium cum Romana Ecclesia coniunctionem. Etenim duo isti christiani nominis propagatores, de quibus loquuti sumus, Constantinopoli quidem ad ethnicos populos discesserunt; sed tamen eorum

missionem ab hac Apostolica Sede, catholicae unitatis centro, aut omnino imperari, aut, quod plus vice simplici actum est, rite sancteque approbari oportuit. Revera hic in Urbe Roma ab iis est et suscepti muneris ratio reddita, et ad accusationes responsum; hic ad sepulcra Petri et Pauli in fidem catholicam iuratum, consecratioque episcopalis accepta una cum potestate sacri imperii, retento ordinum discrimine, constituendi. Demum hinc est usus slavonici sermonis in ritibus sanctissimis impetratus; atque hoc anno decimum expletur saeculum, ex quo Ioannes VIII P. M. ad Suentopolcum Moraviae principem ita scripsit: *Litteras slavonicas.... quibus Deo laudes debitae resonant, iure laudamus, et in eadem lingua Christi Domini Nostri praeconia et opera ut enarrentur iubemus. Nec sanae fidei vel doctrinae aliquid obstat, sive missas in eadem slavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium vel lectiones divinas Novi et Veteris Testamenti bene translatas et interpretatas legere, et alia horarum officia omnia psallere.* Quam consuetudinem multas post vices sanxit Benedictus XIV per apostolicas Litteras anno MDCCLIV die XXV Augusti datas. — Pontifices autem Romani, quotiescumque opem rogati sunt a principibus viris, qui populis praeessent Cyrilli Methodiique opera ad christianos ritus traductis, numquam commiserunt, ut sua desideraretur in adiuvando benignitas, in docendo humanitas, in consiliis dandis benevolentia, in rebus omnibus, quibuscumque possent, eximia voluntas. Prae ceteris vero Rastilaus, Suentopolcus, Cocelus, sancta Ludmilla, Bogoris insignem Decessorum Nostrorum caritatem pro re et tempore experti sunt.

Neque Cyrilli ac Methodii interitu constitit aut remisit paterna Romanorum Pontificum pro Slavoniae populis sollicitudo; sed in tuenda apud eos sanctitate religionis conservandaque prosperitate publica semper enituit. Revera ad Bulgaros Nicolaus I sacerdotes qui populum instituerent, et Episcopos Populoniensium et Portuensium ab Urbe Roma misit, qui recentem christianorum societatem ordinarent: item Bulgarorum crebris de sacro iure controversiis is ipse responsa peramanter reddidit, in quibus vel ii, qui minus Ecclesiae Romanae favent, summam

prudentiam collaudant atque suspiciunt. Ac post luctuosam dissidii calamitatem, laus est Innocentii III reconciliasse cum Ecclesia catholica Bulgaros, Gregorii autem IX, Innocentii IV, Nicolai IV, Eugenii IV in reconciliata gratia retinuisse. — Similiter erga Bosnienses et Erzegovinenses, pravarum opinionum deceptos contagiis, insigniter eluxit Decessorum Nostrorum caritas, scilicet Innocentii III et Innocentii IV, qui evellere ex animis errorem; Gregorii IX, Clementis VI, Pii II, qui sacrae potestatis gradus per eas regiones stabiliter firmare studuerunt. — Nec exiguam, nec postremam curarum suarum partem Innocentius III, Nicolaus IV, Benedictus XI, Clemens V in Servios contulisse putandi sunt, a quibus fraudes, ad labefactandam religionem astute comparatas, providentissime continuerunt. — Dalmatae quoque et Liburnici ob fidei constantiam, vicissitudinemque officiorum a Ioanne X, a Gregorio VII, a Gregorio IX, ab Urbano IV favorem singularem et gravia laudum praeconia adepti sunt. — Denique ipsa in Ecclesia Sermiensi, saeculo sexto barbarorum incursionibus deleta, posteaque sancti Stephani I Hungariae regis pio studio restituta, multa sunt Gregorii IX et Clementis XIV benevolentiae monumenta.

Quapropter agendas Deo grates esse intelligimus, quod idonea Nobis occasio praebeatur gratificandi genti Slavorum, communisque ipsorum utilitatis efficiendae, non minore certe studio, quam quod est in Decessoribus Nostris omni tempore perspectum. Hoc scilicet spectamus, hoc unice cupimus, omni ope contendere ut gentes Slavonici nominis maiore Episcoporum et sacerdotum copia instruantur; ut in professione verae fidei, in obedientia vera Iesu Christi Ecclesiae obfirmentur, experiendoque quotidie magis sentiant, quanta vis bonorum ab Ecclesiae catholicae institutis in convictum domesticum omnesque reipublicae ordines redundet. Illae quidem Ecclesiae plurimas et maximas curarum Nostrarum sibi partes vindicant; nec quicquam est, quod optemus vehementius, quam ut earum possimus commoditati prosperitatique consulere, cunctasque perpetuo concordiae nexu Nobiscum habere coniunctas, quod est maximum atque optimum vinculum incolumitatis. Reliquum est, ut adspiret

propositis Nostris et incoepta secundet *dives in misericordia Deus*. Nos interim apud ipsum deprecatores adhibemus Cyrillum et Methodium, Slavoniae magistros, quorum sicut volumus amplificari cultum ita caeleste patrocinium Nobis adfuturum confidimus.

Itaque praecipimus, ut, rato die quinto mensis Iulii quem f. r. Pius IX constituit, in Kalendarium Romanae atque universalis Ecclesiae inseratur, agaturque quotannis festum sanctorum Cyrilli et Methodii cum ritus duplicis minoris Officio et Missa propria, quae sacrum Consilium legitimis ritibus cognoscendis approbavit.

Vobis autem omnibus, Venerabiles Fratres, mandamus, ut has Litteras Nostras publicandas curetis, et quae in iis praescripta sunt cunctos ex ordine sacricolarum, qui divinum Officium ritu Ecclesiae Romanae celebrant, servare iubeatis, in suis quisque Ecclesiis, Provinciis, civitatibus, Dioecesibus, et locis Regularium. Denique volumus, Vobis suadentibus et cohortantibus, in universum rogari atque orari Cyrillum et Methodium, ut, qua valent apud Deum gratia, Oriente toto rem christianam tueantur, imploranda catholicis hominibus constantia, dissidentibus reconciliandae cum vera Ecclesia concordiae voluntate.

Haec, ut supra scripta sunt, ita rata et firma esse iubemus, non obstantibus sancti Pii V Pontificis Decessoris Nostri aliisque Apostolicis super Breviarii et Missalis Romani reformatione editis Constitutionibus, statutis quoque ac consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Caelestium vero munerum auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, cunctoque Clero et populo singulis Vestrum commisso peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XXX Septembris Anno MDCCCLXXX, Pontificatus Nostri anno Tertio.

LEO PP. XIII.

LITTERAE

IN FORMA BREVIS, QUIBUS ECCLESIIS S. VINCENTII A PAULO INDULGENTIA PLENARIA ET PARTIALIS CONCEDUNTUR.

LEO PP. XIII.

Universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Acceptae nuper a Nobis nomine dilecti filii Ioannis Baptistae Borgogno, Procuratoris generalis Presbyterorum saecularium Congregationis Missionum supplicationes praeferebant, die vigesima septima proxime futuri mensis novembris, ab universa religiosa Sancti Vincentii a Paulo familia, in omnibus et singulis ecclesiis, et oratoriis respectivae piae domui praefatae Congregationis adnexis, festivitatem quamdam in honorem beatissimae Deiparae Virginis Immaculatae peculiari cultu celebratum iri. Ac, ne quid spirituali fidelium solatio et fausta occasione desit, supplicatum nobis fuit, ut plenariam praedicto die et partialem nonnullis aliis ut infra diebus lucrandam ex benignitate Nostra Apostolica impertiri dignaremur. Porro Nos exhibitis huiuscemodi precibus obsecundare volentes, et ad augendam fidelium religionem animarumque salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti omnibus et singulis tam religiosis viris quam monialibus ex memorata Congregatione sancti Vincentii a Paulo, et externis utriusque sexus Christi fidelibus si clausurae leges id sinant, qui vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti respectivam cuiusque piae domus ex hac Congregatione ecclesiam seu oratorium die vigesimo septimo proxime futuri mensis novembris a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi devote visitaverint, ibique pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer

in Domino concedimus. Praeterea eisdem religiosis viris et monialibus necnon aliis, ut supra, Christi fidelibus qui corde saltem contriti respectivam ecclesiam cuiusque piae domus Congregationis Sancti Vincentii a Paulo, a die praefato vigesimo septimo futuri mensis novembris ad diem decimum octavum subsequentis decembris devote visitaverint ibique, ut superius diximus, oraverint quo ex hisce die id praestiterint centum dies de iniunctis eis seu alias quomodo libet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, poenitentiarumque relaxationes etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse elargimur. Praesentibus hoc anno tantum valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae praemunitis eadem prorsus adhibeatur fides quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die nona iulii MDCCCLXXX, Pontificatus Nostri anno tertio.

TH. CARDINALIS MERTEL

Loco ✠ Sigilli.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

OPTIONIS (1).

Die 26 Aprilis et 23 Augusti 1879.

COMPENDIUM FACTI. Capitulum Cathedralis Ecclesiae A. cuius origo iniuriâ temporum et documentorum interitu, in antiquitatis caligine obruitur, anno 1705 componebatur decem Canonicis, praeter duas Dignitates, Archidiaconum nempe et Primicerium. Redditus Massae capitularis desumebantur ex quinque duplicibus praebendis, quarum singuli Canonici dimidiam percipiebant, nec non ex quadam parva massa communi, quae aequis partibus inter eosdem Canonicos dividebatur pro distributionibus quotidianis. Tractu sed vero temporis praebendae separatim administrari coeperunt et administrantur, si demas Poenitentiariam, quae adhuc alteri canonicali praebendae unita manet, duasque alias, quae aliis totidem ineunte hoc aevo una iunctae fuerunt.

Inter Canonicos servatur systema optionis, in vim decreti Episcopalis diei 7 Decembris 1828, in quo habetur: « Volumus » praeterea, decernimus et statuimus ut in posterum liceat Ar- » chidiacono, Primicerio, Canonicis Theologo, Poenitentiario, » Curato et reliquis pro tempore Canonicis.... portiones Cano- » nicales deinceps vacaturas optare et assumere, servata semper » inter optantes dignitatis gradus et choralis servitii praeemi- » nentia et praecedentia, et exclusis semper ab optione prae- » dicta portionibus Archidiaconali, Primiceriali, Theologali, Poe- » nitentiali et Curata, quae successoribus sarta tecta servanda, » per mensae Capitularis Oeconomum, vacationis tempore admi- » nistrentur. »

(1) Videsis Volumen VIII harum ephem. pag. 350 et seqq.

Cum die 1 Ianuarii 1878 decessisset Canonicus Iacobus Vessella, eiusque obitu simul vacavisset canonicatus, quem possidebat, eundem optavit, suae antianitati confisus, Aloysius Paterno, simplex Canonicus Cathedralis A. Ast vero cum Canonicus Theologus uti antiquior et Poenitentiarius secundo loco declaraverint, sibi ius competere eamdem praebendam optandi, prae Canonico Paterno, ideo res ad S. C. C. per hunc delata est. Interdum etiam Primicerius, annos natus 87, declaravit se vacantem optare velle praebendam. Hac habita declaratione, Capitulum votum suum edidit pro Primicerio, et in eius defectu pro Theologo et Poenitentiario.

Disceptatio synoptica.

Ea quae adversantur canonico Paterno. Canonici contra quos Canonicus Paterno decertat, demonstrare assumunt sub primo obstare Paterno exceptionem *de iure tertii;* nam dato etiam et nunquam concesso Canonicos Theologum et Poenitentiarium causâ incompatibilitatis, vacantem praebendam optare non posse, cum optio gradatim exerceatur iuxta praescriptum Bonifacii VIII *Cap. fin. de consuet. in 6,* ius optandi, haud Canonico Paterno, sed Primicerio Panella competeret, ratione praecedentiae. Quin officiat eundem nonnisi hora ultima formalem voluntatem optandi manifestasse; res enim adhuc integra manebat, nemo ius in re adhuc sibi quaesivit, facultas exinde dici nequit consumpta, quia non fuit secutus effectus, quemadmodum de optione, institutione, praesentatione, et aliis multis tenet *Gonzal. ad reg. Canc. gloss. 45 §. 3 n. 4. seqq., Gratian. Discept. for. 746. n. 13. seq.*

At si vero retineatur Primicerium Panella ius amisisse vacantem optandi Praebendam, tamen Canonico Paterno praeferendi sunt Theologus et Poenitentiarius. Siquidem observant, praebendas non iure communi, sed statuto, consuetudine aut privilegio Apostolico optabiles evadere, iuxta extrema data per *Bonifacium VIII. in d. c. fin. de consuet. in 6.,* et statuunt DD. in specie *Moneta de opt. c. 2. n. 1, Gagliardi comm. ad cit. can., Fargna De iurepatronatus p. 2. c. 26. cas. 1.*

Ex statuto autem manifestum fit neque Theologum neque Poenitentiarium ab optionis iure excludi: habetur enim *in posterum liceat Canonicis Theologo, Poenitentiario... portiones canonicales deinceps vacaturas optare.* Statutum porro hac in re minime iuri communi refragari contendunt. Siquidem generalis regula exclusiva optionis, quoad memoratos Canonicos, limitationem recipit, si ipsi tenues obtinentes praebendas sub ea conditione ad ius optandi meliorem admittantur, ut ponderant *Ventrigl. in prax. for. eccles. part. 2 adnot. 12. §. 2. n. 8., Cardin. Petra ad Constit. II. Innoc. VI. tom. 4. pag. 249. n. 25.* Absonum namque est, ut Canonicus Theologus et Poenitentiarius qui maius subeunt onus, minora in perpetuum habeant emolumenta, quam alii simplices Canonici *Petra loc. cit.* Iamvero hoc adamussim in themate verificari affirmant.

Insuper notissimi iuris est, quod Theologus et Poenitentiarius optare non valent, quando praebendae sunt divisae, non vero si Capituli bona ex massa communi conflantur. Patet id ex doctrina *Garciae De benef. part. 6 cap. 4. n. 155.* et resolutione S. C. C. in *Pinnen. Optionis diei 26 Februarii 1859.*

Id probe verificatur in Capitulo A. cuius as conflabatur olim a communi massa. Deque ipsius divisione nulla prostat memoria, si excipias quod tempore posteriori communis massa divisa fuerit in parvas massas, tantum de consensu Episcopi, sed verae et distinctae praebendae haud efformatae sunt. Ubi autem praebenda certa non est, valet Theologus, valet Poenitentiarius optare ex sententia S. C. relata per Pirrum Corradum in sua *Praxi benef. lib. 11. cap. 15. n. 24* – ibi – « Non » potest optari praebenda quae fuit erecta et deputata in theo- » logalem pro Theologo, a sequenti Canonico, prout Poenitentia- » rius cui certa praebenda est deputata et unita potest optare. »

Minusque iuvaret causae actoris Paterno argumentum ex consuetudine fundata in non usu iuris optionis ex parte Theologi et Poenitentiarii. Agitur enim in casu de actu mere facultativo contra quem non currit praescriptio, nisi post prohibitionem et legitimam acquiescientiam ad *tex. Final. De consuet. Rota dec. 316. n. 2 cor. Emerix.*

Ea quae favent Canonico Paterno: Quamvis dubitari nequeat quod antiquiori ex praebendatis ius optionis competat; tamen hoc ius ab antiquiore exercendum est infra tempus a iure statutum. Quod si inutiliter labatur, statim ius optandi devolvitur ad canonicum antiquiorem immediate sequentem ad *text. in cap. Fin.* §. *ultim. de Consuet. in 6, Gonzales ad reg. 8. Cancell. gloss. 34. n. 35 Barbos. loc. cit. cap. 30. n. 5. Vivian. de Iurepatr. p. 2. lib. 8. cap. 5. n. 1.* Tempus autem huiusmodi de iure communi est viginti dierum a die vacationis, sive potius illius verisimilis notitiae, ceu post Constitutionem Bonifacii VIII in *Cap. ultimo. Ne autem de Consuet. in 6* tradunt *Gonzales in reg. 8 Cancell. gloss. 34. n. 75, Barbosa de Canon. cap. 30. n. 5., Scarfant. loc. cit. n. 9.* - ibi - « Ex eadem « definitione colligitur quod optio vacantis praebendae ab an» tiquiori fieri debeat infra certum tempus, nempe de iure com» muni infra viginti dies a die vacationis sive potius illius ve» risimilis notitiae ».

Hisce in iure praestitutis, et seposito quod ex consuetudine in Ecclesia A. vigente, optio infra octiduum sit exercenda, propugnat Canonicus Paterno, Primicerium ad vacantem praebendam optasse quatuor circiter post menses a vacatione sequuta per mortem Canonici Vessella, quam illico novit, quum in eadem ambo vitam degerent civitate. Neque Theologo neque Poenitentiario optionem competere animadversum est, quia eorum officiis perpetua adnexa est praebenda ob qualitates in persona ad eamdem obtinendam requisitas. Idcirco tum Theologus, tum Poenitentiarius neque retento neque dimisso munere, absque speciali indulto alias optare valet praebendas: licet quoad caeteros capitulares peculiari statuto vel privilegio haec data sit venia. Ita uno ore tradunt *Passerin. in cap. Cum in tua de consuet. Monet. loco cit. cap. 3 quaest. 5. Constantin. vot. 530. n. 1. seqq. Barbos. loc. cit. cap. 26 n. 23 seq.* S. C. in *Volaterrana 18 Maii 1598 lib. 9. decret. pag. 60.* iterumque in *Asten. 26 Febr. 1606 apud Garz. De Benef. part. 5. cap. 4. n. 134* et in *Sebenicen. 2. Dec. 1651 apud Constant. Vot. 530 n. 4.* Quodque retinendum etiam in casu,

quo omnes praebendae essent de massa communi docet *Navarr. in cons. 14. de rebus Eccles. non alien.*

Praetermissa sed vero hac in re opinione Navarri, in facto esse sustinet Paterno, quod Canonici asserunt quidem, sed minime probant as capitulare ex communi massa constitui, dum e contra monumenta non desunt, quae aliud manifestant.

Ex quo concludit falsum esse principium quo nituntur Capitulares, falsaque proinde omnia consectaria deducta ad sustinendam optionem favore antiquioris Theologi et Poenitentiarii. Expensis enim adductis Episcoporum et Capituli enunciativis, fluit iam ab antiquis temporibus canonicatus huius Ecclesiae in praebendas distinctas constitutos reperiri.

Hisce omnibus utrinque perpensis, propositum fuit EE. PP. quonam responso dimittendum esset

Dubium

An et cuius favore sit locus optioni in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re ponderata in conventu generali diei 26 Aprilis 1879 respondit:

« *Dilata et ad mentem.* »

Menti s. Congregationis Antistes morem gessit exhibens notulam redituum et onerum singularum praebendarum, et referens quod Canonicatus quilibet suam habuit praebendam fixam et certam usque ad annum 1839, in quo decretum editum fuit. Ab hoc anno semel, ait, tantum vacasse Praebendam theologalem et semel pariter vacasse Poenitentiariam.

Hisce etiam perpensis, eadem sacra Congregatio sub die 23 Augusti 1879 iterum proposito dubio: *An et cuius favore sit locus optioni in casu.* — respondit: *Affirmative favore Canonici Theologi, ita tamen ut praebenda optata perpetuo deinde addicta remaneat canonicatui theologali.*

Ex quibus colliges:

I. Apud plura Capitula sive ex privilegio, sive ex statuto, sive ex consuetudine illud obtinere, ut Canonici praeben-

das magis opimas, quotiescumque vacaverint, optandi iure potiantur.

II. Ad tradita per ss. Canones, certum a Canonicis servandum esse ordinem in exercenda praebendarum optione, eoquod ius hoc eisdem tribuitur non ratione muneris, sed ratione longioris servitii Ecclesiae praestiti.

III. Ius tamen huiusmodi exercendum esse ab antiquiore ex praebendatis infra tempus a sacris canonibus statutum; quod de iure communi computatur ad viginti dies, a die vacationis sive potius illius verisimilis notitiae.

IV. Quum in materia beneficiorum communiter censeatur, unionem inter officium et praebendam, perpetuum praeseferre titulum; ideo Theologum et Poenitentiarium (1) apprime excludi ab optione, quia ad haec duo officia specialis desideratur personae industria et habilitas, quae congruam etiam praebendam exposcunt.

V. Ex speciali tamen R. Pontificis concessione posse Theologum et Poenitentiarium optare meliorem praebendam, quatenus eorumdem officiis devinctae, nimis tenues fuerint; donec ad aliquam ex pinguioribus ascendant quae perpetuo eorumdem officiis affecta intelligatur.

VI. Videri enim rationi minus congruum, Theologum et Poenitentiarium minoribus in perpetuum uti debere emolumentis, dum maius inter capitulares subeant onus.

VII. In themate iure a beneficio optionis exclusum fuisse Primicerium Panella, quia tempore utili haud optavit, meritoque autem vacantem praebendam concessam fuisse Theologo uti antiquiori, adiecta tamen lege ut in perpetuum huic officio addicta haberetur.

(1) Quod de Theologo dicitur intelligi debet etiam de Poenitentiario; nam eadem iura pro utroque valere constituit S. C. C. in Vicentina Optionis 31 Ian. 1852 §. prima, Bellunen. Erect. Praeb. Poen. 23 Aprilis 1864.

PRAECEDENTIAE

Die 23 Augusti 1879.

Compendium Facti. Inter confraternitates laicales', quarum una a ssmo Sacramento, altera vero a s. Maria Dolorosa nuncupatur in Dioecesi A. paucis abhinc annis, controversia de praecedentia in funeribus et processionibus exorta est. Re tandem ad curiam episcopalem delata, Vicarius Generalis hanc protulit sententiam die 27 Februarii 1878: « Pronunciamus......
» Confraternitati s. Mariae Dolorosae deberi praecendentiam in
» processionibus quae fiunt sive causa funerum, sive aliarum
» solemnitatum, super Confraternitate ss. Sacramenti, salvo iure
» isti debito ex Regio Decreto sive rescripto diei vigesimi tertii
» Augusti anni 1843 in processionibus Corporis Christi.......»

Ab hac sententia Sodales huius Confraternitatis ad S. C. Congr. appellarunt. Rmus Praesul, ea qua par erat sollicitudine, acta processus ac informationem transmisit, in qua totus in eo est, ut sententiam Vicarii Generalis utpote iniustam refutet.

Disceptatio Synoptica.

Iura Confraternitatis ss. Sacramenti. Hisce in facto constitutis, pro sententiae infirmatione perpendi debet in iure, quemadmodum in themate verificatur, quod in materia de praecedentia dignitas in primis attendenda est, ita ut semper illa dignioribus prae minus dignis danda sit; *Barbosa in Summ. Apostol. dec. verb. praecedentia n. 2* cum communi Canonistarum, s. *Rituum Cong. in s. Severini 1 Septem. 1607.* Hoc in genere; in specie autem quoad Confraternitates laicorum respectu processionum tam publicarum quam privatarum per specialem Constit. Gregorii XIII, quae incipit *Exposcit*, sancitum est, ut praecedentia tribui debeat iis, qui in quasi possessione praecedentiae ac iuris praecedendi reperiuntur iuxta vulgatam regulam: *Qui prior est in tempore potior est in iure.* Consonat resolutio s. *Rit.*

Congr. in Nepesina 10 Maii 1608, et in Thelesina 19 Martii 1611. Quod si constare non possit cuinam quasi possessio assistat, tunc ii praecedere debeant, qui prius saccis usi sunt. *Cit. Constit. et s. Congr. Rit. in Sorana 7 Augusti 1627,* et in s. *Severini praecedentiae 24 Sept. 1812, Rota decis. 779 n. 1 coram Merl. et Panimoll. decis. 1 num. 2.* Concordant *Constit. 139. Urbani VIII et Instit. Eccles. 105 Benedicti XIV.*

Neque subsidium captare valent Confratres s. Mariae ex eo quod in diplomate papyraceo reperiatur adscripta dies 7 Ianuarii 1778 qua eorum Sodalitas erecta praetenditur; datum enim huiusmodi, sicuti et caetera data in eodem diplomate contenta in cifris arabis corrupta, abrasa omnino inveniuntur, ut notat Antistites; quin imo eamet longe diverso atramento confecta sunt, quemadmodum cuique conspicienti primo apparet obtutu. Ast solemne in iure est, quod nemini sua fraus patrocinari debet. *Rota dec. 12 n. 4 de censib. coram Falconerio per text. in l. Si itaque 12 ff. de furtis et in l. 13 ff. de dolo.*

In perdita tamen hypothesi, quae allatum documentum authenticum esse demonstraret, adhuc sodalitatis ss. Sacramenti ius imperturbatum remaneret circa ius praecedendi. Ex nuperrimo enim documento ad acta exhibito constat, eamdem iam ab anno 1539 extitisse, dum eo tempore Paulus PP. III suo Brevi gratias et indulgentias memoratae sodalitatis confratribus largitus est. Ac per hoc cum ipsa ab auctoritate civili forte fuerit suppressa, quemadmodum et adversarii de ipsismet contendunt, dicendum haud est propria iura amisisse, sed eadem potius recuperasse iure postliminii ex *L. 19* ff. *De captiv. et Postlim. rever.* (1) Sodalitas enim, quae Ecclesiae auctoritate, personam

(1) Apud Romanos capta in bello cedebant hostibus capientibus; sed recuperata gaudebant iure *postliminii* et ad pristinos dominos revertebantur. Hinc ius huiusmodi est — ius amissae rei recipiendae ab extraneo et in statum pristinum restituendae. —

Nedum res victoribus cedebant, sed cives ipsi in bello capti victorum servi fiebant; attamen ad pristinum imperii limen reversi, vi iuris *postliminii*, pristinum statum, iuraque omnia, per captivitatem amissa, recuperabant. Hoc iure frui posse ss. Sacramenti sodalitatem ad propriam anterioritatem evincendam, reputatum est; ex eo quod per vim ab auctoritate laica incompetenti forte suppressa, per aliquod permanserit tem-

et iura accepit, quidquid saecularis potestas aut externa vis quaelibet moliatur, numquam iuribus aut personâ privari potest absque legitima Ecclesiae definitione, ceu de Collegiis agens docet *Piton. Discept. Eccles. 8. n. 17.*

Omnis autem arcetur difficultas si observantiam attendas, cuius efficacia magna est in praecedentiae materia, ceu notat *Rota in recent. part. 18 decis. 781 num. 5, et decis. 232 num. 2 coram Olivatio.* Quamobrem quum observantia confratribus faveat ssmi Sacramenti, dubitari non posse videtur, quod isti manutenendi sint in huius iuris quasi possessione. Centenaria enim possessio meliorem suppeditat titulum de mundo *Rota in recent. decis. 678 §. 12 cor. Odescalchi.* In casu centenariam esse observantiam autumat Antistes.

Iura Confraternitatis s. mariae a doloribus. Ex altera vero parte qui iura tuetur Confraternitatis s. Mariae a Doloribus, ex triplici ratione contendit huic Confraternitati adiudicandam esse praecedentiam, nimirum: 1. ex anterioritate canonicae erectionis; 2. ex anterioritate reditus in pristinum statum; 3. ex eo quod obtinuerit et iuridice possederit privilegium tituli Archiconfraternitatis. Ad primum quod attinet, patronus affirmat Confraterfranitatem s. Mariae iam ab anno 1586 canonice erectam fuisse, et vitam iuridicam habuisse usque ad annum 1770, per centum nempe et octoginta quatuor annos, quo tempore a gubernio suppressa fuit. Ex quo infert bis centenariam possedisse canonicam erectionem, quae melior titulus de mundo dici debet, aequalem habens auctoritatem ac ipsa lex vel Apostolicum privilegium. *Rota in decis. 1352 num. 6 coram Lancetta; Card. De Luca de benef. tom 12 disc. 32 num. 2 et 4 : Schmalzgrueber tom. 1 part. 1 tit. 4 num. 31;* S. C. C. in quamplurimis resolutionibus ac praesertim in *Nullius Sublacen. Iurium Parochialium 29 Ianuarii 1825 §. Rationabilis.*

pus. Quamobrem ceu iura] civium per hostium vim solummodo suspendebantur, sed perempta haud erant; sic iura et persona Sodalitatis in casu suspensa tantum fuisse, minime sublata, retinendum est. Hinc sublato suppressionis decreto, omnia iura et persona Sodalitii eiusdem reviviscunt et in pristinum redeunt statum.

Quin relevet per legem *ammortizzationis* a gubernio latam anno 1780 suppressam fuisse: suppressio enim huiusmodi nihili facienda est, utpote quae a non habente competentem auctoritatem processit, ideoque iuridica existentia Confraternitatis s. Mariae nullimode interrupta dicenda videtur, quamvis per praefatam laicam legem coacta fuerit regium assensum exposcere, et illum non obtinuerit nisi die 7 Ianuarii 1777.

Ast dato et nunquam concesso, quod rite et recte suppressa fuerit, causa et conditio Confraternitatis ss. Sacramenti nullum persentiret levamen, cum eiusdem erectio obvenerit tantum die 8 Augusti anni 1777, scilicet post varios menses a reditu in pristinum statum Sodalitatis Beatae Virginis Dolorosae, quae iterum excitata fuit Reali decreto die 17 Novembris 1776 edito, etsi publicato die 7 Ianuarii 1778, cum in decreto fuerit provisum ut ipsa iuridicam existentiam habere deberet a die emanationis realis assensus. Iamvero canonistae omnes, unanimi ferme consensione tenent praecedentiam deberi cui maior praeeminentia dignitatis vel gradus competit; deberi ei cui favet prioritas temporis inter aequali dignitate vel gradu condecoratos. Cum igitur Confraternitas s. Mariae habeat anterioritatem temporis, sive quoad erectionem, sive quoad reditum in pristinum statum, eidem omnino competit praecedentia super Confraternitate ss. Sacramenti. Eo vel magis quia eamet suppressa mansit de anno 1846 et non per legem generalem, sed per indebitam pecuniae appropriationem, fuitque solummodo restituta in pristinum anno 1854.

Postremo loco contendit orator praecedentiam deberi digniori prae minus dignis; in themate autem digniorem habendam esse Confraternitatem s. Mariae, utpote Archiconfraternitatis titulo decoratam. Hoc autem ut probet, in defectu rescripti originalis, quo privilegium huiusmodi a Rege concessum fuit in vim concordati, copiam affert eiusdem, quae apud publicum Notarium asservatur, quaeque datum habet diei 7 Iulii 1777, ac insuper auctoritatem invocat Archiepiscopi Zunica, qui in rescripto confirmationis privilegii Sodalitium appellat Archiconfraternitatem.

Hisce utrinque perpensis, Emis Iudicibus remissum fuit decernere quonam responso dimittendum esset

Dubium

An sententia Curiae diei 27 Februarii 1878 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re discussâ sub die 23 Augusti 1879, respondit:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam et amplius.

Ex quibus colliges:

I. In praecedentiae materia prius attendendam esse dignitatem: ita ut semper praecedere debeant digniores prae minus dignis.

II. Inter pares autem praecedentiam, iuxta regulam - qui prior est in tempore potior est in iure - illi esse debitam qui in quasi possessione ac iure praecedendi iam reperitur. (1)

III. Cum probationes deficiant ad evincendum cuinam, ex Confraternitatibus litigantibus, faveat quasi possessio, iure constitutum esse, eos praecedere debere, qui prius saccis usi sint.

IV. In aliarum probationum deficientiam, plurimi faciendam esse observantiam, ad ignoscendum quisnam praecedere debeat inter confratres, de cetero pares.

V. In themate praecedentiam in funeribus et processionibus competere Confraternitati a ssmo Sacramento, eoquod haec aliam praecesserit in canonica erectione, et inter se pares sint; quum impudenter Archiconfraternitatis titulum usurpatum fuerit ab adversaria.

(1) Cuinam competat praecedentia inter Ordines Mendicantium et inter Confraternitates laicorum declaravit Gregorius XIII in *Constit. Exposcit pastoralis*, §. 3. « De nobis attributae potesta- » tis plenitudine, volumus et Apostolica » auctoritate decernimus quod quicumque » ex dictis Fratribus Mendicantibus, in- » ter se de praecedentia huiusmodi con- » tendentibus, aut confratribus confra- » ternitatum praedictarum, inter quos » lites et causae, praemissorum occasio- » ne ortae iam sint, seu oriri contigerit » in futurum, qui in quasi possessione » praecedentiae ac iuris praecedendi sunt » ii.... in processionibus tam publicis » quam privatis praecedere debeant. » Quando vero non probetur aut non » constet de quasi possessione praece- » dentiae huiusmodi, inter fratres qui- » dem Mendicantes, ii, qui antiquiores » in loco controversiae; inter confratres » vero, inter se litigantes, ii, qui prius » saccis usi sunt, in processionibus tam » publicis quam privatis, praecedere de- » beant....

VI. Hinc rite infirmatam fuisse Vicarii Generalis sententiam; utpote quae, forte ex errore intellectus, commentitiis inniteretur probationibus; quas decepta pietas procudere nequivit, sed immoderata in aliis dominandi cupiditas.

SERVITII CHORI

Die 26 Iulii 1879.

Compendium facti. Petrus Messina anno 1710 iussit octo erigi canonicatus, ex suo asse haereditario, in Ecclesia paroeciali s. Laurentio dicata, Dioecesis N. Dignitatibus vero et canonicis indiscriminatim legem institutor imposuit, ut omnes quotidie divinum canerent officium, confessiones exciperent sacramentales, Missisque adsisterent cantatis.

Apostolicis Bullis diei 1 Martii 1737 erecta fuit Collegiata octo illis Canonicis aliisque duodecim de iure itidem patronatus nominandis constans, inter quos duo dignitate Cantoris et Decani insigniti sunt, et animarum curae praepositi. Quoad Canonicos vero a Messina institutos haec Sum. Pontifex sancivit. « Et quotiescumque ipsi Cantor et Decanus in exercitio curae » animarum huiusmodi aut Sacramentorum Ecclesiae admini- » stratione, ac sex Canonici, *in Sacramentalium Confessionem* » *receptione occupati fuerint, pro praesentibus habeantur, dictas-* » *que distributiones* pro rata eis et eorum cuilibet debita respe- » ctive *lucrari possint et debeant respective percipere, exigere etc.* »

Saeculo iam transacto aliis Bullis Apostolicis diei 31 Maii 1844 praedicta Ecclesia Episcopali Cathedrâ condecorata est; atque in iisdem Bullis ita onera Canonicorum confirmata « ut *ipsaemet* » *viginti canonicales praebendae* absque Bullarum expeditione » pro hac vice tantum retineantur ac *possideantur* ab hodiernis » respective rectoribus *cum iisdem prorsus oneribus primitus* » *adnexis.* »

Testamentariae dispositioni Petri Messina innixi Canonici ab eodem instituti, quibus nempe iniungitur Poenitentiae Sacramentum administrare, arbitrati sunt vacare posse sacramentalibus confessionibus excipiendis, tempore divini officii, quin distributionibus privarentur quotidianis; quod forsan alii Canonici gravato animo ferentes querelam Episcopo praebuerunt, ut ad communis legis observantiam illos revocaret. Amicalibus primo ac repetitis monitis duobus abhinc annis adnisus est Antistes Canonicos ad choralem disciplinam custodiendam compellere, sed contra promissiones ab iisdem, ut ipse refert, continuo datas, omni spe frustratus sub die 9 Martii superioris anni 1878 mandatum edidit, ut, excepto Cantore (in quo uno parochialis cura nunc residet) et Poenitentiario, alii Canonici qui tempore divini officii fidelium confessiones audirent, distributiones quotidianas amitterent, atque insuper incurrerent in poenam suspensionis a celebratione Missae pro una die subsequenti violationem mandati. Tunc Canonici ad s. Sedem recursum habuerunt quoad distributionum quotidianarum amissionem, et quoad suspensionis poenam.

Disceptatio synoptica

Defensio Canonicorum. Ex quo Canonici suspensionem ab Episcopo comminatam prae caeteris impetunt, hinc ipsa haud substineri contendunt, *primo* quia absentibus a Choro iam praestituta est poena amissionis distributionum a Conc. Trid. *sess. 24 de reform. cap. 12;* eamque proinde Episcopus aliâ poenâ gravare non potest. *Secundo,* quia animarum curam habitualem habere reputant, actualem autem in defectu Cantoris, seu Parochi; quo in casu eamdem curam exercet iure proprio Canonicus *de turno.*

Haec de iure; in facto autem alia nonnulla adiiciunt, quibus opportunum et necessarium ostendere conantur ministerium Confessorum tempore divini officii. Praeterquamquod id obtinet ex diuturna observantia, ab erectione nimirum Collegiatae ad diem inflictae suspensionis; ea tamen religiosa prudentia, ut numquam in choro media pars Canonicorum deficeret. Hoc autem

Confessionum exercitium percommodum esse asserunt fidelibus distincti coetus, qui prae caeteris habitant in paroecia, hisce praesertim temporibus, dum non minus quam quinque religiosorum domus intra fines eiusdem paroeciae existentes suppressae sunt, in quibus parochiani assolebant poenitentiae ablui lavacro. Hora autem magis opportuna, maxime hyemali tempore, est a *nona ad meridiem,* quo nempe intervallo officium divinum recitatur; ita ut hoc ultimo temporis lapsu, in quo ob poenam suspensionis ab hoc ministerio sese abstinuerunt Canonici, confessiones evaserunt infrequentes. Adiiciunt praeterea, quod Canonicus Poenitentiarius ultra novem abhinc annis suum nequit officium adimplere, quia praeter aetatem *octuagenariam,* chronicâ laborat infirmitate.

Defensio Episcopi. Mandatum a se emissum ex sua parte Episcopus propugnans, id omne in sua informatione exponit, quod in diversis colloquiis cum Cantore Parocho, canonicorum partem protuente, opposuerat. Ac primo quidem de indocilitate eorumdem Canonicorum queritur, eo quod duos integros annos transegerint exhortationibus illius obsequium promittendo, et numquam praestando. Inaniter autem illos ad evitandam suspensionem invocare inquit conciliarem dispositionem, quae absentes a choro unâ distributionum privatione mulctat; quoniam poena suspensionis potest ab Ordinario imponi etiam ob culpam levem.

Adiecit autem haud esse praeter ius, quod etiam iudex inferior augere aut imminuere possit poenas a lege constitutas pro particularibus casibus; cum adiuncta specialia, ceu consuetudo delinquendi, hoc expetere videantur, *Bened.* XIV. *Instit. 107* §. *VI. n. 38 et* §. *VIII. n. 44.*

Nullum vero venire subsidium canonicis ex lege Petri Messina prosecutus est Episcopus, quia pius Testator voluit ut onera a se imposita implerentur quidem, sed horis diversis ut omnia impleri possent.

Vim autem Bullae pro erectione collegiatae evanuisse post Bullam pro erectione eiusdem Collegiatae in Cathedralem. Neque verba Bullae istius « *cum iisdem prorsus oneribus primitus adnexis* » favere Canonicis dici potest, quia haec intelligi debent de

oneribus adnexis solum duabus Dignitatibus, quibus inerat cura animarum. Exemptio enim a choro ad excipiendas sacramentales confessiones, aut ad quodlibet obiectum, absque punctaturarum poena, favor, gratia aut privilegium, minime vero onus aut gravamen appellari potest. Quamvis tamen supponi velit, huiusmodi privilegium concessum fuisse per Bullam erectionis Collegiatae, sublatum fuit per aliam Bullam qua Collegiata in Cathedralem erecta fuit; ceu colligi potest ex ipsis Bullae verbis:

« Deinde cum ex causis superius adductis omnino praestet memoratam s. Laurentii Ecclesiam Collegiatam ad Cathedralis honorem attollere, cumque ad hoc necesse sit ut collegialis Titulus antea supprimatur, idcirco eidem Templo s. Laurentii nec non ipsius Capitulo collegialem Titulum demimus atque in perpetuum abolemus cum omnibus siquidem favoribus, gratiis, praerogativis, privilegiis hucusque impetratis vel legitime quaesitis adhibitisque. »

Obiectae denique fidelium commoditati occurrens Antistes ait: multitudinem fidelium qui ad sacramenta accedunt, haud esse ita magnam ut Canonici chorum derelinquere debeant; quinimo infra hebdomadam nonnisi parvus foeminarum numerus sacramenta quaerit, dum homines vix in paschate et non omnes infeliciter Ecclesiam petunt pro sacramento poenitentiae.

Ex officio autem animadversum fuit: certum esse octo canonicis impositum fuisse onus audiendi confessiones. Quod tamen hanc obligationem, tempore divini officii satisfaciendam intenderit fundator hoc profecto penitus alienum tum a lege canonica, tum ab ipsa testatoris voluntate videtur.

Est enim omnibus explorata sacrorum Canonum, nec non Tridentini Concilii dispositio, qua Canonici amissione distributionum quotidianarum mulctantur ob absentiam a choro *sess. 24 cap. 12 de reform. « distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant; reliqui quavis collusione aut remissione exclusa, his careant »* adeo ut uni Poenitentiario concessa sit facultas, ut ceu praesens in choro retineatur dum in confessionario sedet; *sess. 24 cap. 8 de reform. « dum confessiones in Ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur »* unde facile infertur, quod aliis ca-

nonicis id non permittitur, quemadmodum definivit S. C. C. in *Romana Servitii chori* 23 Decembris 1690 in causa Capituli s. Mariae in Cosmedin de Urbe. Leges sunt istiusmodi, quae publicum ac generalem ordinem in disciplina Ecclesiae constituunt, dum naturam et essentiam officii Canonicorum determinant. Quaecumque concipi valeat institutoris voluntas in erectione collegiatae et Canonicorum eiusdem, haud unquam admitti potest, quod fundamentalem hanc legem, nimirum, quod Canonici debeant psallere in Choro, conventualem canere missam, aliisque huiusmodi officiis defungi, subvertere intenderit, quia legis ipsius, ac propriae creationis et institutionis subverteret obiectum.

Atque hoc examussim in facto accideret, quoniam dum unusquisque Canonicus huic obligationi satisfacere percenseret, ac respective facultatem sibi per testatorem concessam exercere arbitraretur, perfacile a Choro unus post alium abiret, ac divina psalmodia, in qua Canonicorum consistit officium, penitus conticesceret; id quod nullatenus admitti posse videtur, cum in arbitrio Canonicorum remitteret institutionem ipsam funditus pessumdare.

Nec iisdem Canonicis suffragari videtur observantia seu consuetudo, quam ab erectione viguisse affirmant, nam consuetudo istiusmodi neque probatur, neque esset sustinenda, prouti tradit *Passerini ad cap. consuetudinem de cleric. non resident. 6 reg. 10 n. 163* « praecisa deputatione vel legitimi superioris licentia con-
» suetudo introduci non potest, ut Canonici non interessentes
» Choro causâ celebrandi Missas privatas, lucrentur distributio-
» nes; nam causa excitandi canonicos ad frequentem celebra-
» tionem cum praeiudicio obligationis ad chorum, nec est ratio-
» nabilis, nec nova causa et specialis, sed generalis et praevisa
» a iure et reprobata; ex eo quod tantum tres aliae fuerunt ap-
» probatae; *et idem dicendum de absentibus causa confessionum*
» *audiendarum* » atque huic sententiae adhaerent *Fagnanus in cap. licet. de praebend. num. 118, et Bened. XIV Instit. 107. n. 76.*

Quo autem planior ex exemplis S. C. C. reddatur controversiae definitio, opportune succurrit iudicium ab eadem S. C. C. prolatum in *Agrigentina Distributionum diei 1 Aprilis 1876,* in

qua ex **Episcopi** relatione constabat, in Capitulo illius Agrigentinae Ecclesiae consuetudinem viguisse, ut Canonici post *Capitulum ad Laudes* et *ad Vesperas* confessiones fidelium audirent, quin grave chorali psalmodiae detrimentum redundaret, quum Canonici et mansionarii non minus essent sexaginta, et cura habitualis animarum in Capitulo resideret. Propositis in s. Congregatione hisce dubiis *I. An et quomodo ad effectum lucrandi distributiones sustineatur consuetudo celebrandi Missas tam in Ecclesia quam in Sacello tempore divinorum officiorum in casu? II. An et quomodo ad effectum lucrandi distributiones sustineatur consuetudo excipiendi Sacramentales Confessiones tempore divinorum officiorum in casu?* – isthoc ad utrumque Dubium redditum est responsum: « Ad I et II *Consuetudinem non sustineri.* Attentis tamen peculiaribus circumstantiis, normam ab Episcopo » de consensu Capituli propositam admitti posse, addito de licentia Praefecti chori; et Episcopus curet, ne ante et post » chorum desint Missae » (1).

In eo veruntamen quod respicit Episcopi mandatum suspensionis contravenientibus inflictae, tametsi ex cospicuae notae DD. retineri possit, etiam ob levem culpam suspensionem esse efficacem, teste *Schmalzgrueb. tom. 5 part II tit. 39 n. 59,* nihilominus in praesenti quaestione forsan exorbitans videri potest, ac idcirco temperanda. In duorum quippe annorum effluxu, in quo inter Episcopum et Canonicos pertractatum est de hac disciplina chorali redintegranda, numquam Canonici subiecti sunt punctaturae, atque utcumque Episcopus obligare potuisset punctatores, ut absentes mulctarent ad normam conciliaris decreti « *distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa his careant,* » hoc autem praeterhabito remedio, progressus est ad suspensionem. Magis quidem consentaneum iuri fuisse videtur, quod punctatores huic poenae submitteret ut per mulctam a iure praestitutam ordinarium experiretur remedium, quam illam imponeret Canonicis, qui tum fundatoris dispositioni, tum consuetudini, ceu reputant, innixi, in quasi possessione iuris esse arbitrantur, imo

(1) Habes hanc quaestionem Vol. IX pag. 382.

etiam propriae obligationi satisfacere autumant confessiones fidelium, etiam perdurante divino officio, excipiendo. Non enim irrationabilis sub hoc respectu censeri potest canonicorum querela, quod graviori poena sint ipsi mulctati, dum sacro ministerio vacant, prae illis canonicis qui a choro abessent, ut in plateis et vicis vagentur. Et siquidem privatio distributionum minus proficere expertus esset, tunc nihil obstitisset, quominus ad graviorem suspensionis poenam procederet.

Hisce perpensis, exploratae sapientiae EE. PP. remissum fuit infrascriptum enodare

Dubium

An et quomodo sustineatur poena privationis distributionum choralium et suspensionis in casu?

Resolutio. Sacra C. Cong. reponderata sub die 26 Julii 1879 respondit:

Affirmative quoad privationem distributionum.

Ex quibus colliges. I. Generalem esse legem, qua canonici a choro absentes amissione mulctantur distributionum quotidianarum: « *distributiones vero* (Trid. Sess. 24 cap. 12 de ref.) *qui statis horis interfuerint recipiant: reliqui . . . his careant* »; excepto Poenitentiario, qui « *dum* (Sess. cit. cap. 8) *confessiones in Ecclesia audiet interim praesens in choro censeatur* ».

II. Legem huiusmodi constituere naturam et essentiam officii canonicalis; ita ut qui Canonicatus constitueret iubendo ne canonici psallerent in choro, aut ne Missam conventualem canerent, obiectum propriae institutionis subverteret.

III. Hinc rationabiliter censendum esse, institutorem praebendarum canonicalium, alia onera imponendo, praeter communia omniumque canonicorum propria, nolle canonicos a se institutos eximere ab oneribus propriis communibusque, sed eisdem nova superimponere.

IV. Quapropter in themate videri pium fundatorem siquidem iussisse canonicos a se fundatos, facultate audiendi fidelium confessiones praeditos esse debere, ast eiusmodi officio per eosdem incumbendum esse, absque divinae psalmodiae detrimento.

IURIS

Die 20 Decembris 1879.

Compendium facti. Anno 1739 ad preces sexdecim Presbyterorum civitatis A. auctoritate Episcopi constitutum fuerat, ut in cadaverum associatione, quando invitati erant presbyteri, quidam servaretur turnus, ab antiquiore incipiens, donec omnes hoc beneficio usi fuissent. Exinde originem traxisse videtur quaedam Sacerdotum Congregatio, cui *Urbanae* nomen inditum est. Turnus hic longo haud tempore perdurasse videtur, quum ex actis Congregationis eiusmet de anno 1777 statutum fuisse constet ad vitam revocari debuisse turnum constitutum decreto anni 1739, ita tamen ut in turno comprehenderetur vicissim unus ex viceparochis. Anno 1778 Congregatio haec, sua condidit statuta, quae probavit Episcopus. In hisce quoad viceparochos art. 5, et 8 decernitur, quod inter sacerdotes deputatos ad associandum aliquem defunctum, semper cooptari debeat alter ex duobus viceparochis. Turnum moderatur presbyter, apud quem manet liber cleri civitatis. Presbyter hic invitat per turnum sacerdotes iuxta numerum ab haerede quaesitum.

Anno 1843 ut Archipresbyteri Parochi votis satisfaceret enunciata Congregatio, permisit ut ambo insimul Viceparochi pro tempore, intervenire possent, quoties sacerdotes Urbanae Congregationis vocarentur ad efferenda cadavera.

Ut autem animarum saluti melius prospici posset ob auctum populi numerum, labente anno 1878 tertius Viceparochus, uti in votis erat Antistitis, nominatus venit, cui de aliorum Viceparochorum consensu tertia pars emolumentorum, quae inter ipsos antea dividebantur, assignata fuit; paroeciales enim reditus haud tales sunt ut omnium honestae sustentationi sufficere valeant. Unde exoptabat Parochus ut hic, non aliter quam alii Viceparochi, in cadaverum associatione considerandus esset. Ob-

sistente at vero Urbana Congregatione, Archipresbyter ad Apostolicam sedem recursum habuit exposcens, praeter dubiorum in calce exscriptorum solutionem, etiam ut saltem ex gratia viceparochi omnibus praeferri debeant in cadaverum associatione.

Disceptatio Synoptica.

EA QUAE PAROCHO FAVERE VIDENTUR. Et praeprimis favore Parochi actoris haec animadversa fuere. Licet iuris communis dispositione inspecta ad haeredem pertineat destinare clericos ad funus comitandum *Scarf. Lucub. can. tom.* 3. *lib.* 4. *tit.* 14 *num.* 34 *seqq.*, *Pignat. tom.* 4 *cons.* 205 *num.* 36. *Peyrin. ad Const. Leon.* X *cap.* 4 *num.* 7, attamen nisi aliter, testatore silente, ab haerede fuerit dispositum, hoc ius ad Parochum pertinere censuit s. Congregatio teste *Amostaz De causis piis lib.* 6 *cap.* 2 *num.* 51 ubi habet « s. Congregatio in una » Ferrariensi 7 Septembris 1613 censuit, Parochum ad libitum » vocare ad funus Clericos, quos voluerit; nec cogitur vocare » viciniores, nisi aliter fuerit dispositum ab haeredibus defuncti, » quorum voluntas est servanda. Ex qua quidem declaratione » satis depromitur intelligendum, illam facultatem concessam » esse Parochis, nisi aliter ab haeredibus defuncti dispositum » fuerit, quibus in primis competit destinare numerum Sacer» dotum. »

Quod autem ius, Parochi favore, tam firmum est, ut ipsum Statutum Romani Cleri, quod haberi solet pro lege, sub *cap.* 8. §. 16 hoc ius ad unum Parochum competere decernat - ibi - « *Ad unum Parochum defuncti proprium pertinet presbyteros iuxta numerum ab haeredibus ipsius praefixum ad funus vocare....* Quo in iure posito, videretur nullimode praefatam Congregationem sibi adiumentum captare ex propriis statutis Episcopi auctoritate recognitis, ut Parochum ab huiusmodi iuris exercitio in haeredis defectu excluderet, cum id decernere in Episcopi facultate non sit. Et minus ex consuetudine in contrarium introducta, « quia est contra ius naturale ac contra » libertatem Ecclesiasticam *Curt. in cap. Cum tanto n.* 21, » *De consuet.* » Si igitur statuta et consuetudo, a quibus prae-

sidium mutuari tantum valet praefata Congregatio, non sustinentur, illud remanet quod ex iure communi statutum est, nempe quod in subsidium testatoris vel haeredis, hoc ius non exercentis, venit Parochus proprius defuncti. Quod si ius hoc ad parochum, quamvis modo subsidiario pertineat, destrui nequit, neque Episcopi auctoritate, neque consuetudine contrariâ. Etenim Episcopus contra ius nil decernere valet: et consuetudo originem duceret a conniventia antecessorum, quae successoribus non praeiudicat. Et eo magis parvipendenda est haec consuetudo quia est laesiva iurium parochialium; ita ut potius abusus et corruptela dicenda esset ex *Constit.* Pii IV *In principis Apostolorum sede.*

Profligatis ergo statutis, expunctaque praetensa consuetudine, firmari posse videretur ad parochum spectare ius notulam clericorum efformandi, qui ad funebres processiones interesse debent iuxta numerum ab haerede definitum.

Hoc posito principio iam supervacaneum videretur ad ulteriora procedere; in perdita tamen hypothesi quod praetensa Congregationis Urbanae iura sint substinenda, nullimode viceparochos, quotquot sint, excludendos esse ad interveniendum cuilibet funeri extra turnum. Docent enim DD. post *text.* in *Can. Quia Sacerdotes* 10 *quaest.* 1. aequum esse, ut extraneis praeferri debeant Clerici Ecclesiae Parochialis in funerum associatione *Piton. loc. cit. n.* 15, *Pignatell. loc. cit. n.* 39. Cui dispositioni adhaesisse videtur s. C. C. in *Nullius Montis Cassini* 26 *Ian.* 1726 *ad* 9 *Dub.* in quo censuit *Licere haeredibus defunctorum solum parochum vocare* (ad funus) *sed quatenus alios presbyteros vocare velint, esse praeferendos illos Ecclesiae matricis in numero ipsis haeredibus beneviso.*

Ratio autem ob quam DD. hanc praecedentiam iis presbyteris tribuunt in hoc consistit, quod Clerus iste Parochiali Ecclesiae inservit. Affabre *Piton. loc. cit. n.* 14. - ibi « quae quidem » praelatio est in iure fundata, cum clerus inserviat Ecclesiae » Parochiali praedicando, celebrando Missas, et divina officia, » immo etiam adiuvando et Parochum in administrando sa- » cramenta Parochianis, *Gratian....* » Age si praelatio istaec

in associandis funeribus clero parochiali debetur, quia Parocho adiutorio est, nescio quomodo excludi possint Viceparochi qui in Paroecia pondus sustinent diei et aestus.

EA QUAE CONGREGATIONI URBANAE FAVERE VIDENTUR. Contra sed vero perpendas oportet quod in materia funeralium statur consuetudini, quando agitur de personis, quae in illis debent intervenire, ceu post Glossam in *Clem. Dudum* §. *Verum ne parochiales, et in verb. integre de Sepultur.* docet cum aliis *Gratian. Discept. for.* 492 *n.* 7. Consuetudinem porro istam quadraginta tantum annorum spatio introduci posse testatur *Pignatell. loc. cit.* n. 39 - ibi - « potest introduci ex consuetudine quadragenaria ut certae personae ad funera evocentur, cum non « sit impeditivum liberae sepulturae sicut advertit in hac specie *Gratian....*» Atqui in themate non de quadragenaria, sed plusquam centenaria consuetudine agi, tot Episcoporum auctoritate firmata, fidem facit ipse actor Parochus in propositis dubiis. Cum igitur favore Congregationis militet consuetudo, qua cautum est ut turnus Presbyterorum a deputata persona efformetur in cadaverum associatione, videretur quod Parochus hoc ius ad se revocare non posset.

Quin obiici valeat hoc de iure spectare ad testatorem vel haeredem, subindeque consuetudo haec nequit introduci, prouti impeditiva libertatis. Haec enim talis non est ut cogat haeredes ad evocandum clerum in funeribus, quo in casu dici posset impeditiva libertatis, sed tantum praelationem cleri iuxta ordinationes et statuta ab Episcopis firmata inducit, quando haeredes velint funus per alios associari, unde fit quod ipsa maxime rationabilis dici debeat iuxta *Pignatell. loc.* nuper *cit.*

Minusve suffragari videtur quod tali consuetudine Parochi ius laedatur, quod praescribi non potest. Recolendum enim hic arbitror, quamplurimi aestimari solere S. C. C. peculiares locorum consuetudines, quae si rite introductae, praescriptae et probatae fuerint, vim legis obtinent iuxta *Reiffenst. lib.* 2 *Decret. tit.* 26 *n.* 140, *S. Congreg.* in *Romana* 24 *Martii* 1821 §. *Haec.* Idque etiam verificatur quamvis ius praescribenti resistat, dummodo tamen frequentiae actuum quadraginta anno-

rum spatium cum titulo vel immemoriale tempus suffragetur ad *tex. in cap. 1. de Praescript. in 6, De Luca De benef. disc.* 30. *n.* 11., *Reiff. loc. cit. n.* 121, 147 *et* 164; praecipue vero in funerum materia in qua maximi consuetudo solet haberi ex *Cap. Certificari De sepult. Rota decis.* 376 *n.* 1. *part.* 1. *recent.* et iuxta eam a S. C. quaestiones dirimi solent uti videre est in *Fabrianen. Quartae funeralis* 10 *Martii et* 7 *Aprilis* 1731, *et* 9 *Febr.* 1732, *Camerinen. Sepulturae* 18 *Dec.* 1819 *ad* 2 *Dub.* In casu autem nedum quadragenaria cum titulo et actuum frequentia in promptu est, dum originem repetit ex Episcopi confirmatione, qui est Parochus et Pastor totius Dioecesis, sed de praescriptione iugiter observata ac plusquam centenaria consuetudine firmata, quae secumfert meliorem de mundo titulum *quo mediante omnia praescribuntur: Rota in decis.* 962 *cor. Molines n.* 31.

Ex quibus omnibus hucusque deductis optime inferri videtur, quod Urbana Congregatio manutenenda esset in possessione notulam Sacerdotum efformandi pro cadaverum associatione, statutaque de anno 1777 confecta in suo pleno robore permanere.

Post haec inutile disquirendum videretur circa admissionem Viceparochorum ad funera extra turnum. Statim ac enim statuta de uno tantum Viceparocho loquuntur, hic, et non alii, admittendus esse videretur. Quin officiat actus Congregationis de anno 1843, saltem pro duobus Viceparochis admittendis extra turnum, quia tunc id concessum fuit ex causis personalibus, quae nunc absunt.

Neque demum id ex gratia concedendum esse videtur, quia ius tertii laederet, quod Pontifex tollere non intendit nec potest sine peccato, *Fagnan. in Cap. Consultationibus De Clericis aegrot. num. 50.* Quisquis enim alicui ius suum detrahit iniustitiam facit cap. 1. 22 *dist.* et *Gloss. ibi in vers. Iniustitiam* dicit, nec Papam debere detrahere uni ut det alteri nisi subsit causa. Causa autem in themate exulare videtur, dum Viceparochi habent unde vivant, et Clerus in angustiis versatur.

Hisce itaque summatim animadversis EE. PP. sequentia dirimenda proposita fuere

Dubia.

I. *An ius sit Parocho vocandi presbyteros iuxta numerum ab haeredibus praefixum ad associanda cadavera in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An unus, seu potius omnes Viceparochi semper praeferendi sint ceteris presbyteris in cadaverum associatione in casu.*

Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

III. *An Oratoris precibus annuendum sit in casu.*

Resolutio. Sacra C. Congr. die 20 Decembris 1879, re ponderata respondit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad III. *Provisum in praecedenti.*

Ex quibus colliges. I. Consuetudinem centenariam, ceu saepe innuimus, meliorem esse titulum de mundo; ita ut ipsum beneplacitum Apostolicum praesumere faciat, quamvis non probatum.

II. In funerum materia quamplurimum duci solere consuetudines locorum peculiares; ita ut si rite introductae, praescriptae et probatae fuerint, vim legis obtineant.

III. In themate consuetudinem peragendi notulam a Congregatione Urbana pro cadaverum associatione, his notis praeditam videri, dum neque actuum frequentia desit, aut immemoriale tempus, neque laedere videatur sepulturae libertatem.

IV. Ex doctorum consensu, quamquam iura aliqua, ceu sunt iura parochialia, praescribenti resistant, tamen si actuum adsit frequentia, et longissimum tempus, iura haec praescribuntur, et contraria consuetudo fit lex.

V. Hinc videri ex contraria consuetudine praescribi etiam posse ius parochi vocandi praesbyteros ad funus, tum iuxta numerum a testatore aut ab haerede praescriptum, tum etiam in subsidium testatoris aut haeredis hoc ius non exercentium.

VI. In iure et aequitate quodammodo fundari praelationem viceparochorum in funerum associatione; eoquod prae aliis ecclesiae paroeciali inserviant, celebrando Missas, verbum Dei praedicando, et paroecianis sacramenta administrando; ita ut cum parocho pondus diei et aestus ferant.

VII. Hinc in themate quamquam S. C. C. resolverit ex contrariâ consuetudine praescriptum fuisse, favore confraternitatis, ius parochi vocandi praesbyteros ad associanda cadavera, censuit tamen viceparochos semper omnesque caeteris praeferendos esse in cadaverum associatione.

CANONIS

Die 20 Decembris 1879.

Compendium facti. A tempore, quod hominum memoriam excedit, introducta est consuetudo in Dioecesi A. exigendi quotannis a quolibet Parocho modicum canonem pro ss. Oleorum materia comparanda remunerandisque ministris eadem distribuentibus. Canon iste in praesens 35 cent. summam non excedit pro qualibet Paroecia. Recenti tempore dubitatum est num legitime istaec levis taxa exigi valeat, eapropter Antistes ipse ad omne dubium hac super re avertendum, supplici oblato S. C. C. libello, declarari exquisivit an taxa haec tuto exigi posset; et quatenus negative, relinquendo consuetudinem, absolutionem temporis acti efflagitavit.

Disceptatio synoptica.

Ea quae consuetudini favent. Affirmativa sententia in themate sequenda videretur, si parumper spectes absque simoniae labe exigi aliquid posse ratione materiae, aut laboris. Unde sicuti vasa consecrata ad divina ministeria impune vendi possunt, ceu omnes tenent DD. ita paritate rationis aliquid pro

sacrorum oleorum comparanda materia exigi posse videretur, cum ipsa sint in hominum commercio atque pretio aestimabilia. Dato autem et parumper minime concesso, quod canon hic ab Episcopo sive ante sive post consecrationem exigi non valeret, tamen ipsius impositio sustinenda videretur propter parvam quantitatem materiae quae exigitur, quae etiam excusaret in casu Simoniae iuris divini *Pirhing. lib.* 5. *tit.* 3. *de Simonia.*

Omnis autem aufertur angustia si attendas consuetudinem immemorabilem, quae Episcopi favore militat. Quandoquidem animadvertendum est venditionem oleorum sacrorum etiam secundum suam speciem physicam iure canonum tantum prohibitam fuisse ceu testatur Scavini in *Theol. Moral. tract. De Simonia num.* 182 ubi quaestioni, *Quot modis committitur Simonia iuris humani* respondet: *Vendendo oleum benedictum vel sacrum chrisma etiam secundum suam speciem physicam.* Atqui quaevis Ecclesiastica lex immemorabili destrui valet, cum ipsa praesumptionem iuris et de iure pariat melioris cuiuscumque de mundo tituli ipso non excepto Apostolico privilegio ita, ut contra praesumptum hunc titulum non admittatur in contrarium probatio *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 131 *num.* 50, *Piton. De controv. Patron. alleg.* 59 *num.* 47. Et in specie de Simonia iuris ecclesiastici id docet *Frances De Eccl. Cath. cap.* 16 *num.* 97 *seq.* - ibi - « quae enim non inducunt Simoniam de « iure naturali vel divino, sed de iure positivo Ecclesiastico « absque dubio contraria consuetudine possunt abrogari.... »

Eo vel magis quia isthaec consuetudo haud irrationabilis dici debet, cum aliquid vigore consuetudinis posse exigi pro chrismate vel Oleo sancto in consecrationibus etiam Episcoporum ipse doceat D. *Thomas* 2ª 2 *q.* 100 §. 2 - ibi - « apud « quosdam est consuetudo quod in consecrationibus Episcopo- « rum...... pro Chrismate vel Oleo sancto aliquid detur.... et « ideo si aliquâ consuetudine exigantur quasi pretium rei spi- « ritualis est manifeste simonia, si vero exigantur quasi quae- « dam stipendia per consuetudinem approbata non est simonia: « (et superius) accipere aliqua ad sustentationem eorum qui « sacramenta ministrant non est simonia ». Unde iuxta s. Do-

ctorem ex consuetudine potest aliquid accipi pro Oleo sancto, dummodo non detur tamquam pretium rei spiritualis annexae. Nil mirum subinde si hanc consuetudinem non modo in Dioecesi A. sed et in aliis vigere testatur *Scavini loc. cit.* quin audeat eamdem reprobare, ita enim habet: *Usus tamen in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus invaluit, ut aliquid ab Ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus factis in materia comparanda.*

Ea quae consuetudini adversantur. Contra sed vero perpendendum est quod aliquid exigi pro sacris oleis reprobatur iure canonum. Ita in Concilio Barcinonensi sub Recaredo *can.* 2 statutum invenitur - ibi - *Ut cum chrisma presbyteris Dioecesanis pro neophitis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* In Cabilonensi *can.* 16 habetur : « Quidam fratres « dixerunt, consuetudinis antiquae esse in eorum Ecclesiis, ut « pro balsamo emendo ad chrisma faciendum, sive pro lumi« naribus Ecclesiae concinnandis, binos, vel quaternos dena« rios presbyteri darent. Unde omnes statuimus, sicut pro de« dicandis basilicis, et dandis ordinibus nihil accipiendum est, « ita etiam pro balsamo, sive luminaribus emendis, nihil pres» byteri chrisma accepturi dent ». In Oxoniensi *can.* 21 PP. iudicarunt absurdum esse quod *pro chrismate, vel oleo aliquid exigatur cum toties hoc prohibitum esse reperiatur.* Eodem ferme modo concinunt *Concil. Barcinon. can.* 2. *Meldense can.* 45, *Aquisgranen.* 2. *part.* 1 *cap.* 5, *Emeritense can.* 9.

Hisce sapientissimis dispositionibus iugiter adhaeserunt Romani Pontifices, qui praesertim ad evellendas consuetudines et tergiversationes quascumque hac super re exortas insudarunt mandantes, ne pro chrismate ab Ecclesiis pecunia exigatur etiam si hoc habeat consuetudo. Audiatur Innocentius in cap. *Ea quae* 16 *De Simonia* - ibi - « Ea quae de avaritiae et cupiditatis radice « proveniunt, et in speciem Simoniacae pravitatis erumpunt, « sunt penitus extirpanda.... Audivimus quod nummos pro chri« smate extorquetis, quos nunc cathedraticum, aliquando pascha« lem praestationem, interdum Episcopalem consuetudinem appel« latis. Quia vero hoc simoniacum esse cognoscitur, manda-

« mus, quatenus praetextu alicuius consuetudinis, vel praela-
« tionis praescriptos denarios nullatenus exigatis, pro certo
« scituri, quod si hoc praesumpseritis, periculum ordinis et
« dignitatis non immerito formidare. »

Exinde fit quod Gonzalez in Commentario ad dictum caput consuetudinem aliquid exigendi *pro expensis factis in oleo et balsamo* corruptelam appellat, et resolvit contra Gibalinum simoniam proprie *in praesenti dari*. Similiter *Pirhing. lib.* 5 *tit.* 3 *sect.* 2 §. 4 *num.* 36 in dictum caput adnotat non tantum prohiberi pecuniam exigi pro Chrismate, *sed etiam pro ipso liquore Chrismatis, sive balsamo et oleo consecrato.... ut clarius habetur in can. Placuit* 102 *caus.* 1 *q.* 1.... *non obstante contraria consuetudine, quae non valet in iis quae suapte natura mala sunt et prohibita, non excusat malum sed magis accusat: glos. hic verb. consuetudinis*. Concinit Barbosa *De offic. et pot. Episc. alleg.* 31 *n.* 21.

Nec secus a Congregatione particulari iudicatum narrat Bened. XIV De Synod. Dioec. *l.* 5 *c.* 7 *n.* 10 ubi loquens de Anthiocheno Patriarcha Maronitarum, qui cum ss. Olea distribueret, aliquam exigi consueverat pecuniae oblationem qua uteretur ad sui alimoniam et ad onera sustinenda quae Patriarchali incumbebant officio ait: « Quamquam autem constitisset pecu-
« niam neque dari neque recipi animo nundinandi ss. Olea,
« attamen ad omnem propellendam simoniae suspicionem prae-
« dicta consuetudo fuit improbata a Congregatione particulari,
« cui demandata est cognitio rerum ad Maronitas pertinentium,
« eiusque sententia fuit a nobis confirmata ».

Non obstat exemplum a calicis consecrati venditione deductum. Nam in vasis consecratis non est admixta consecratio ipsi argento seu auro, sed tantum formae vasorum, et inde est quod sublata forma evanescit consecratio *Sylvester in summa verb. Calix;* quo circa sicut argentum et aurum est separabile a consecratione, ita eius venditio nullam inducit simoniam. Aliter at vero res sese habet in casu nostro, quia oleum semel ac consecratum est, ita consecratio rei consecratae inhaeret ut auferri non possit neque per Pontificem, uti notavit Caietanus

in 22 *quaest.* 88 *art.* 11 et sequitur Navarrus in tractat. *de Spoliis* §. 18. *n.* 7. Ad rem Suarez *lib.* 4 *de Simon. cap.* 14 *t.* 1 *de Religione.* « Aliae vero sunt materiae quae sine respe- « ctu ad artificialem formam quasi in sua substantia consecran- « tur et de his aiunt, neque vendi posse ratione materiae...... « et haec sententia videtur indicari a *Glos. in dic. can.* 102 « *in cap. ea quae et cap. non satis De simonia.* »

Hisce praenotatis dirimenda proposita fuere quae sequuntur

Dubia.

I. *An consuetudo exigendi annuum canonem sustineatur in casu.*

Et quatenus negative

II. *An absolutio concedenda sit in casu.*

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re discussa, sub die 20 Decembris 1879 censuit respondere:

Ad I. *Consuetudinem tolerari posse.*

Ad II. *Provisum.*

Ex quibus colliges I. Quum doctores, Romani Pontifices, et Concilia passim uti simoniacum damnent aliquid percipere pro chrismate vel oleo; hinc saepe saepius per sacras constitutiones uti corruptela damnatur consuetudo aliquid exigendi pro expensis factis in oleo aut balsamo.

II. Attamen videri, ea quae non inducunt simoniam de iure naturali aut divino, sed tantum de iure positivo ecclesiastico, abrogari posse per contrariam consuetudinem, quae rationabilis sit et legitime praescripta.

III. Modicus canon, de quo in themate, purgari videtur a simoniae labe tum ex sua parvitate, tum quia prohibetur tantum iure canonum, quos adversus stat contraria, iam inolita consuetudo.

VI. Exigere enim quaedam stipendia per consuetudinem appro-

bata, haud simoniacum videri, quatenus tamen non exigantur quasi pretium rei spiritualis, sed tantum ratione materiae et laboris (1).

(1) Haud nos latet ingentem esse pecuniae vim, qua opus est pro remunerandis ministris, qui ss. olea distribuunt, ob distantiam et asperitatem locorum, in quibus consuetudo, parvam percipiendi taxam, inolita est. Quas impensas aliunde ferre deberet Antistes, a guberno nunc sacro patrimonio despoliatus.

SPONSALIUM

Die 31 Ianuarii 1880.

Compendium facti. Carolus III Hispaniarum Rex die 28 Aprilis anni 1803 Pragmaticam edidit, qua praecepit ut a nullo cuiuscumque iurisdictionis Iudice, Tribunalique admitteretur supplex libellus impedimenti ad matrimonium contrahendum, sponsalium causa, nisi publicâ scripturâ fuerint roborata. Carolinam dispositionem Ecclesia Hispana, invita licet, et aliquibus Episcopis contradicentibus, ab exordio tamen admisit, constanter universaliterque eam observans; hinc consuetudinario iure canonicae disciplinae et sanctionis Ecclesiasticae vim adepta est, atque in praesentiarum, vires suas exerit. Memoria recolendum insuper est, praxim pariter vigere inchoandi, perficiendive processum ante curiam Episcopalem, cui publicus notarius *simul Ecclesiasticus ac civilis* subscribit, quoties agatur de impetranda a Sede Apostolica dispensatione super aliquo publico impedimento. Hisce praehabitis praestat modo facti speciem texere.

Agapitus Augustinus et Maria Teresia Dioeceseos P. dispensationem tertii consanguinitatis gradus a Sacratissimo Principe obtinuere, matrimonii contrahendi gratiâ. Qua de re Vicarius Capitularis Oratorum precibus denuo comprobatis et ratificatis, perlectisque in Ecclesia Parochiali tribus denunciationibus a Tridentino praescriptis, absque alio impedimento, matrimonialem licentiam in scriptis expedivit. Huiuscemodi venia ad exitum illico demandata haud fuit, siquidem penes patrem puellae circa

duos menses permansit. Interea vero temporis Agapitus et Maria Sponsalia antea mutuo inter se contracta roborarunt, sèmel atque iterum ratificarunt, atque varia munuscula ab Agapitò puellae oblata fuere, quae lubenti animo eadem accepit. Attamen mutua eorumdem promissio destituta erat publicâ scripturâ, iuxta pragmaticam Carolinam.

Oborta at vero quaestione inter patrem Mariae, et Tutorem Agapiti, ille filiae matrimonium cum Agapito quominus celebraretur omnino interdixit. Imo transacto aliquo tempore, Pater acquievit alteri adolescenti expetenti manum Mariae, eamque in uxorem promisit.

Huiusmodi sponsio vix ad aures Agapiti pervenit, illico ad Episcopum, Parochi ministerio, recursum habuit, adducens mutuae promissionis, seu sponsalium interpositionem.

Quaestio a pluribus agitata Canonistis et Theologis Hispaniae, diversimode resolvebatur ob scripturae deficientiam; ideo Parochus enodandam esse censuit a S. C. C. cui illam detulit. (1)

Disceptatio synoptica.

Ea quae innuunt invalida esse sponsalia. Pro nihilo habendum esse sponsalium impedimentum in casu, ex hoc deduci videtur quod receptum in Regno Hispanico est, sponsalia tunc valida et rata censeri, cum in scriptis legaliter redacta fuerint, ad tramites *legis 18 lit. 2 lib. 10 Novissimae Recapitulationis - ibi - « in nullo Tribunali Ecclesiastico vel (Civili) nec saeculari dominiorum meorum admittentur petitiones de sponsalibus, si non fuerint ista per publicam scripturam promissa »*.

Porro sponsalia de quibus nunc quaestio est, scripturâ publicâ cum roborata atque munita haud fuerint, prono veluti alveo fluit, pro infectis habenda esse, iuxta tritum in iure adagium « *quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi* » *leg*. 5 *non*

(1) Animadvertas velim, quod S. C. C. non responderit quaestionibus particularibus, quoniam deerant partes quae directe solutionem peterent; dum Parochus solummodo dubium proposuerit, postquam Hispani canonistae et Theologi in diversam irent sententiam. Hinc dubia generalia enodanda proposita fuere quoad sponsalia relate ad Carolinam pragmaticam in regno Hispanico, arrepta huius facti occasione.

dubium C. de Leg. Huiusmondi vero pragmaticam sanctionem in Hispanico Regno vim legis habere in dubium revocari haud potest, cum episcopus autumet hanc servari adhuc in viridi observantia. Quod autem carolina pragmatica cooptetur inter leges quibus Hispania nunc regitur, sufficiat auctoritas de La Fuente, qui *in opere, Eccl. discept. part 9. lect. 96* in fine scribit - ibi - « hoc fecit ut fere omnes unanimiter legem *ad-* « *miserint*, et quamvis dura foret et Ecclesiasticae disciplinae « parum consona, nullus contra illam reclamaverit et a toto hoc « saeculo inter nos incunctanter observetur. » Episcopi autem *verbis* informatio concinit Apostolicae Nuntiaturae; a qua colligitur huiusmodi pragmaticam ab exordio admissam, constanter universaliterque observatam fuisse; ideoquue *consuetudinario iure canonicae disciplinae et sanctionis ecclesiasticae vim* fuisse adeptam.

Quo constito, consuetudinem vim legis habere, dummodo debitis requisitis suffulta sit apud omnes certum est. Eiusdem autem requisita haec sunt : ut sit rationabilis et legitime praescripta, *cap. ult. de consuet.* Porro in themate consuetudinem rationabilem esse, evinci posse videtur ex eo quod ad bonum publicum protuendum maxime confert; ne scilicet utriusque sexus iuvenes hispani nimis faciles promptique sint sponsalia cum pluribus celebrando: ex qua facilitate scandalorum litiumque seminarium saepe saepius exinde oriebatur, ut Nuntius Apostolicus refert. Legitime autem praescripta dicitur quando ex lapsu temporis de iure requisiti, sit obtenta et roborata ad similitudinem praescriptionis *Reiffenst. lib. 1. decret. tit. 4. §. 2. n. 34;* opus habet nempe diuturnitate temporis, quod in consuetudine contra ius esse debet 40 annorum. *Devoti Instit. Canon. lib. 1. Cap. 2. §. 50;* atque in themate nedum de quadragenaria, sed de consuetudine fere 80 annorum agi explorati facti est.

Hinc manifestum erumpit, sponsalia, de quibus quaestio est, non posse consistere, quia in reprobationem tum iuris scripti, tum consuetudinis legitime inductae inita fuere.

Heic sed vero obiici haud posse videtur, Carolinae pragmaticae, publicam scripturam in sponsalibus praecipienti, obtem-

peratum fuisse per processum ad dispensationem impedimenti tertii consanguinitatis gradus, a Curia Ecclesiastica Notarii ministerio confectum. Re sane vera in quolibet negocio inspici sedulo debet quid actum sit, ut *ad Text. in leg. semper in stipulationibus 38 Is. de reg. iuris. cap. 2 num. 4.* Profecto processus huiusmodi de curiae mandato confectus dispensationem impedimenti consanguinitatis, minime vero mutuam sponsalium promissionem pro fine habuit. Obiectum ergo processus a Curia Episcopali initi cum aliud respiciat diversum ab eo quod prae oculis habuit Carolina pragmatica, sponte sua fluit quod à processu dispensatìonis ad stipulationem sponsalium nullatenus concludi possit. Nec pariter regerere proficeret Curiae processum pluries repetitae pragmaticae aequipollere ex eo quod per eumdem, finis difficiliora reddendi sponsalia obtinetur, quem Carolina lex sibi proposuerat. Quandoquidem haec deductio nonnisi quam ex interpretatione derivari potest. Porro utriusque iuris canon est, quo non evidentior alter, interpretationem in lege tantum dubia locum habere. In themate autem verba pragmaticae superius allegata cum evincant de lege clarissima agi, hinc sequitur quamlibet interpretationem reiici oportere.

Ea quae innuunt valida esse sponsalia. Altera verum ex parte haec sponsalia valida diiudicanda esse ex hoc apparet, quod eorumdem substantia consistit in mutua repromissione utriusque contrahentis *ad text. in L. 1 ff. de sponsalib.* - ibi - « futurarum Nuptiarum promissio -; cum quo consonat *Can.* « *Nostrates*, 30 *quaèst.* 5; et ad hoc ut de illis constare di- « catur, nihil ultra requiritur, nisi quod contrahentes fidem « de ineundo matrimonio invicem interposuerint, » *Rota decis.* 572, *num.* 3 *in Iuden. Sponsalium* 2 *Martii* 1744 *coram Caprara.* Profecto in themate de promissione Mariae dubitari nullimode potest; constat enim praemissa fuisse reciproca inter utriusque sponsi parentes officia, praeliminares habitos tractatus, omniaque conventa quibus decori, et compendio futurorum coniugum consultum esset; dispensationem petitam a Romano Pontifice super tertio consanguinitatis gradu, perlectas in Ecclesia Parochiali tres publicationes, oblata sponsae munuscula,

aliaque peracta, ex quibus sicuti contrahentium consensus a respectivis parentibus collaudatus satis superque evincitur, ita eo magis constat de legitima sponsalium perfectione, uti recensitas circumstantias sparsim perpendendo firmat Glossa in *Cap. Si inter* 31 *verbo dicente, de sponsal. et matrim., et Cap. Litteras* 4 *verb. Placere consueverit, de Despons. impuber. Rota coram Buratto decis.* 143 *n.* 34, et in *Novarien. Sponsal.* 1 *Iulii* 1693 §. *adminicula coram Muto.* Apostolica Sedes tamen Carolinam pragmaticam utpote Ecclesiae auctoritati in sponsalium materia oppositam omni robore atque virtute destitutam conclamavit. Hinc frustra nonnullus Doctor Hispanus adlaborat, ut nullitatem sponsalium in casu evincat ex omissione publicae scripturae. Nec refert quod Ecclesia Hispanica quoad forum saltem externum ipsam pragmaticam pro lege acceperit. Praeprimis enim patet hanc legem coactive atque invitis et resistentibus pluribus Episcopis in regionem Hispaniarum inductam fuisse ceu notat Episcopus.

Sed neque in maiori pretio habendam esse consuetudinem, quae usque ab anno 1803 in Regno Hispanico inolevit, recta ratio suadere videtur. Re sane vera cum huiusmodi consuetudo sanctionibus Tridentinis adversetur, necessario incidit sub censura Constitutionis S. M. Pii IV *In Principis Apostolorum,* quae consuetudinem quamcumque Tridentino contrariam, veluti abusum et iuris corruptelam, nullam et irritam declaravit. S. C. C. in *Nucerina Paganorum Servitii Chori die* 25 *Augusti* 1877. Ea vero Constitutio, ceu sapienter monuit Benedictus XIV *Instit. Eccl.* 60 *n.* 7 « *singula eiusdem Concilii capita simul complectitur et nullius efficit momenti consuetudines quae lege in iisdem capitibus inscriptas violent.* » Singulis enim capitibus annexum est decretum, irritans, quod nedum consuetudines existentes destruit, sed obstaculum ponit ne novae exoriantur, ob deficientiam taciti consensus R. Pontificis, qui numquam praesumitur in iis, quae adversantur Constitutionibus clausulâ irritanti munitis, ceu docent *De Luca de Iurisdict. disc.* 95 *n.* 7 *et* 8 *Pignatell. consult.* 134 *num.* 16 *tom.* 1

Piton. de Controv. Patr. all. 5 *num.* 1 *disc. Eccl.* 23 *num.* 16 *et seq. disc.* 112 *num.* 29 *Ferraris v. Consuetudo n.* 37.

Hisce omnibus perpensis cum manifestum appareat, tum Carolinam pragmaticam tum ex ea subsecutam consuetudinem haud posse subsistere, hinc sua sponte consequitur quod inita sponsalia iusta ac valida retinenda sunt. Verum parumper etiam admisso tam Pragmaticam, quam Consuetudinem in suo robore subsistere debere; non ideo tamen sponsalia quovis valore destituta renunciari posse videntur. Quisque enim novit causam legis condendae, ac mentem Legislatorum semper esse attendendam *L. nominis et rei ff. de verb. signific.;* quia mens est anima ipsius legis ac ratio, quae ubi habet locum, ibi obtinet legis dispositio. Mens autem et causa finalis, ob quam dispositio Carolina cavet, ne admittantur a Tribunalibus petitiones sponsalium scripturâ publicâ destitutorum, ea fuit, ne matrimonia facile impediantur ex causa praecedentium sponsalium absque seria deliberatione celebratorum. Sed quoties provideatur huiusmodi malo, satisfactum est menti et causae finali legis, et consequenter dispositioni. Processus autem peractus in Curia Episcopali pro obtinenda dispensatione super tertio consanguinitatis gradu, tollit causam impediendi matrimonium; imo demonstrat magis magisque seriam deliberatamque contrahentium voluntatem, quia confectus fuit a Notario Maiori, atque coram eodem Notario Ecclesiastico simul et civili Officiali, sponsalia iam celebrata, ratificata et approbata fuere. Ergo Carolinae sanctioni obtemperatum non minus a contrahentibus, quam si initio sponsalia coram Tabellione publico celebrata fuissent, in aprico est.

Cum ex disputatis constet de sponsalium contractu numeris omnibus absoluto, quisque videt Mariam cogendam esse ut matrimonium per verba de praesenti contrahat cum Agapito. Nihil enim tam fidei humanae congruit, quam ut pacta serventur *L. 1 ff. de pactis Cap.* 1, 2 *et eod. tit.;* imo neque ex sola virtute fidelitatis sponsalium obligatio procedit, sed ex iustitia commutativa. Dissensus etiam patris pro nihilo censetur; quinimo adversus levitatem parentum in filios infringen-

dae fidei ex proposito cogentium censuras comminatur Alexander III in *cap. Ex litteris lib.* 2 *de Sponsal.*

Hisce omnibus perpensis propositum fuit EE. PP. qua ratione dirimi possent quae sequuntur

Dubia.

I. *An sponsalia quae in Hispania contrahuntur absque publica scriptura sint valida.*

Et quatenus negative

II. *An publicam scripturam supplere queat instrumentum in Curia conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento.*

Resolutio. Sacra C. Congr. sub die 31 Ianuarii, re perpensâ, censuit esse respondendum:

Ad primum et secundum negative.

Ex quibus colliges I. Sponsalia in Hispania contracta absque publica scriptura, iuxta pragmaticam Carolinam, nulla renuncianda esse.

II. Nam *quae contra ius fiunt pro infectis haberi debere* iuris adagium clamat.

III. Carolinam pragmaticam vim legis habere ex hoc deduci posse videtur, quia ex iure consuetudinario quasi adepta sit canonicae disciplinae et sanctionis ecclesiasticae vigorem. (1)

(1) Regibus qui leges edunt habentes pro obiecto res disciplinares, ac praecipue coniugiorum sanctiones et impedimenta, notum fieri deberet quod Natalis Alexander de Iustiniano adnotavit. « Si quas » vero novas leges tulit de ecclesiastica » disciplina Iustinianus, vim illae non » habuerunt ullam, nisi quia sunt ab » Ecclesia receptae et approbatae. *Hist.* » *eccl. Sect. VI cap. 7 art.* 2 §. *Si* » *quis.* » Politicae enim potestati tribui tantum debet eadem auctoritas in sponsalia, quae conceditur in coniugia; nempe posse civile regimen ea statuere ac sancire quae ad sociale bonum conducunt, quaeque intra fines temporalium effectuum continentur.

Nam « matrimonium in quantum est » in officium naturae, statuitur lege na» turae; in quantum est in officium com» munitatis, statuitur lege civili, in » quantum est sacramentum statuitur » *iure divino* Doctor Angelicus *in* » *quarto sent. dist. 34 art. 2 q. 1* » *ad 4.* » Ex quo colligi est quod civilis auctoritas nil possit in sacramento matrimonii et in sponsalibus, quae ad matrimonium revocari possunt. Verumtamen animadvertendum quoque est quod etsi Tridentinum nullam praescripserit

IV. Ut consuetudo robur legis induat et quamlibet abrogare legem valeat, rationabilis esse debet et legitime praescripta.

V. Lex in themate, quamquam disciplinae ecclesiasticae parum consona videri possit, haud destituitur rationabilitate: dum lites et scandala eliminare quaerat, neque legitimâ caret praescriptione, dum roboretur lapsu temporis fere 80 annorum.

IV. Quum autem carolina pragmatica claris concepta sit verbis, nullam admittit, quoad hoc, interpretationem; ideoque suppleri nequit per instrumentum quod in Episcopali curia fieri solet pro dispensatione super aliquo impedimento.

formam pro contrahendis sponsalibus per verba de futuro, tamen apprime convenit ecclesiasticae disciplinae, ut promissio mutua haec *serio* fiat, minime per verba quae impetu quodam amoris tantum prolata sint. Nunc autem indubium videtur, quod apud omnes Hispanos, post Carolinam pragmaticam, opinio invaluerit, haud *serio* fieri sponsalia quatenus scripturâ publicâ roborata non fuerint. Hisce forsan rationum momentis S.C.C. innixa censuit, eamdem nationem sequi posse determinatam formam pro validitate sponsalium, quamvis forma haec per civilem auctoritatem introducta fuerit.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

EPISTOLA

AD HIPPOLYTUM S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM GUIBERT ARCHIEPISCOPUM PARISIENSEM.

Dilecto Filio Nostro Hippolyto S. R. E. Presbytero Card. Guibert Archiepiscopo Parisiensi

LEO PP. XIII.

Salutem et apostolicam benedictionem.

DILECTE FILI NOSTER

Perlectae a Nobis libenter sunt litterae, quas ipse dilecte Fili Noster, ad Principem Reipublicae, ad Praefectum consilii publicis negotiis administrandis, nuperrime vero ad Praepositum negotiis Galliae interioribus misisti super decretis die XXIX mense Martio factis adversus collegia sodalium religiosorum, in quibus non sint, ut fere loquuntur, iura collegiorum legitima. In iis quidem litteris non mediocris est commendatio constantiae tuae cum eximia caritate coniunctae: propterea quod libere aeque ac placate demonstras, ubicumque est Ecclesiae catholicae libertas constituta, ibi religiosos ordines sponte coalescere: ipsos enim tamquam ex stirpe quadam existere et quasi nasci ex Ecclesia; et perinde esse atque auxiliares copias, his temporibus maxime necessarias, quorum sollertiam et industriam cum in perfunctione munerum sacrorum, tum in hominibus christiana caritate adlevandis peropportune atque utilissime Episcopi adhibeant. — Atque illud quoque scienter inter cetera ostendis, nullum esse rei publicae genus, cui religiosae sodalitates adversentur atque repugnent: non parum autem interesse tranquillitatis publicae, tot civibus innoxiis quiete placideque vivendi integram manere facultatem; non esse denique virorum populo bene consulentium, videri velle a religione, quae commu-

nis est omnium, discedere, fidemque catholicam ab avis et maioribus hereditate acceptam hostiliter consectari.

Ceterorum autem Episcoporum Galliae eadem de funestis illis decretis sententia fuit, idemque iudicium. Omnes enim magna cum laude fortitudinis ac moderationis patrocinium ordinum religiosorum publice studioseque susceperunt, in eaque re fungi se officio intellexerunt iusto atque debito; sentiunt enim, id quod res est, impendentium malorum magnitudinem, nec solum Ecclesiae luctum futurum, sed etiam imminentem Galliae calamitatem non levem, liberis civibus iniuriam, publicae tranquillitati discrimen.

Et sane, eximios istos viros, in quorum capita vim placuit acuere legum, Ecclesia ipsa et genuit et materna solicitudine aluit ad decus omne virtutis atque humanitatis. Neque uno tantum nomine plurimum iis debet civilis hominum societas, cum et sanctitate morum ad recte faciendum incitare animos multitudinis consueverint, et doctrinae copia sacras profanasque disciplinas illustrare; demum omnium optimarum artium patrimonium mansuris ingenii sui fructibus locupletare. Et quibus temporibus maior extitit Clericorum penuria, ex coenobiis prodivere sacrorum operariorum manipuli praestanti sapientia et sedulitate, qui adiumento Episcopis essent in excolendis ad pietatem animis, in doctrina evangelica disseminanda, in instituenda ad litteras bonosque mores iuventute. Eorum autem qui ad barbaros populos, Evangelii caussa, mittuntur, maximum numerum semper contulerunt domus sodalium religiosorum in Gallia consistentium; qui magnis pro catholica fide exantlatis laboribus una cum Evangelio christiano Gallorum nomen et gloriam ad dissitas gentes transtulerunt. — Nullum vero in conditione humana prope est infortunii genus, quod non lenire, nullus casus, in quo nomen poni solet calamitatis, cui non sodales religiosi tempestivam admovere medicinam studuerint, in nosocomiis, in domibus infimae plebi recipiundae, in urbium pace et otio, in trepidatione atque aestu tumultuum bellicorum; idque ea suavitate et misericordia, quae non potest nisi a divina caritate proficisci. Cuius caritatis cunctis provinciis, urbibus, oppidis in conspectu sunt nobilissima exempla egregiique fructus.

Tot tantorumque meritorum commendatio, concordi Episcoporum testimonio instructa, satis virium ad intentatam prohibendam cladem habitura videbatur; praesertim cum Galliae cives ex omni ordine longe plurimi praesenti sacrorum ordinum discrimine commoti, alius alio studiosius profiteri voluntatem suam, honestissimo certamine obsequii ac benevolentiae, contenderint; neque pauci magistratu abire, publicisque muneribus sese abdicare memorabili exemplo fortitudinis maluerint, quam aut cladis adiutores se praebere, aut illorum decretorum fautores videri, quibus legitimae usuque diuturno receptae civium libertati inferri grave vulnus intelligebant.

Sed ad nobilissimas Episcoporum voces hominumque catholicorum querimonias, male auspicato consilio, clausae aures fuerunt. Imo prudenter coniiciebatur sodalitates religiosas non esse interitum evasuras, etiamsi legitima societatum iura petivissent; quoniam non obscuris rerum atque animorum indiciis satis apparebat, propositum de tollendis sacris ordinibus iam in mentibus insedisse; eamque ob rem decere unanimi sententia censuerunt abstinere precibus; eo magis quod aliae caussae non deessent, quae id ipsum persuaderent.

Itaque ad constitutam diem, vi adhibita, primo illo decreto agi coeptum, quo sanciebatur ut Societas Iesu universa Gallia dissolveretur. — Eius rei caussa Legatum Nostrum Parisiis consistentem deferre extemplo iussimus querelas Nostras ad rei publicae administratores, simulque ostendere, nihil esse tale meritos tot spectatae virtutis viros; quorum caritatem, doctrinam, curasque summo studio et perspicaci prudentia in educanda praesertim iuventute collocatas haec Apostolica Sedes sicut diu novit, ita plurimi facit. Atque eorumdem virtuti, et gratia et praeclaro iudicii sui testimonio, Galli suffragantur, cum filios adolescentes, carissima pignora, disciplinae integritatique ipsorum alacres et fiduciae pleni commendare soleant.

Verum cum editae per Legatum Nostrum querelae nihil profecissent, in eo iam eramus ut vocem Nostram apostolicam pro officio et potestate Nostra attolleremus adversus ea quae in sacrorum ordinum perniciem gesta essent, quaeve in posterum gererentur. — Tunc autem significatum Nobis est, posse a de-

cretis ceterum perficiendis desisti si sodales religiosi, datis in id litteris, declararent, se a motibus commutationibusque rerum publicarum esse alienos, nec vivendo agendoque in studia partium discessisse.

Caussae Nobis multae et graves suaserunt, ut conditionem acciperemus ultro ab ipsis imperantibus oblatam, quae praeterquamquod nec doctrinis catholicis esset, nec ordinum religiosorum dignitati contraria, hoc etiam habebat commodi ut arcere detrimentum permagnum a Gallia, aut saltem eripere ex inimicorum manu quoddam quasi telum posse videretur, quo ipsi saepenumero abuti ad nocendum sodalibus religiosis consueverant.

Perspectum atque exploratum Nobis et huic Sedi Apostolicae est, quo consilio, cuius rei gratia, sodalitates religiosae sint in Ecclesia catholica constitutae: nimirum ad perfectionem absolutionemque virtutis in sodalibus ipsis progignendam; in actionem autem vitae, quae foras eminet, et propria est singularum, nihil esse aliud ipsis propositum, quam aut sempiternam proximorum salutem, aut miseriarum humani generis levamen; quibus rebus student alacritate mirabili, assiduitate quotidiana. — Procul dubio nullam Ecclesia catholica reprehendit aut improbat formam civitatis; et quae ab ipsa Ecclesia ad communem utilitatem instituta sunt, prospere esse possunt, sive unius sive plurium potestate et iustitia regatur res publica. Sedes autem Apostolica quae, in variis vicibus flexibusque rerum publicarum negotia expediat necesse est cum iis qui populo praesunt, hoc vult hoc spectat unice, rem christianam salvam esse: laedere vero iura imperii, cuiuscumque tandem ea sint, nec vult, nec velle potest. In rebus autem non iniustis parendum eis esset, qui praesunt, conservandi caussa ordinis, in quo est publicae fundamentum incolumitatis, nemo dubitat: nec tamen est consequens, obtemperando approbari si quidquam est aut in constitutione aut in administratione civitatis non iustum.

Cum haec sint iuris publici praecepta catholicorum hominum communia, nihil erat impedimento quominus illa animi declaratio fieret. — Atque idcirco in eo est admiratio nonnulla, quod istud gravissimis momentis ponderatum consilium, et christianae civilisque rei caussa susceptum parum aequos existima-

tores et iudices offenderit viros cetera probabiles, quod in religione catholica defendenda strenue ingenioseque elaborent. Quibus ad rem aequius aestimandam, nosse satis erat, eam, quam diximus, animi declarationem auctoritate, aut hortatu, aut saltem assensu Episcoporum peractam fuisse. Praeesse enim et consulere rebus, quae ad religionem catholicam pertinent, Episcoporum est, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei:* ceteros autem subesse et obtemperare oportere perspicuum est.

Igitur ea, quae expetebatur, declaratione proposita, religiosis familiis minus timendum videbatur. — Verumtamen maxime dolendum est gubernatoribus rerum Galliae publicarum pergere placuisse quo instituerant; iamque illinc nuntii Nobis in dies afferuntur acerbi ac tristes; reliquas etiam ordinum religiosorum familias disiici atque ad interitum vocari coepisse. Qua quidem nova, quam Gallia iam sentit, pernicie Nos graviter commovemur, vehementerque angimur; atque iniuriam, quae Ecclesiae Catholicae infertur, deploramus ac detestamur.

Interea tamen cum saeviat atrociter bellum et acriora haud procul sint e conspectu certamina, Nostri muneris est instituta Ecclesiae ubique conservare invicta stabilitate constantiae, et forti excelsoque animo iura tueri, quae sunt fidei Nostrae commissa. — Quam ad rem omnino confidimus, nec tuam Nobis, Dilecte Fili Noster, nec ceterorum Venerabilium Fratrum operam defuturam, qui obsequentem Nobis animum egregiamque voluntatem modis omnibus testari numquam intermittunt. Vobis igitur adiuvantibus, illud Deo aspirante consequemur, ut in his temporibus rebusque tam trepidis admirabilis illa coniunctio retineatur, a fide et caritate profecta, qua christianas gentes, Episcopos universos et supremum Ecclesiae Pastorem colligatos inter se esse necesse est.

Hac spe freti Tibi, Dilecte Fili Noster, Venerabilibus Fratribus Episcopis Galliae, Clero populoque curae vestrae concredito, divinorum munerum auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Octobris A. MDCCCLXXX, Pontificatus Nostri Anno tertio.

LEO PP. XIII.

cre
litt
pul
tiu

acci
qua
rum
detr
mico
saep

cae
sint
absol
actio
larum
proxi
quibu
— Pr
proba
nem
sive p
Aposto
negotia
vult h
vero iu
velle p
qui pra
fundame
sequens.
stitution
Cum

CARDINALES

plenum
partibus
tam
libertate.
crescente
con-
mani-
Quam
nominis,
incom-
et praeci-
tamen placet
tantisper
solatium
Orientis intelli-
tempora
commemoratae
Pontificatus Nostri
Idque per-
quod eorum ne-
sed etiam quia, divinae

providentiae beneficio, ad catholicae veritatis centrum inclinare animi viderentur.

Nos quidem certe pervetusta Orientis gloria, et in omne genus hominum fama meritorum ipsa recordatione delectat. Ibi enim salutis humani generis incunabula, et christianae sapientiae primordia; illinc omnium beneficiorum, quae una cum sacro Evangelio accepimus, velut abundantissimus amnis in Occidentem influxit. Neque interitura laus est virorum ex Oriente magnorum, quibus contigit ut afflatu auspiciisque veritatis catholicae ad omnem excellentiam niterentur, et sanctitate, doctrina, rebus gestis gloriam nominis sui ad posteros propagarent. Atque haec Nobiscum, Venerabiles Fratres, in animo considerantes, nihil tam cupimus atque optamus, quam dare operam, ut Oriente toto maiorum virtus et magnitudo reviviscant. Eoque magis, quod illic humanorum eventuum is volvitur cursus, ut indicia identidem appareant, quae spem portendunt, Orientis populos, ab Ecclesiae Romanae sinu tam diuturno tempore dissociatos, cum eadem aliquando in gratiam, aspirante Deo, redituros.

Quoniam igitur Nobis certum est, studiose, quoad possumus, institutum opus insistere, idcirco iamdiu cogitabamus, quo tandem modo cunctis ex Oriente populis singulare quoddam paternae benevolentiae Nostrae testimonium praeberemus. Nunc vero idoneam, ut optabamus, occasionem nacti, benevolentem animum Nostrum publica eademque praeclara significatione testamur, suscepto consilio cooptandi in amplissimum collegium vestrum, Venerabiles Fratres, unum ex Episcopis Orientis virtute praestantissimis: qua re non uni dumtaxat, sed universis gratificari volumus.

Haud vos latet, Venerabiles Fratres, eos ex Armeniorum gente, qui ab hac Apostolica Sede postremo hoc tempore desciverant, poenituisse facti, eoque, unde aberraverant, divini numinis benignitate rediisse. Iamvero in omni hoc pacificationis negotio Venerabilis Frater Noster Antonius Hassun valde Nobis industriam, caritatem, prudentiam suam probavit. Is quippe eximius vir, libet enim quod in ipso laudabile est commemorare, ad litteras, ad graviores disciplinas Romae adolescens institutus,

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

ALLOCUTIO

HABITA DIE XIII DECEMBRIS MDCCCLXXX AD S. R. E. CARDINALES

IN AEDIBUS VATICANIS

Venerabiles Fratres

Si fuit in re christiana tempus ullum difficile et plenum laboribus, hoc profecto est, cum in pluribus Europae partibus Ecclesiam intuemur acerbissimis iniuriis affectam, iisque tam variis tamque multis, ut prope in singulas horas de libertate, de iuribus, de dignitate sua dimicare cogatur. Etenim crescente passim rerum malarum audacia, divina religionis maiestas contemnitur, instituta catholica violantur, iniquae leges cum manifesto fidei et salutis animarum discrimine praescribuntur. Quam ob rem si omnibus, quotquot sunt amantes catholici nominis, iusta caussa est, cur praesentibus eius aut periculis aut incommodis commoveantur, multo Nos vehementius angimur, et praecipuum quemdam dolorem sustinemus. — Nihilominus tamen placet hodierno die ab earum rerum molesta contemplatione tantisper avocare mentem, atque illuc potius convertere, unde solatium Nobis aliquod oblatum videmus; ad Ecclesias Orientis intelligimus, de quibus ipsis ad Vos loquuti sumus, cum tempora postularent. Alias enim in hoc amplissimo loco commemoratae a Nobis sunt curae singulares, quas sub ipsa Pontificatus Nostri exordia in populos Orientis conferre properavimus. Idque perlibenter egimus, non solum ob eam caussam, quod eorum necessitatibus mature occurrere oportebat, sed etiam quia, divinae

providentiae beneficio, ad catholicae veritatis centrum inclinare animi viderentur.

Nos quidem certe pervetusta Orientis gloria, et in omne genus hominum fama meritorum ipsa recordatione delectat. Ibi enim salutis humani generis incunabula, et christianae sapientiae primordia ; illinc omnium beneficiorum, quae una cum sacro Evangelio accepimus, velut abundantissimus amnis in Occidentem influxit. Neque interitura laus est virorum ex Oriente magnorum, quibus contigit ut afflatu auspiciisque veritatis catholicae ad omnem excellentiam niterentur, et sanctitate, doctrina, rebus gestis gloriam nominis sui ad posteros propagarent. Atque haec Nobiscum, Venerabiles Fratres, in animo considerantes, nihil tam cupimus atque optamus, quam dare operam, ut Oriente toto maiorum virtus et magnitudo reviviscant. Eoque magis, quod illic humanorum eventuum is volvitur cursus, ut indicia identidem appareant, quae spem portendunt, Orientis populos, ab Ecclesiae Romanae sinu tam diuturno tempore dissociatos, cum eadem aliquando in gratiam, aspirante Deo, redituros.

Quoniam igitur Nobis certum est, studiose, quoad possumus, institutum opus insistere, idcirco iamdiu cogitabamus, quo tandem modo cunctis ex Oriente populis singulare quoddam paternae benevolentiae Nostrae testimonium praeberemus. Nunc vero idoneam, ut optabamus, occasionem nacti, benevolentem animum Nostrum publica eademque praeclara significatione testamur, suscepto consilio cooptandi in amplissimum collegium vestrum, Venerabiles Fratres, unum ex Episcopis Orientis virtute praestantissimis : qua re non uni dumtaxat, sed universis gratificari volumus.

Haud vos latet, Venerabiles Fratres, eos ex Armeniorum gente, qui ab hac Apostolica Sede postremo hoc tempore desciverant, poenituisse facti, eoque, unde aberraverant, divini numinis benignitate rediisse. Iamvero in omni hoc pacificationis negotio Venerabilis Frater Noster Antonius Hassun valde Nobis industriam, caritatem, prudentiam suam probavit. Is quippe eximius vir, libet enim quod in ipso laudabile est commemorare, ad litteras, ad graviores disciplinas Romae adolescens institutus,

in Orientem remigravit, ubi primum Archiepiscopus, ac tandem Patriarcha Ciliciensis Armeniorum renuntiatus est. Itaque per annos fere quadraginta pontificale munus sapienter integreque gessit. Popularium suorum secessione coorta, in vindicandis iuribus, tuendaque Ecclesiae doctrina grande praebuit patientiae et fortitudinis documentum. Sed in eo cum multa sunt ornamenta virtutum, tum maxime elucet erga hanc Apostolicam Sedem non modo immobilis fides, verum etiam vis quaedam amoris studiumque singulare.

Hunc itaque, Venerabiles Fratres. dignum iudicavimus, per quem Orientalibus Ecclesiis romanae decus purpurae, longo post Bessarionem intervallo, redderemus. Faxit Deus, ut collata viro amplissimo dignitas rei catholicae universae fausta felixque sit: nominatim vero bene vertat Orienti, ut scilicet qui catholicam professionem retinent, cuncti sese in hoc uno homine honoratos intelligant, atque incitamenta capiant ad fidem avitam sancte custodiendam; ceteri autem agnoscant atque ament voluntatem Nostram, atque hoc velut pignus accipiant bonorum longe maximorum, quae Nos, si animum aliquando induxerint cum hac beati Petri Principis Apostolorum Sede fidem caritatemque christianam consociare, nomine et auctoritate Dei ipsis pollicemur.

Ad maiorem autem Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem, praeter hunc, quem supra diximus, tres alios praestantes viros S. R. E. Cardinales designamus, quos tamen iustis de caussis in pectore reservamus.

Quid vobis videtur?

Auctoritate itaque Omnipotentis Dei, Sanctorumque Apostolorum Petri et Paulli ac Nostra creamus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyterum Cardinalem

ANTONIUM HASSUN

Item tres alios, quos supra indicavimus, Cardinales creamus, arbitrio Nostro quandocumque evulgandos.

Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

INDULTI

Die 26 Iulii 1879.

Per summaria precum

Compendium facti. Inter alia iura ad familiam V. pertinentia recensetur et iuspatronatus Prioriae sub invocatione ss. Martini et Iuliani. Quod iuspatronatus ab anno 1449 ad dictam familiam pertinuerit, eruitur a sententia lata per Episcopum illius temporis, qui pronunciavit ad familiam V. pertinere ius praesentandi Priorem. Quae sententia confirmata fuit a Brevi Leonis X *Pastorale nobis* 3 Iunii 1513.

Ab hac aetate usque ad ann. 1874 familia V. non solum exercuit pacifice iuspatronatus activum, sed etiam passivum, et licet beneficium hoc residentiale esset eique animarum cura adnexa, per plura tamen saecula Priores dictae familiae per Substitutos onera beneficio adnexa adimplevere.

Postremis hisce temporibus cum beneficium vacasset per renunciationem emissam a Clerico Enrico Comite V. a Patronis, tempore utili, praesentatus fuit Arbogastus Comes ipsis in cognatione propinquus, et in aetate sexdecim annorum; cui tamen institutionem Ordinarius renuit dare quippe quia nominatus parum aut nihil videbatur propensus ad clericalem statum. Tunc familia V. nominavit fratrem natu minorem Arbogasti, nempe Antonium, quem licet primo Antistes recusavit, utpote canonica aetate ad beneficia carentem, postea tamen, exponunt Oratores, declaravit acceptare, sed sub nonnullis conditionibus.

Quocirca dicti Patroni recolentes quod non una vice simplices clerici dictae familiae Prioratum, absque ambagibus obti-

nuere, implendo per alium onera beneficio adnexa, dato supplici libello die 20 Sept. 1878 enixe expostularunt ab Apostolica Sede: 1° ut comes Antonius tonsuram accipere et investiri de Prioratu posset, praevia simplici promissione recipiendi praesbyteratus ordinem, quatenus ad hunc statum vocationem haberet in momento resolutionis capiendae: 2° ut ab habitu clericali dispensaretur donec absolvisset Gymnasii studia. Praesul, de more rogatus, retulit inter onera personalia Prioris vel ipsius Substituti, recensendam esse residentiam et animarum curae exercitium, necnon obligationem quatuor missas quotannis applicandi, praeter eas quae tenetur applicare pro populo. Reditum autem purum ab omnibus oneribus, annuam quinque vel sex mille libellarum summam pertingere. Adnotat dein quod revocari potest in dubium, utrum Iuspatronatus familiae V. sit etiam passivum, cum in Bulla Leonis X tantum sermo sit de praesentanda *persona idonea*. Quamvis Episcopus dubitare videretur de vocatione huius pueri ad statum ecclesiasticum, tamen adiecit sese oppositionem non facere peractis petitionibus.

Disceptatio synoptica.

Ea quae adversantur petitionibus. Praemonitum fuit, quoad tonsuram recipiendam, nullam superesse difficultatem, cum Antonius in aetate legitima constitutus sit, et Episcopus ab ea conferenda alienus non videatur.

Hisce breviter pro hac parte adnotatis, super quaestione collationis, quae praecipua esse videtur, observandum est, quod precibus oratoris obstare aperte videtur *Trid. cap. 6 sess. 25 de Reform.* in quo statuit: « *Nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, ante decimumquartum annum beneficium possit obtinere:* » quod ius respondet etiam *cap. 3 de aetate et qualit. praeficiendorum.* In themate autem haec idoneitas non solum de iure communi exigitur, sed etiam ex lege fundationis. Quod erumpit ex sententia pronunciata ab Antistite Andrea Trevisano, ubi dicitur quod praesentetur Prior qui sit *idoneus* et *sufficiens, secundum voluntates* illorum qui bona reliquerunt, necnon ex bulla Leonis X con-

firmatoria, quae expresse requirit praesentari *personam idoneam*. Hisce accedunt conditiones adiectae in Regio Decreto redintegrationis beneficii an. 1832 inter quas eminet, ut praesentetur persona idonea ad onera tum realia, tum personalia beneficio adnexa adimplenda. Imo haec difficultas concedendae dispensationis magis magisque convalescit si expendatur quod agitur de beneficio residentiali, cui adnexa est cura animarum pro qua maior idoneitas et aetas 25 annorum requiritur iuxta tradita in *cap. Licet canon de elect. in* 6 quod renovavit Tridentina Synodus in *sess.* 7 *cap.* 2 *de reform.*

Hoc autem eo vel fortius in themate tenendum, quia expetita gratia non solum vergeret in detrimentum cultus divini, sed etiam in scandalum fidelium; atque potestas dispensandi non esset ad aedificationem, sed potius ad destructionem, ceu Episcopus innuit accidisse quoad alios, qui tempore praeterito, eâdem usi sunt dispensatione. Idque in praesenti casu sedulo est perpendendum, praesertim cum facile contingere possit, uti testatur Episcopus, quod investiendus per conscriptionem in posterum cogatur addici militari servitio, vel ductus exemplo fratris sui maioris, minime amplectatur Ecclesiasticum statum.

Posito at vero quod EE. PP. dispensationem ab aetatis defectu largiri putaverint, ut in Prioratus possessionem deveniri possit praesentatus, tamen minime dispensandus esset a lege deferendi clericalem vestem. Etenim timor irrisionum causa sufficiens ad habitum deponendum censeri nequit: siquidem his turbulentis temporibus, cum fere nemo sit qui eas a pessimis hominibus non experiatur, sequeretur quod omnes Clerici deberent petere dispensationem ab habitu Ecclesiastico, quod vergeret in damnum Ecclesiasticae disciplinae, severe et districte hanc vestem praecipientis. Unde in *Ariminen. Indulti* 5 *Aprilis* 1851 §. *Obligatio*, postquam referuntur varia iuris loca in quibus haec lex imponitur, concluditur: « *Ex quibus apparet quam caute sit procedendum, quando de relaxatione huiusmodi legis pertractetur, praesertim cum non leve possit esse scandali et admirationis periculum* ».

Ea quae petitionibus favent. E contra vero licet certum

indubiumque sit quod tam in beneficiis simplicibus quam de Iurepatronatus, praeter alias qualitates in promovendo, etiam congrua requiratur aetas (ut in Trid. l. c. superius) nihilominus iusta et legitima concurrente causa, ab hoc impedimento solet dispensari praesertim si agatur de passive vocatis, uti tradit Pirrus Corrad. in praxi benef. *L.* 4 *cap.* 2 *num.* 8 vel de consanguineis patronorum *Piton. discept.* XII *num.* 42 - ibi - « Habilitas potest obtineri per dispensationem Papae super « aetate, quae passim conceditur in beneficiis etiam de Iure « Patronatus existentibus in aetate 9 vel 10 annorum ex causa « rationabili, puta si Clericus praesentatus sit ex consanguineis « patronorum vel de sanguine fundatoris. » *Vivian. in praxi Iurispat. lib.* 6 *Cap.* 6 *num.* 9.

Iam vero praesentatus a familia V. ad Priorale beneficium non solum est de propinquis Patronorum, sed etiam dici potest passive vocatus. Quamvis enim contendat Episcopus quod ad familiam Patronorum pertineat tantum Iuspratronatus activum, quia tum in Bulla Leonina, tum in Regio Decreto sermo fit solum de persona idonea praesentanda, attamen cum descendentes ex familia V. per tria saecula et amplius passive vocati sint, nemine contradicente, ambigendum non videtur iuspatronatus passivum praescriptione centenariâ ideoque privilegiatâ fuisse acquisitum; praesertim cum in ambiguis a Iurepatronatu activo ad passivum bene arguatur, uti tradit *Piton in controvers. Patron. alleg.* 83 *num.* 7, 8, *et Cardinal. De Luca de Iurepat. num.* 5 *disc.* 29. Nec alia fuit praxis huius s. Congregationis in his dispensationibus concedendis. *In Asculana Capellaniae* 25 *Augusti* 1750 data fuit dispensatio puero bimo; in *Neritonen. Abbatiae* 22 *Novembris* 1760 puero quadrienni, ac in *Lucana Beneficii* 17 *Maii,* 1749 puero quinquenni. Huiusmodi vero dispensationes (uti notatur in *Imolen. Dispensationis* 26 *Augusti* 1854) indultae fuerunt vel quia Orator erat unus de compatronis aut de ipsorum propinquis, vel quia agebatur de passive electis et intervenerat consensus interesse habentium.

Altera causa ad obtinendam dispensationem suppeditatur a

paupertate Oratorum: quamvis parentes pueri dispensandi non sint absolute pauperes, tamen utique sunt relative tales, nempe eorum bona non sunt sufficientia ad tuendam conditionem et statum in quo nati sunt, iuxta *Decis S. C. Conc. in Narnien. subsidii dotalis* 21 *Aug.* 1762 § 4, *et Rotam decis.* 98 *num.* 9 *ac* 10 *coram Durando;* Lucidi *de Visit. SS. LL. vol.* 2 § VIII *n.* 93 *pag.* 430. Episcopus de hac re loquendo ait, pueri genitores haud divites esse, et pro viribus conari ut filii bonâ utantur educatione. Iam vero paupertas relativa causam idoneam suppeditat, ut favor vel subsidium aut aliud quodcumque beneficentiae genus obtineatur; et teste *Lucidi l. cit. num.* 95, *thesaurus resolutionum S. C. Concil. plenus est huiusmodi gratiis elargitis.*

Tandem quoad dispensationem a clericali veste deferenda adest votum favorabile Episcopi, cuius arbitrio multum in hac materia solet deferri.

Hisce igitur attentis, quid Oratorum precibus respondendum esset, remissum fuit decernere iudicio EE. PP.

Resolutio. Sacra C. Concilii die 26 Iulii 1879, re perpensa, censuit respondendum:

Prout petitur non expedire; sed attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia suspensionis nominationis ad septennium, ad hoc ut beneficii administratio tradatur idoneo ecclesiastico viro, qui, satisfactis oneribus, superextantes reditus eroget praesertim in rectam adolescentis educationem, facto verbo cum SSmo.

Ex quibus colliges. I Ex regula generali et canonum praescriptione beneficia ecclesiastica idoneis personis esse conferenda.

II. Multis, quae desiderantur, ut aliquis ad beneficia idoneus habeatur, apprime accenseri ordinem clericalem, aetatem, doctrinam muneri aptam, morumque integritatem promovendi.

III Quapropter *Trid. Sess.* 24 *cap.* 12 constituit: *nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest promoveatur, nisi qui saltem* 25 *suae aetatis annum attigerit, et in clericali ordine versatus, doctrinâ ad suum munus exequendum necessariâ, ac morum integritate commendetur.*

IV Aliquando dispensationem concedi ab Apostolica Sede su-

per impedimento aetatis, si praesertim sermo sit de passive vocatis, et legitimâ accedente causâ.

V In Beneficiis ecclesiasticis vero, quae residentiam exposcunt sive ex iure, sive ex consuetudine, non concedi nisi temporaneam dispensationem, veris rationabilibusque accedentibus causis.

VI In themate per temporaneam nominationis suspensionem, provisum fuisse tum Paroeciae, tum praesentato, qui quum relative pauper esset, et passive vocatus ad hoc beneficium, absonum visum fuisset, et praeter piae matris Ecclesiae consuetudinem, quatenus omni gratia carere debuisset.

MATRIMONII

Die 26 Iulii 1879.

Compendium Facti. Ex bavarica militia redux in patriam Baro Petrus de B. secum duxit Teresiam, quacum maritali vixerat consuetudine, ut sibi iungeret matrimonio. Familiae dedecus ex eo connubio devitare studentes eius mater Blanca, patruus Abel et amita Eulasia nuptias eidem proposuerunt cum virgine paris conditionis: sed hac a Petro reiecta, aliam proposuerunt puellam Iuliam, Eulasiae bene affectam, ex honesta familia in eadem dioecesi, et pinguissimâ dote communitam.

Nepotem, ut in familia primogenitum, Eulasia in sua substantia destinaverat heredem; unde Petrus matrimonium cum Iulia die 25 Novembris 1862 celebravit.

Brevi concordia regnavit in domesticis laribus, quandoquidem, seu ex antipathia inter coniuges oborta, seu ex aemulatione inter socrum et nurum dominandi in familia, Iulia pervagari incepit extra domum maritalem, ita ut in parentum habitatione enixa est filium, quem paullo exinde luce orbatum Petrus deflevit. Effervescentibus simultatibus post annum 1864 haud amplius ad coniugales lares se restituit; et Augusto mense sequioris anni 1865 evolvente, separationem tori, quam iudicio

postulaverat, cum interventu Praesidis tribunalis civilis, de consensu obtinuit a marito.

Domesticam concordiam restaurare studuerunt Abel et Eulasia inter coniuges; unde Petrus, exeunte praedicto anno 1865, epistolam ad uxorem conscripsit affectionis et doloris attestationibus refertam. Id parum tamen profuisse videtur; quandoquidem ad maritalem habitationem non antea regressa apparet mulier, quam ineunte anno 1878, dum ex adulterino concubitu, utero gravis effecta est. Supplex posthac adivit Petrus S.C.C. matrimonium in faciem Ecclesiae impetens ex duplici causa, nimirum ob sponsalia praecedenter inita cum Teresia, et ob vim et metum ex minis amitae Eulasiae eumdem privandi sua successione nisi Iuliam duxisset.

Disceptatio Synoptica.

PETRI DEFENSIO. Qui pro matrimonii nullitate causam dicit, ex his quae matrimonium in themate praecesserunt arguit primo liberi consensus in Barone defectum; quandoquidem ipse iuvenem quamdam e Bavarica natione Teresiam nomine deperierat, quacum iam inierat sponsalia. Huic autem mulieri honoris et affectus vinculis ita Petrum devinctum fuisse asseverat Orator, ut impossibile ferme foret aliae mulieri suum adiicere animum. At praeter huiusmodi obstaculum pro libere nubendo Iuliae, aliud adinveniri adurget in invincibili antipathia et naturali aversione hanc erga mulierem, cui nonnisi minis exheredationis ab amita Eulasia incussis despopondit. Omnes enim conveniunt ab ipsomet inducti testes una cum Notario in declaranda tam praecedenti Petri antipathia erga puellam, quam in statuenda amitae pressione eiusque minis exheredationis, ut praefatam duceret mulierem.

Antipathiam autem magis magisque roborari affirmat ex confessione ipsius mulieris, in praecibus pro separatione civili tribunali exhibitis; quae nos monet adeo erga se Baronem indifferentem fuisse, ante matrimoniumm, ut dignoscere potuerit finem illius haud ipsam, bene vero suam dotem esse. Minas vero exhaeredationis confirmari ex facto quo Petrus onerosas conditiones

adiecit, ut sibi praetextum pararet ad nuptias avertendas. Quare augmentum dotis primum petere curavit, et obtinuit. Perduras quin imo in actu nuptialis contractus conditiones apposuit, ut se a matrimonio contrahendo eximeret.

Quum ex concordi testium depositione manifeste evincatur coactio quam Petrus passus est, per se patet quod nullam meretur fidem depositio patrui Abelis ab adversa parte inducti; dum asserit quod ante matrimonium nepos Petrus, postquam Iuliam inviserat, perquisitus quomodo puellam reperiisset, respondit: « eam habere figuram sympaticam. » Respondet enim, quod iste sermo omnimoda probabilitate destitutus manet; dum ipse causam suam tueri debebat, qui una cum sorore Eulasia, quam fatetur admodum studuisse ut illa fieret coniunctio, illius matrimonii ope minarum et pressurae auctor fuit; quique post matrimonium coegit nepotem ut sese cum uxore reconciliaret.

Multoque minus potest infringi ex literis Baronissae matris Petri datis die 3 Augusti 1862 Marchionissae de Montemart, in quibus enunciat suam filiique satisfactionem pro futuro matrimonio, dum ipsa, inscio penitus filio, has literas dedisse nunciat, idque peregisse ut invitum filii animum occultaret sponsae et propinquis. Nec pariter minuitur ex brachialis, et suae photographiae donis a Petro sponsae ante matrimonium factis, et ex fletu eiusdem ob filii obitum ut parochus testatur. Non ex donis quia volens vel renuens omnibus socialibus officiis satisfacere debebat; non ex fletu, quem vi ipsius humanae naturae tribuendum sustinet in viro bonae indolis atque sensibilitati obnoxio, qui alioquin filium suum esse censebat. Neque demum opponi possent literae a Petro sponsae datae, triennio post initum connubium, in quibus benevolentiae verbis uxorem hortatur ad reconciliationem: siquidem ex literis matri datis tam a leviro Abele de mense Ianuario 1865, quam a Domina Reimbovillae de mense Novembris eiusdem anni evinci orator propugnat, coactionem et minas exheredationis continuatas a patruo et amita acriter fuisse, etiam per plures annos post matrimonium, ut eum cogerent ad susceptum separationis iudicium deserendum, et ad sese uxori, licet infideli, rursus conciliandum; Petrum

subinde has literas exarasse non benevolentiae signis permotum, sed sub imperio patrui et amitae benevolentiam simulasse, ut exheredationis malum averteret.

Huc oratione perducta Orator patrimonii Eulasiae vires expendit, quod se portendit ad quadringenta et viginti francocorum millia, quae bona Petro debita quodammodo dicit: quia erant de domo et familia, dum ex deletione fideicommisso rum in Gallia, in avi morte Eulasiae attributa fuere. Haec veluti partem integrantem ipsius oppidi efformantia, Petro necessaria fuisse propugnat, ne sui oppidi valorem, libertatem, et securitatem amitteret una cum ipsius familiae splendore. Quod adeo verum esse dicit, ut Avus necessitatem bona illa uniendi recognoscens, moriens Eulasiae commendabat ut eadem bona relinqueret futuro oppidi possessori. Adnotat deinde quod timor haec bona amittendi, causa fuit, quae Petrum coegit ad nuptias cum Iulia conciliandas, minime vero huius divitiae et dos, quam ultro dimisit ante ipsam separationis sententiam, licet iure eadem retinere posset.

Quibus porro in facto animadversis, sustinet in iure timorem exheredationis et bonorum amissionis metui mortis aequiparari, cum *res sive patrimonium sint quasi secundus hominis sanguis et vitae quodammodo aequiparentur* ceu totidem verbis *docet Pignatelli tom. 7 cons. 77 n. 6* quem plures sequuntur DD. inibi recitati. At non modo amissionis omnium bonorum metus, sed et rei magnae et notabilis, adeo gravis a Canonistis reputatur ut dici optimo iure valeat, eumdem *cadere in virum constantem*. Ad rem Sanchez in *lib. 4 disput. 5 num. 20-26 de matrim.* - ibi - « Metus amissionis bonorum cadit in virum
» constantem. Probatur quia aequiparatur metui mortis, ut bene
» docet Tiraquellus....... metus amissionis maioris partis bono-
» rum cadit in virum constantem. Probatur ex *cap. 1 de re-*
» *stitutione Spoliatorum in 6*..... et *L. Propter litem in prin-*
» *cip. ff. de excus. tutor.* - ibi - *Nisi forte de omnibus bonis*
» *aut plurima parte eorum controversia sit.* Item quia haec
» amissio adeo gravis reputatur, ut morti aequiparetur, ut late
» probat *Tiraquel. de nobilit. cap. 31 num. 369.* Ergo eius

» metus est viri constantis...... Universaliter credo esse verum, » timorem amittendi maiorem bonorum partem, esse iustum. » Quia est gravis iactura, atque ita virum constantem merito » movere potest. Quod videntur tenere doctores. Immo idem » credo quando non est metus amissionis rei magnae et nota- » bilis, quia virum constantem iure optimo hoc terret: Sic » Baldus..... »

Sed aliae conditiones non minus necessariae et essentiales intercedere debent in coactione. Neminem autem latet, matrimonium metu initum, si quaedam verificentur conditiones a iure requisitae, propter liberi consensus defectum, suis minime consistere viribus ex dispositione *Cap. sufficit 27 quaest. 2 Cap. Cum apud de Sponsal., Trid. Synod, sess. 24 cap. 1 de reform. matr.* Requisitae autem conditiones ad hoc ut matrimonii nullitas, ex capite metus, proclamari valeat sunt: 1° ut malum quod timetur sit grave in se et non solum in vana aestimatione metuentis, 2° quod cum rationali fundamento timeatur, 3° quod metum incutiens, potens sit minas exequutioni mandare ac tandem 4° quod patiens ad easdem evadendas impar sit, ad tradita per *Ferraris Biblioth. Can. verb. Matrim. num. 100.* Iamvero has omnes conditiones adamussim in themate verificari urget. Proposito siquidem matrimonio reiecto, agebatur de pinguis hereditatis amissione, super qua antea Eulasia constituerat nepotem instituere heredem. Quod exheredatio rationabili fundamento pertimescenda erat, aperte profluit ex hoc quod minae perdurarunt usque ad triennium post matrimonii celebrationem, et quidem ab eadem inflicta quae easdem exequi potens erat. Neque Baro minas ipsas evadere valuit, dum inutiliter omnia adhibuit tentamina ad propositas nuptias avertendas.

Animadversiones Defensoris vinculi. Validitatem coniugii propugnans vinculi defensor, duplicem causam a defensoribus Petri, pro dissensu eiusdem in nuptiis assignari animadvertit: sponsalia scilicet, quae Petrus asserit iniisse cum Teresia, et antipathiam erga Iuliam. Abstinet a confutatione primae causae, quia per se est adeo inanis, ut nec ipsi defensores in eadem insistant, utcumque ab initio nunciassent; quum sit in iure

exploratum quod sponsalia non irritant matrimonium. Aliam hinc causam refutans contendit, non antipathiam, sed sympathiam a Petro fuisse patefactam dum prima vice puellam invisit cum patruo Abele. Nam quaesitus a Patruo quomodo puellam reperiisset, Petrus respondit : eam habere figuram sympaticam. Mater autem Petri faustum mox nuntium, suo et filii nomine, dedit consobrinae suae Marchionissae de Montemart.

Nec aliud ferme deducitur ex ratione et modo, quo ante nuptias et in celebratione matrimonii sese Petrus gessit. Ut eam enim in balneis Selins inviseret, iter arripuit 450 milliariorum ; contulit donaria nuptialia, et hilarem ac satisfactum omnibus sese exhibuit. Praeter Iuliam, quae asserit oculis omnium Petrum visum esse fortunatissimum pro matrimonio hoc ineundo ; testes sacramentales idipsum affirmant, et Parochus adiicit : consensum eius prolatum fuisse absque ulla haesitatione, aut repugnantiae umbra, voce elatâ et clarâ. Imo enarrat sibi relatum, quod alteri ex suis amicis scripserat Petrus : gaudete mecum, ego in uxorem duco divitem heredem.

His accedit confessio Petri ipsius, quae talis fuit : in conspectu tenuitatis mei patrimonii, onerumque gravium meorum, aeris alieni, nec non meae futurae conditionis, super quam amita mea efficiebat ut extimescerem, dicere nequeo mulieris mihi oblatae divitias nullam in me vim exercuisse. Ex hac ipsa confessione primo deducitur, quod contemplatio divitiarum fuit causa impellens ad matrimonium; haec alioquin causa, quum non adversetur alicui ex tribus bonis matrimonii, non potest illud inficere, *Covarruvias De matrim. 2 part. cap.* 1 § *unic. num. 7. Sanchez de matrim. 6, 2 disp. 29 num. 8;* adeo ut quantumvis fuisset minus honesta, imo etiam illicita, dum tamen nec habitu, nec actu fines proprios matrimonii non respuebat, hinc nec venialis culpae reum reddit contrahentem s. *Thom. 4 dist. 30 q. 1 art. 3, Caietan. in 2 To. q. 3 de matrim. Pontius de matrim. lib. 1 cap. 21 num. 13*
« cum quis contrahit ob pulchritudinem vel divitias, meo iu-
» dicio neque est veniale peccatum.... finem enim totalem *haec*

» habere non possent, nisi actu vel habitu excluderent fines
» matrimonii, sed tantum habent rationem causae impulsivae,
» in quam expresse fertur, implicite autem in ipsos fines ope-
» ris et contractus ».

Utcumque autem etiam timor amittendae hereditatis amitae, qui fuisset causa irritans nuptias, plus minusve ad ducendam Iuliam impulisset Petrum, ambigi tamen nequit, quod divitiae sponsae fuerunt concausae coniugii; sed exploratum in iure est, quod si duae vel plures causae ad actum concurrunt, semper est interpretatio facienda pro causa honesta et licita ut actus sustineatur, quia semper praesumitur, quod actus ipse fiat meliori, quo potest modo, *Rota Rom. decis. 306 num. 8, decis. 611 num. 33 part. 4, et decis. 271 num. 10 part. 6 rec.*
« dum plures causae referuntur ad celebrationem actus, tunc ex
« una causa, quae sit vera, sustinetur actus, quando illa est
« sufficiens per se ad actum sustinendum ».

Testes omnes deponunt, nuptias a Petro initas fuisse absque ulla coactione amitae Eulasiae, minitantis eumdem privare compendio successionis. Sed admisso etiam, quod vere Eulasia, sub minis privationis successionis, nepotem ad controversas nuptias adegisset, non exinde tamen metus a Petro conceptus, eius valoris fuisset ut matrimonium irritaret. Sunt quippe omnibus exploratae conditiones quae requiruntur ad constituendum metum incidentem in virum constantem. Est enim omnino necessarium, ut malum sit grave, timor mali sit fortis, metum incutiens sit potens, imo et solitus exequi minas, metum autem patiens impos sit evadere malum; *Sabellius* cum communi DD. in *sum. tract. divers.* §. *metus num.* 3. Porro defuit in casu prima conditio, quia timor quem praetexit Petrus, non fuisset de malo vitando, sed potius de non capiendo lucro; id quod non constituit iustum metum. Angebatur nempe ob timorem perdendi hereditatem amitae, quae nullo iure neque in re neque ad rem pertinebat ad eumdem; ipse invitabatur spe lucri, sed si amittebat lucrum, utut fuisset magnum, nihil perdebat in suis bonis; unde eiusmodi timor neque est iustus, neque incidens in virum constantem, *Sanchez de matrim. p. 4 disp. 5. num. 29, Pontius de*

matrim. l. 4 c. 5 n. 10 « deinde dicendum existimo, *metum*
» *amittendi lucrum, aut hereditatem,* aut beneficium, quod quis
» sperat ab aliquo, ad quod non habet ius ad rem, *non cadere*
» *in virum constantem*... cuius optima ratio est, quia id non
» tam est metu deterreri, vel obligari, quam invitari spe lucri;
» spes autem et concupiscentia, ut inquit s. Thom. non minuit,
» sed auget voluntarium. »

Ex aliis autem conditionibus nullam verificari contendit, neque ex parte Eulasiae, neque ex parte Petri; non ex parte Eulasiae, quia violentia repugnabat illius religioni, charitati in nepotem, et studio conservandi decorem familiae.

Praesumptus autem metus repugnabat etiam indoli Petri, quippecuius testimonium apparet ex eo quod alias nuptias a coniunctis prima vice propositas, absque ullo timore et haesitatione abscisse respuit. Sed in casu quod hoc uno timore amittendi hereditatem amitae, ad Iuliam ducendam fuisset Petrus impulsus, haud certo omisisset certam aliquam cautionem de successione sibi adstipulari, ne ob imprevidibiles eventus cogeretur uxorem exosam retinere, et concupitam hereditatem amitae non lucrari. Atqui nullam retulit cautionem eiusmodi, ita ut Eulasia in suo testamento nepotem constituens heredem, neque ulli vel minime obligationi satisfacere innuit, neque de nepotis calamitate, cuius causa principalis ipsa fuisset, condolere ostendit; id quod demonstrat, quod de coactione nihil erat, quod sibi fuisset succensendum.

Haec de validitate coniugii disserit Defensor vinculi. Subiungit praeterea, quod data adhuc et non concessa hypotesi invaliditatis, matrimonium nihilominus iam revalidatum fuisset ex cohabitatione et copula exinde sequuta. Scitum enim est, et nonnullae ex recentioribus causis in Thesauro relatae id aperte ostendunt, quod adhuc post Conc. Trid. matrimonium nullum ratificatur si intercesserit habitatio diutina vel copula cum affectu maritali ceu ex *cap. 2 de sponsalib. et cap. 4 qui matrim. accus. poss.* et si impedimentum fuerit parti reconvalidanti cognitum, aliis autem occultum, ceu docent prae aliis *Gonzalez comment. in cap. 21 de sponsalib. n. 5, Sanchez de matrim. l. 4 disp. 18 n. 12.*

Quod nullitas matrimonii seu impedimentum metus fuisset eidem, in hac hypothesi, percognitum aperte demonstat Petri confessio, in examine iudiciali emissa: in die matrimonii cubiculum illius ingredi nolebam, quam uti uxorem non aestimabam.

Quod denique haec nullitas hypothetica, fuerit aliis occulta, ex eo demonstratur, quod notabilis pars testium, quos Petrus induxit autumabat, eumdem duxisse Iuliam intuitu conspicuae illius dotis; amici autem familiae suam operam praestiterunt, ut coniuges revocarent ad concordiam; id quod manifeste ostendit, nullam in publico suspicionem adfuisse de invaliditate matrimonii ab iisdem celebrati.

Hisce omnibus perpensis remissum fuit sapientiae et doctrinae EE. PP. infrascriptum resolvere

DUBIUM

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii, re discussa sub die 27 Iulii 1879, censuit respondere:

Negative.

Ex quibus colliges:

I. Divitiarum contemplatio, quando sit causa impellens ad matrimonium, sacramentum non inficit, dummodo qui earumdem intuitu contrahit, neque habitu, neque actu tria matrimonii bona non respuat.

II. Qua de re, cum divitiae totalem finem haud habeant, dici potius debent causae impulsivae; ita ut contrahens *expresse* in illas feratur, *implicite* autem feratur in ipsos fines operis et contractus.

III. Et ideo etiamsi divitiae concausae esse queant ad matrimonium ineundum; quum tamen interpretatio facienda sit pro eius validitate, standum est pro causa iusta atque honesta, a qua ipse actus regatur et sustineatur,

IV. In themate haud dubitandum esse de validitate sacra-

menti, quamvis Petrus ad idem ineundum magnopere a divitiis illectus fuerit; eoquod dum in illas expresse *ferebatur, implicite* autem tria matrimonii bona haud respuit.

V. Ex Doctoribus divitias haberi secundum hominis sanguinem et vitae ipsi comparari; adeoque metus amissionis omnium bonorum aut maioris partis censeatur cadere in virum constantem; dummodo ad eadem bona ius in re aut ad rem non deficiat.

VI. Hinc metum amittendi divitias aut hereditatem pro quibus ius in re aut in rem non adsit, dici non posse iustum neque cadere in virum constantem; cum hoc in casu quis videatur potius spe lucri invitari, quam metu deterreri, vel obligari.

VII. In themate agi non de malo vitando, sed de lucro non capiendo; quia Petrus metu afficiebatur non consequendi hereditatem amitae Eulasiae; quae ad eumdem nullo iure spectabat; ideoque eius timor neque iustus, neque cadens in virum constantem haberi potest.

DISTRIBUTIONUM.

Die 20 Septembris 1879.

Compendium facti. Capitulum Metropolitanae Ecclesiae R. massam communem habet, cuius tertia pars canonicales praebendas efformat, reliquae duae, ex tribus partibus, distributionibus quotidianis applicantur. Licet autem ex iuris dispositione distributiones lucrentur qui choro adsunt et ab absentibus amittantur, tamen Canonici trimestri vacationum tempore absentes, easdem percipiunt, non modo ex inveterata consuetudine, sed vi Constitutionum Capitularium in quibus id aperte cavetur. Constitutiones autem Capitulares ab Ordinario loci promulgatae et editae sunt, quin fuerint Pontificia auctoritate roboratae. Quapropter Emus Episcopus in nuperrima ad SS. LL. relatione

exquirere a S. C. C. curavit, num consuetudo istaec, Capitularibus Constitutionihus innixa, valeat sustineri. Episcopus retulit, originem delitescere consuetudinis huius, existere tamen documenta, quae eandem probant usque ab anno 1718.

Disceptatio synoptica.

QUAE CONSUETUDINI FAVENT. Pro parte affirmativa perpendi posse videtur, quod consuetudo distributiones lucrandi, vacationis tempore a Tridentino permissae, sustinenda sit. Omnem enim Ecclesiasticam legem, consuetudine legitime praescriptâ, abrogari habetur in *cap. fin. de consuet.* docentque communiter Canonistae ac Theologi cum D. Thoma 1. 2. *q. 97 num. 8 art. 3.* Ea enim aequalem vim habet cum lege, et ideo sicut potest legem includere ita etiam abrogare *L, De quibus ff. de legib. et L. 2. Cod. quae sit longa consuet.* Idque locum habere non obstante lege resistente et prohibente consuetudinem introduci, nisi lex addat illam consuetudinem esse irrationabilem, ut multis citatis tradit *Bonac. Disp. 2 quaest. 1 pun. 6 num. 3 et 4, Anchar. cons. 51 in fin.. Glos. in Clem. Statutum de elect. et cap. 1 de clerico aegrot. in 6, Covar. lib. 3 var. cap. 13 num. 4.* Atqui non videtur irrationabilis consuetudo percipiendi distributiones, vacationis tempore; imo quam maxime rationabilem esse docet *Cenedo part. 3. collect. 15 num. 7,* ubi ait ordinationem, qua duo menses conceduntur clericis, ad res familiares componendas et honestam animi oblectationem, esse rationabilem, et huius consuetudinis vigore posse hos clericos percipere quotidianas distributiones. Sic etiam sentit *Monet. de distrib. part. 2 q. 12 num. 54, Covar. lib. 3 var. cap. 13 num. 5.* Et optimo quidem consilio, tali enim consuetudine praebendati facilius vacationibus sibi concessis uterentur, atque ita, animo aliquantisper relaxato, ferventius et alacrius ad recitandas horas canonicas aliaque ecclesiastica ministeria obeunda redirent.

Eo vel fortius quia ipsa quoque innititur Constitutionibus Capitularibus. Neque obstat quod Probus *ad Monach. in*

d. cap. un. De cleric. non resid. in 6 num 34 asserat talem consuetudinem non valere. Nam in dicto capite unico improbatur consuetudo in quibusdam Ecclesiis introducta, ut qui absint a choro absque iusta et legitima causa de iure concessa, percipiant distributiones, non vero improbantur futurae consuetudines legitimae praescriptae, sicuti nec ipsas improbat Tridentinum in *sess. 24 cap. 12 de reform.* ubi in usum revocat Bonifacii Constitutionem. Iamvero si lex non faciat mentionem de consuetudine futura, sed simpliciter tollat praeteritam consuetudinem, quod possit de novo induci consuetudo, eidem legi derogans, docent *Gloss.* in *Clem. Statutum de lect., Anchar. in cap. 1 de Constit. in 6 n. 30, Covar. loc. cit. num. 4, Vasquez 1. 2 disp. 177 cap. 8 num. 70.*

Quae consuetudini adversantur. Pro negativa vero perpendendum est quod Tridentinum, renovando legem editam a Bonifacio VIII in *cap. Consuetudinem*, quascumque consuetudines percipiendi distributiones absentiae tempore, nisi ex causa de iure permissa, tamquam irrationabiles reprobat. Lex vero quae reprobat consuetudinem, semper reprobat, ut notat cum aliis *Tiraquel. de retrat. in praef. n. 18. Alex. cons. 193 n. 8 lib. 2 Rota in Crac. iur. legendi 21 Martii 1627 coram Coccino.* Cum autem lex semper loquatur *L. Ariani Cod. De Haeret.* semper etiam reprobat consuetudinem supervenientem et complectitur quae de novo accedunt, ut notant *Franc. in cap. unic. De excess. Praelat. in 6, Gemin. ibid. n. 8.*

Sed et ulterius observandum est quod consuetudo, de qua sermo, irrationabilis est, subindeque nullimode sustinenda. *Fagnan.* in *cap. Licet de Praebendis num.* 77. - ibi - « Ampliatur primo praedicta conclusio, ut procedat etiamsi consuetudine introductum sit, ut distributiones absentibus debeantur, ea enim consuetudo non valet: sive introducta fuerit ante Constitutionem Bonifacii in d. cap. unico, sive post, quia cum ea Constitutio non simpliciter deroget consuetudini, sed illi resistat, eamque reprobet ut iniquam et irrationabilem, ibi *reprobantes*: ex hoc censetur non tantum praeterita, sed etiam futura sustulisse ut sentit *Innoc. in cap. Ex parte...*

Et ob eam rationem saepius respondit s. Congregatio....... » etiam immemorabilem consuetudinem fuisse sublatam ». Idem sentit *Pignatell. loc. cit. cons. 115 num. 2 tom. 9* aliis inibi recitatis.

Hanc autem sententiam indubitanter amplectendam esse suadet constantissima S. C. C. praxis, ut in *Pisauren. 14 Iunii 1670 lib. 26 Decret. pag. 353*, ubi fuit dictum, dandum esse decretum in dubio proposito die 3 *Decembris 1644* - ibi - « *Canonicos tempore vacationis non lucrari distributiones quotidianas, non obstante consuetudine immemorabili; Card. Petra Comment. ad Const, 9 Bonif. VII num. 23 tom. 3 parg. 297.*

S. Congregationis Concilii decretis, ut verbis utar *Scarf. ad Ceccoper. part 1 lib 2 animad. ad tit. 8 n. 8,* « obsequendum » omnino est, cum faciant ius quoad omnes, quoties interpre- » tatur canones eiusdem sacri Concilii propter facultates eidem » concessas a Summis Pontificibus ex notatis per *Garz. de benef.* » *in praefat.* et latius per *Fagnan.* in *cap. Quoniam a num.* 70 » *et seq. De Constit. Rota.....* » Ex quo fit ut illorum opinionem, qui putant eas resolutiones intelligendas esse vel de consuetudine non legitime praescripta, vel de consuetudine interpretante, concilium concessisse etiam lucrum distributionum tempore vacationis permissae, *omnino* uti *falsam* reprobet Moneta, ceu illico notat Pignatel. in *recit. consul. 129 num.* 5 *tom. 1.*

Nam deficiente rationabilitate in consuetudine, *quae prima est et essentialis praerogativa consuetudinis*, ipsam numquam inolescere posse docet *De Angelis* in suo neoterico opere *Praelect. Iur. Canon. tom. 1. tit. 4 num. 12.*

Neque obstat quod consuetudo in themate nedum immemorabilis dici valet, verum etiam aliquem titulum exhibet, dum hac in Ecclesia duae portiones massae communis distributionibus adiudicatae sunt. Nam hoc minime obstante ipsam reprobandam esse docet s. Congreg. ceu refert *Pignatell. cit. consult. 120 tom. 1 n. 2*, ubi habetur, extat declaratio s. Congregationis tenoris sequentis: « Canonicos non posse vi cuiuslibet consue- » tudinis, etiam immemorabilis frui quotidianis distributionibus, » illis tribus mensibus, quibus a Tridentino *sess. 24 cap. 12*

» abesse permittuntur, etiamsi omnes fructus Canonicatuum » consistant in distributionibus ex Moneta et Bonacina *De Horis* » *Canonicis....* »

Minusque officit quod consuetudo relata fuerit tamquam lex in statuto Capitulari Episcopi auctoritate recognito. Scitum enim est quod inferior derogare non valet legi Superioris, et quod eiusmodi statuta *expresse sublata sunt a Concilio in d. cap. 12* §. *Praeterea* - ibi - « *Cuiuslibet Statuti:* ita *Pignat. cons. 115 n. 3 tom. 9.* Ad rem S. C. in *Elborensi saeculi XVI rel.* a Zamboni *loc. cit. verb. Capitulum* §. *XI num. 1.* « Quum Ca- » nonici Cathedralium et Collegiatarum suum statutum habere » dicerent apostolica auctoritate firmatum, vacandi per centum » dies, et fructus omnes et distributiones percipiendi, ac po- » stulassent declarationem non comprehendi in lege Concilii; » respondit s. Congreg. comprehendi, nisi quatenus legitime » probaretur eiusmodi statuta fuisse confirmata a Sede Aposto- » lica ».

Hisce utrinque animadversis EE. PP. sapientiae diluendum remissum fuit

Dubium

An Canonici Metropolitanae Ecclesiae R. per trimestre tempus vacationum absentes a choro, valeant participari de distributionibus in casu.

Resolutio. Sacra Congr. Concilii, re ponderata sub die 20 Septembris 1879, censuit respondere:

Negative.

Ex quibus colliges.

I. Tridentinum reprobare consuetudinem percipiendi distributiones tempore absentiae, renovando legem editam a Bonifacio VIII. in *cap. Consuetudinem ;* quae lex non simpliciter derogat consuetudini , sed illi resistit , eamque reprobat ut iniquam et irrationabilem.

II. Etenim nullam praescribi posse consuetudinem, defi-

ciente rationabilitate, quae prima et essentialis consuetudinis praerogativa censetur.

III. Eamdemque S. C. Congregationem quamplurimas edidisse resolutiones, ut constitueret non licere canonicos, tempore vacationis, facere suas quotidianas distributiones, non obstante consuetudine immemorabili.

IV. Neque officere an haec consuetudo relata sit in capitulari statuto, auctoritate Episcopi recognito, minime vero a Sede Apostolica confirmato; quum Episcopus derogare nequeat legi superioris.

V. Per actualem resolutionem confirmari opinionem illorum qui putant, nullam induci posse consuetudinem contra Tridentini sanctiones, propter decretum irritans a Pio IV adiectum, quum per Bullam *In principis Apostolorum* Tridentinum confirmaret. (1)

(1) Recole si vis quae innuimus Vol. XII pag. 498 col. 2 quoad quaestionem utrum irritari possint Tridentina decreta per contrarias consuetudines.

ONERIS MISSARUM

Die 20 Decembris 1879.

Compendium facti. Vicarius Capitularis Dioecesis M. retulit S. C. Congregationi, Seminarium dioecesanum, vi cuiusdam donationis eidem factae de anno 1749, suscepisse onus perpetuum celebrandi tres Missas singulis hebdomadis itemque aliam quolibet anno in festo s. Bernardi. Huic oneri per annos septemdecim satisfactum fuisse a sua fundatione liquet ex libris rationariis eiusdem Seminarii; sed postea per annos circiter centum Legati implementum fuit intermissum, ita ut ultimus praesul ex tam longa interruptione ratus fuerit, obligationem talem extinctam fuisse. Quocirca quaerit Orator utrum adhuc perduret onus Missarum, et quatenus affirmative rogat absolutionem pro praeteritis omissionibus, et reductionem dicti legati

ad Missas octoginta annuatim a Sem. celebrandas. Episcopus ait nullam extare memoriam super omissionis causa.

Disceptatio Synoptica.

ONUS MISSARUM PEREMPTUM FUISSE VIDETUR. Quamvis explorata sit donantis voluntas ut dictae Missae in perpetuum celebrarentur, illi tamen derogatum fuisse videretur. Cum enim circa Missarum onera quid per integri saeculi lapsum acciderit in antiquitatis latebris delitescat, facile coniici potest eadem in posterum vel ab ipso donante ad certum tempus coarctata, vel interea temporis Apostolicae Sedis indulto abrogata fuisse. Facile sane credi non potest Antistites M. quorum regimini subest Seminarium, adeo suae salutis immemores fuisse, ut praescripta Missarum onera impune praetermittere siverint. Hinc cum culpa et delictum praesumi non debeat ex *L. Factum 197 ff. de reg. iur.* et cum veritas alio modo investigari non possit, praesumptioni standum esse videtur, donec contrarium probatum non sit, ad praescripta per *L. Nuptura 58 ff. de iur. dot. L. Nummis ff. de Legat.*

Nihilo tamen secius serio etiam perpendendum venit, an tanto temporis decursu Missarum onera fuerint praescriptione perempta. Certum siquidem est, et utrumque ius amico foedere praedicat, quamlibet actionem ad Ecclesiam vel piam causam pertinentem, longissimi temporis praescriptione extingui *L. Ult. et Auth. Quas act. Cod. De Sacros. Eccles., Cap. Ad Aures 6, et cap. Illud 8 De Praescript.* Cum igitur ab hac generali regula lex non excipiat obligationem praescriptas celebrandi Missas, tenendum videretur privilegium praescriptionis in hoc etiam puncto locum habere. Quod reapse non parvae notae docent DD. hac praesertim ratione ducti, quia fundatio et beneficium admittunt praescriptionem ex *cap. Cum Beneficio 5 de Praeb. in 6 et ibid. Gloss. Pasqualig. De Sacrif. Missae quaest. 1192 et seq., Tambur. in Math. celebr. lib. 5 cap. 7* §. *1* qui ultra testatur viros doctos a se consultos eiusdem mentis esse. Quibus permulti alii accensendi sunt, quos recenset *Ferraris* in sua *Biblioth. can. Verb. Praescriptio art. 1* §. *1 num. 6.*

Imo non desunt in hoc negocio qui tam praescriptioni deferunt, ut extraordinariam, tricennalem nempe, praescriptionem ad hoc sufficere sustineant; quia fundator legati Missarum qui ex hac vita decessit, accenseri absentibus debet, quorum immobilia sine iusto titulo possessa ex *L. 8 Cod. de praescript. 30 vel 40 annor.* triginta annorum effluxu praescribuntur ita *Gobat in Expert. tract. 3 n. 514* cum aliis inibi recitatis. Quae porro doctrina minime arridet Pasqualigo *loc. cit. quaest. 1193*; quia agendo de praescriptione contra Ecclesiam, ipsammet nonnisi 40 annorum decursu perfici posse contendit. Quidquid tamen sit, illud certum esse videtur iuxta memoratos Doctores quod tricennali, vel quadragenaria praescriptione Missarum onera deleri possunt. At in themate Seminarii M. favore, uti ex literis scatet Vicarii Capitularis, militare plusquam centenariam praescriptionem in comperto est. Remanet ergo dicendum quod Seminarium ab onere praescriptas Missas celebrandi solutum manet, subindeque sive de absolutione sive de reductione inutile foret sermonem instituere.

Onus Missarum adhuc permanere videtur. Ponderandum sed e contra est quod de oneris perpetuitate dubitari non potest, hocque per donationis contractum assumptum; quare satis non esse videretur praesumptio orta etiam ex centenaria ad onus illud delendum. Cum enim certo constet de onere perpetuo per donatarium accepto, priusquam ab eo se liberatum ipse censeat, claris argumentis extinctionem deberet ostendere, non simplici praesumptione ex centenaria exurgente, etiam in linea praesumptiva Apostolici privilegii, uti videre est in *Romana Capellaniarum 30 Iunii 1768* §. *Quaestio, Imolen. Legati Pii 27 Februarii 1858* §. *An.* Et optimo quidem consilio, cum de facili onera praetermitti possent vel a Capellanis successive, vel ab universitate aut collegio, quod numquam moritur, et ita testatorum fraudarentur voluntates sub aegida centenariae.

Neque aliter dicendum de argumento ex praescriptione desumpto. Praescriptionem enim contra onera Missarum dari non posse sustinet *Felix Potestas Tom. 4 part. 2 n. 2235*, quia

ex iure res pupillaris, durante statu pupillari praescribi non potest *L. bonae fidei iunct. Gloss. verb. Pupil. ff. de acquir. rerum dominio.* Atqui defunctorum animae, quoad eis debita suffragia, sunt pupillae, quia sicuti pupilli ob defectum aetatis, ita ipsae ob defectum status agere non valent. Nulla ergo praescriptio contra demandata onera Missarum sustineri posse videretur.

Insuper praescriptio est a legibus introducta in poenam negligentium ius proprium *L. Ut perfectius 2 de Annali praescript. cap. Vigilanti 5. De Praescript.* Nulla autem negligentia aut patientia imputari potest defuncto, qui extra hominum commercium manens non potest petere quod sibi debetur. Unde adnotat perbelle *Pasqualig. loc. cit. quaest. 1047 num. 7* « re» spectu ipsius non habet locum fundamentum praescriptionis, » nec haeres (et in themate nostro donatarius) est in bona » fide, quia non potest putare quod defunctus non curet adim» pleri legatum, quasi non petat, peteret enim si posset. Ac» cedit quod generaliter praescriptio est inducta a legibus » humanis, pro quiete et tranquillitate reipublicae, et ideo non » plus se extendit quam se extendunt ad defunctos, tamquam » extra iurisdictionem humanam ».

At nedum ex dictis caderet praescriptionis fundamentum in patientia et negligentia consistens, verum etiam quia contrarium loquuntur defunctorum dispositiones, quae semper ad legis instar obtestantur pro eorumdem adimplemento. Affabre *Pasqualig. loc.* nuper *cit. num. 9.* « Cum defunctus non possit » instare pro exequutione legati et celebrationis Missarum, tam» quam extra humanum commercium, remanet in dispositione » ultimae voluntatis ipsius, quae sicut operatur post mortem, » ita etiam instar legis impositae rebus suis continuo loquitur » et instat pro exequutione sui ipsius. Valet enim argumentum » a lege ad testatorem ut observat *Riminaldo consil. 540 num. 4* » *vol. 5, Cravetta consil. 291 num. 5 lib. 2, Cephal*........ » Unde ex hoc quoque capite impeditur praescriptio, et fit » quod heres sit in continuo statu peccati mortalis, quousque » satisfaciat piae dispositioni testatoris ».

Haec autem sententia, quam alii tenent DD. uti probabilior esse videtur; eoquod eamdem S. C. Congregatio pluries amplexa fuerit, ceu constat *in Romana Missarum reductio 4 Maii 1715, Romana Legat. 19 Iunii 1788 ad 1 Dub., Imolen. Legati Pii die 8 Iulii 1855* inter supplices libellos relata.

Quibus igitur hinc inde breviter animadversis, sapientiae EE. PP. remissa fuere dirimenda

Dubia.

I. *An constet de obligatione Seminarii adimplere faciendi Missarum onera in casu.*

Et quatenus affirmative

II. *An et quomodo absolutio et Missarum reductio indulgenda sit in casu.*

Resolutio. Sacra Congregatio Conc. re ponderata sub die 20 Decembris 1879 respondit:

Ad 1 Affirmative

Ad 2 Firmo remanente festo s. Bernardi, affirmative iuxta petita, facto verbo cum SSmo.

Ex quibus colliges:

I. Quando onus Missarum ex se perpetuum est, ad illud delendum haud sufficere videtur simplex praesumptio ex centenaria exorta; sed claris argumentis extinctio oneris ostendi debet.

II. Neque facili modo recurri potest ad praescriptionem pro sustinenda oneris Missarum extinctione; quia praescriptio a lege humana inventa pro reipublicae quiete, ad defunctos, tamquam extra humanam iurisdictionem positos, extendi nequit.

III. Sacra C. Congr. in quamplurimis resolutionibus ostendit, habuisse uti maximam, haud currere praescriptionem adversus legata Missarum.

IV. Nam ceu pupillorum res, durante pupillari statu, ex iure praescriptioni non subiiciuntur, quia pupilli ex defectu

aetatis agere nequeunt, ita contra defunctorum suffragia praescriptio non currit, quia eorum animae ob defectu status agere non valent.

V. Praeterea leges civiles praescriptionem admittunt, uti poenam in negligentes ius proprium: ast nulla negligentia admitti potest in defuncto, qui extra humanum commercium positus, quod sibi debetur exposcere nequit.

VI. In themate quamvis per longum temporis lapsum Missarum legatum a Seminario haud impletum fuerit, tamen S. C. C. neque praescriptionem admisit, neque satis esse censuit praescriptionem ex centenaria ortam; eoquod nullomodo constet huiusmodi obligationem fuisse extinctam.

SUPER DISPENSATIONE AB EXAMINE.

Die 20 Decembris 1879.

Per summaria precum

Compendium facti. Sacerdoti G. per rescriptum Sanctissimi facultas data fuerat quamdam retinendi paroeciam titulo administrationis ad nutum s. Sedis - Aliquo tamen elapso tempore, Sacerdos idem preces obtulit enixe efflagitans, ut ipsi dispensatio ab examine indulgeretur, ad hoc ut inde paroeciam, quam quindecim abhinc annis administrat, in titulum consequi possit. Ordinarius de voto requisitus, ait: sibi cordi esse quod oratoris desideria implerentur, ut ex hoc eidem stimulus addatur ad alacrius in vinea Domini adlaborandum.

Disceptatio synoptica

Quae petitioni favere videntur. Necessitas, iustitia et aequitas suadere videntur indulgendam esse petitam gratiam. Nam gravis aetas, et adversa valetudo haud patiuntur oratorem extraordinarios suscipere labores ad examinis praeparationem. Constat de coetero de eius doctrina et idoneitate ad Parochi

munus obeundum, ex aliis publicis experimentis ab illo peractis. De doctrina insuper et de eius idoneitate adsunt plura Ordinarii testimonia, qui iam S. C. Congregationi retulit, Sacerdotem oratorem bene se gessisse in cura animarum gerenda, et populi existimationem affectumque sibi comparasse.

Neque lex Tridentina laederetur per hanc dispensationem; nam examen ideo praescriptum fuisse constat, ut dignosci possit an praesentatus necessaria doctrina atque idoneitate polleat ad prudenter populum moderandum. Ast orator nunc primum haud optat ad officium parochi suscipiendum; sed pluries theorica doctrinae suae specimina praebuit; cui accessit practicum argumentum suae idoneitatis ex hoc quod per quindecim annos iam moderatus sit, cum gregis satisfactione, eam paroeciam, quam nunc in titulum postulat. Hinc dici posse videtur Tridentinae sanctioni de examine, per aequipollens satisfactum fuisse. Hisce accedit quod orator commendatus sit ab ordinario. Neque omittendum quod S. C. C. alias, quum sibi constaret de electi idoneitate ad Paroeciam regendam, hanc concesserit gratiam, licet expresse a Dataria Apostolica examen esset demandatum, ceu videre est in *Arboren. Dispensationis* 26 *Aprilis.* 1879 inter supplices libellos relata. (1)

Ea quae petitioni obstare videntur. Contra Oratoris preces stat Tridentina dispositio in *cap.* 18 *sess.* 24 *de Ref.* ubi expresse demandatur, assumendos ad parochiales Ecclesias iuripatronatus subiectas per examen esse probandos. Neque ad hanc legem relaxandam satis esse videntur causae ab Oratore adductae. Quandoquidem super has omnes evincit idoneitas in animarum cura exercenda, quae nonnisi per examen cognosci potest in promovendo. Unde ex continua experientia docemur viros etiam doctrinâ illustres et provectiores aetate, quique in Ecclesiae Christi servitio longum vitae tempus impenderunt, examini subiectos fuisse, quod ex praecepto legis requisitum erat. Accedit quod Episcopus eumdem sacerdotem alias indignum ad regen-

(1) Videsis hanc quaestionem relatam Vol. XII pag. 361.

dam paroeciam reputavit. Quae omnia simul perpensa suadere videntur petitam dispensationem denegandam esse.

Hisce igitur utrinque breviter perpensis, remissum fuit EE. PP. iudicio decernere, quonam responso Oratoris preces dimittendae essent.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re perpensa, sub die 20 Decembris 1879 respondere censuit: *Arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges :

I. Decretum Tridentini *Sess.* 24 *cap.* 18... *quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat....* circa beneficia curata, ubique suum vigorem habere; ita ut nullum beneficium curam animarum habens, ab aliquo obtineri possit, nisi per examen et Ordinariorum approbationem.

II Quinimo etiamnunc vigere *Decretal.* Alexandri III *in Cap. 4 de officio Archidiac.* qua erui datum est, per solam Episcopi approbationem obtineri posse beneficium, curam animarum habens: « mandamus (ibi Archidiacono praecipitur) ut nemini sine licentia et mandato Episcopi curam praesumas committere animarum. »

III Verumtamen in themate, consulto R. Pontifice, concessam fuisse a S. C. C. gratiam exemptionis ab examine, forsan quia orator tum de idoneitate regendae paroeciae, tum de doctrina iam specimina dedisset.

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

VIVARIEN.

IDENTITATIS CORPORIS S. OSTIANI PRESBYTERI ET CONF.

Die 19 Iunii 1880.

DECRETUM. Inter illustres sanctosque viros qui Christi fidem in Gallias invexerunt, Vivariensium et Aniciensium perpetua traditio s. Ostianum Presbyterum Confessorem merito accenset. Is enim tertio mediante Ecclesiae saeculo, quo s. Fabianus Romanus Pontifex, ut Evangelium inter Occidentales populos diffunderetur plurimum adlaborasse traditur, Velaunorum regionem, Helviis proximam Apostolicis laboribus excoluit, ibique demum sancto fine quievit Eius corpus, primum in recessu Vallis Couspiensis reconditum, postea Ecclesiae pace concessâ, in proximum rurale templum s. Martini illatum fuit; quo ex tempore a s. Ostiano praecipue nuncupari coepit. Quamvis autem templum hoc barbarorum incursionibus devastatum, ac saeculo fere decimo in ampliorem formam restitutum fuisset, constans tamen et perennis Vivariensis populi traditio fuit, antiquissimis confirmata monumentis in sacra etiam lyturgia consignatis, eo in templo sacrum Ostiani corpus adhuc asservari. Ex quo factum est, ut a remotissimis usque saeculis ad nostram aetatem, pluries per annum sive ad expetendam pluviam, sive ad alia beneficia, per intercessionem s. Ostiani, obtinenda, instituta supplicatione ad illud rurale templum Vivarienses magna devotione accedere consueverint.

Cum itaque non sine divinae protectionis opera, templum hoc ad nostram usque aetatem illaesum manserit, optimum visum fuit cla. me. Ludovico Delcufy Vivariensi Episcopo anno 1868

opportunas instituere indagines, eo fine ut s. Ostiani sacra lypsana detegerentur. Disiecto itaque priore pavimento, aliud vetustissimum saeculi V aut VI subtus repertum fuit, omnino intactum, cui adhuc primaevae Arae vestigia impressa visebantur. Quo etiam pavimento sublato apparuit area lapidea rudis operis, nullâque notata epigraphe, in qua ossa unius viri aetatis longaevae condebantur, uti accurata anathomes probavit inspectio.

Tanta porro Vivariensi ac finitimarum regionum populis persuasio inerat eo loci s. Ostianum requiescere, ut eius inventionis nuncium omnes ingenti affecerit laetitiâ, atque statim repertum corpus, ceu vera sui Patroni atque Magistri lypsana habere, et debito honore colere non dubitassent, nisi prudentissimum ipsius Episcopi intercessisset consilium, ut iuxta s. Tridentinae Synodi praescriptiones (Decret. de invocat. venerat. et reliquiis SSrum et sacris Imaginibus sess. 25) res prius mature discuteretur. Quod quidem consilium secutus novus Ecclesiae Vivariensis Pastor, Rm̃us D. S. M. Fridericus Bonnet, iudicium super reperti corporis identitate deferendum censuit ad hanc s. Congregationem Indulgentiis, sacrisque Reliquiis praepositam, una simul Actis authenticis eiusdem inventionis ad eam missis. Sacra autem Congregatio, exquisito in primis voto alterius ex Rm̃is Consultoribus, sequens proposuit

Dubium.

Utrum reliquiae sub ara Sacelli Couspiensis anno 1868 die 18 Septembris repertae, vere ac proprie spectent ad corpus s. Ostiani Presbyteri Confessoris, et ideo constet de eiusdem corporis identitate.

Em̃i Patres in Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Iunii 1880, accurate perpensa ampla, iugi perpetuaque populorum traditione antiquissimis et gravissimis firmata monumentis, ac liturgicis etiam in libris contenta, neque non effusissima ergâ s. Ostianum eorumdem devotione, quae propter illarum Reliquiarum inventionem magis ac magis excrevit, et ita novum ac splendidum earum identitatis monu-

mentum suppeditat; perpensis etiam Rmorum Consultorum sententiis, atque omnibus mature discussis, rescribendum duxerunt: – *Affirmative seu constare de identitate Corporis s. Ostiani Presbyteri Confessoris.*

Factaque de praemissis relatione SSmo D. N. Leoni Papae XIII ab infrascripto secretario, in Audientia habita die 19 Iunii anni 1880, Sanctitas Sua resolutionem s. Congregationis ratam habuit et confirmavit.

VOTUM CONSULTORIS. Dispescere proposuit Consultor votum in duo capita; primo describens *historice* cultum s. Ostiani, successivas eius corporis depositiones, ac nuperrimam inventionem; deinde *critice* ea momenta expendens, quae ad identitatem eiusdem corporis probandam pertinent. Ab historica incipiens disquisitione, praemonuit paucissima esse quae novimus ex antiqua traditione Ecclesiae Aniciensis et Vivariensis de s. Ostiano. Perhibet tamen Vivariensium traditio, eum saeculo tertio mediante Velaunorum regionem, Helviis proximam peragrasse, ideoque loco, in quo sacras ministerii sui functiones obiisse creditur, nomen s. Ostiani inditum fuit.

Eo tempore ipse floruit, quo s. Fabianus R. Pontifex an. 240 ad 254 plurimum adlaboravit, ut fidei lux in Galliis praesertim diffunderetur. Ideo non immerito videtur quod s. Ostianus iis accenseri possit, quos s. Fabianus ad praedicandum evangelium in Gallias miserat; nonnullique eum dicunt Episcopum, quamvis in martyrologio ad diem 30 Iunii legatur « *In territorio Vivariensi s. Ostiani Presbyteri et Confessoris.* »

In martyrologiis vetustioribus nulla penitus fit s. Ostiani mentio. Primus omnium eius mentionem fecit Usuardus Monachus; qui suum martyrologium post medium seculum IX digessit. Ex codice Usuardi Baronius elogium derivavit, et in suis notis addidit: « *agit de eo etiam Usuardus hac die.* »

Vetus autem et constans Vivariensium traditio, quoad sepulchrum ac venerationem Ostiani est, s. Confessorem, terrestris peregrinationis cursu feliciter consummato, in secessu remotissimae atque umbrosae vallis in civitatis suburbio, extructâ ap-

posità cellà, fuisse compositum. Quamvis autem primi huius sepulchri, modo nulla maneant vestigia, locus tamen adhuc traditione celebris est; ubi cum litania solemnis instituitur, Clerus cum populo stans antiphonam, versiculum et orationem s. Confessoris decantat. Pace Ecclesiae concessâ, in templum s. Martini extra urbem Ostiani corpus translatum fuit; quod templum Vandalicis incursionibus dirutum, saeculo decimo in ampliorem formam restitutum fuit, prouti nunc extat. Cum Bollandistae ad an. 1702 pro eruditissimo tomi quinti apparatu, de s. Ostiano investigarent, Magister chori Vivariensis illis scribebat: « Utinam placeret Deo nobis revelare ipsum praecise locum ubi reconditum manet, quo possimus sacrum illud pignus prosequi honore condigno, aeque ac alios sanctos inibi quiescentes . . . Mox addit: Ecclesia illa s. Ostiani, et s. Martini ruralis est, ad eamque processionaliter itur a Vivariensibus tempore siccitatis, et in aliis publicis necessitatibus. » Aedem hanc sacram plures sepulchrales urnae circumeunt; attamen antiquitas prioris sacelli ex hac loculorum dispositione evidentius eruitur. Quamvis enim totum ambitum hodierni templi Couspiensis eiusmodi urnae et loculi circumeant, plures tamen quae absidae in circuitu sunt, ac superiori in templi parte, aevi antiquioris dignoscuntur, saeculi nempe V et VI, quae vero templi inferiori parti respondent, ad posteriora tantum saecula pertinent.

Divinâ prorsus providentiâ factum credere est, ut cum saeculo XVI, ac XVIII haereticorum ac novatorum barbaries, in Galliis praesertim, tot sacra monumenta ac templa dirueret, parvae huic Vivariensi Ecclesiae pepercerit, ne Ostiani memoria periret (1).

Cum omnia suaderent corpus s. Ostiani hac in rurali ecclesia conquiescere, anno 1868 R. D. Iacobus Rouchier ab

(1) Quidam ruricola, vir bonus et timoratus antiquam illam ecclesiam, cum fiscali decreto venundaretur, aere proprio acquisivit, ut procul a loco sancto sacrilegas manus amoveret; sacrasque exuvias b. Ostiani, quas ipse repositas esse a parente avisque suis acceperat, possessione sua tueretur, cum spe, si meliora adessent tempora, illud s. pignus Cathedrali Ecclesiae restituendi. Aderat autem ille vir, insignis fide et octuagenariâ aetate quando sarcophagum ad lucem erectum fuit.

Episcopo Vivariensi petiit, ut ad inquirenda sacra lypsana eo loci opportunas indagines fieri permitteret. Qua obtentâ veniâ, ad Ecclesiam Couspiensem accessit die 18 septembris una cum D. Ludovico La Vallette Canonico Archipresbytero, ac nobili viro D. Eduardo de Pavin de Lafarge. In quo accessu corpus s. Ostiani inventum fuit, post sollertem investigationem. Omnia deinceps a Curia episcopali recognita fuere, atque authenticis actis consignata.

Ad criticam disquisitionem gradum faciens consultor ait: viam ad eamdem disquisitionem complanatam fuisse per iam relata. Corpus enim quod in templo Couspiensi repertum fuit, non commune et profanum funus exhibet, sed dubitari nequit pertinere ad aliquem sanctum. Vetus enim disciplina Ecclesiae numquam permisit, ut ossa, licet piorum, sub altari deponerentur, quorum nec sanctitas solemniter declarata, nec nomen in sacris diptycis insertum fuisset. Id innuit s. Augustinus de ss. Innocentibus: « Videte quem iidem locum apud homines » mereantur, qui apud Deum locum sub altaria meruerant. » Dicit enim s. Scriptura. - Vidi sub ara Dei animas occiso» rum propter verbum Dei, et propter testimonium Iesu, quod » habebant. Sub ara, inquit, Dei vidi animas occisorum? . . . » Recte sub altaria iustorum animae requiescunt, quia super » altare corpus Christi offertur: nec immerito illic iusti vindi» ctam sanguinis postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi » sanguis effunditur. Convenienter igitur et quasi pro quodam » consortio ibi martyribus sepultura decreta est, ubi mors Do» mini, quotidie celebratur . . . Non immerito, inquam, con» sortio quodam illic occisis tumulus constituitur, ubi occisionis » Dominicae membra ponuntur, ut quos cum Christo unius pas» sionis causa devinxerat, unius etiam loci religio copularet. »

Quem quidem honorem etiam sanctis confessoribus aetate sua tribui coepisse scribit s. Gregorius turonensis in libro de gloria confessorum *Cap. 87*. Ita, ut de aliis sileam, de s. Venerandi Episcopi sepulchro scribit. « Est ibi (in Ecclesia) et » sepulchrum s. Venerandi Episcopi, a quo haec aedes nomen » accepit, sub analogio compositum, super quod caput per fe-

» nestellam quicumque vult immittit, precans quae necessitas » cogit, obtinetque mox effectum, si iuxta petierit. »

Quibus auctoritatibus freti liturgicarum rerum scriptores idipsum tradunt. Ita Cavalerius *Tom. 3. c. 17 Decret. 27* « Se- » pultura sub altari adeo luculenter evincitur reservata corpo- » ribus Sanctorum, ut insimul pateat, quam rite denegetur alio- » rum cadaveribus. » Et Catalanus *Comment ad Rubr.* « Sub » altaribus, iuxta antiquam probatamque omni aevo Ecclesiae » disciplinam, non aliorum corpora, sed dumtaxat sanctorum, » ac praesertim martyrum humari queunt. »

Item Baruffaldus *comment. ad rubric. n. 107* « Honor al- » taris tribui solet de consuetudine Ecclesiae solis sanctis quibus » iam Ecclesia indulsit venerationem; ideo tumulari sub altari » esset quaedam declaratio sanctitatis. In primitiva enim ec- » clesia ad sepulchra sanctorum, praecipue Martyrum, et supra » ossa eorum veneranda erigebantur altaria, ut scilicet sacrifi- » cium quod offertur Deo, redundaret etiam in ipsorum gloriam. »

Cum ex dictis dubitari nequeat, corpus sub ara Couspiensi repertum, esse alicuius Sancti, sic incertum non est cuinam sancto pertineat, etsi nulla decoratur epigraphe. S. Martinus Turonensis in opere iam citato narrat plurimas ss. corporum inventiones, at duo tantum sepulchra memorat, quae nomen sancti praeferrent. Nam antiquitus ii sarcophagi, qui inhumari et sub terra recondi debebant, rudi lapide, rusticoque opere conficiebantur, neque sculpturas et epigraphem, ut plurimum admittebant. Nomina autem eorum conscientiâ, ut ita dicam, fidelium servabantur, ac traditione iugiter per patres in filios derivata.

Coeternum in re nostra, ipse locus quo sarcophagus condebatur, s. Ostiani nomen satis superque praeferebat. Constans enim et universalis traditio erat, eo in loco sacra Eius lypsana fuisse composita. Cuius indicium validum praebebat frequens Vivariensis et Aniciensis populi accessus ad s. Martini templum, quod a s. Ostiano nuncupatum deinde legimus. Item studium illud ut prope illius ecclesiam post mortem sua corpora requiescerent. Fuisse enim in votis fidelium ut prope sanctorum memorias sepelirentur, s. Ambrosii exemplum atque universa nos

docet antiquitas. Cur vero prae caeteris solitarium templum illud selegissent, nisi ut Patroni sui corpori propius dormientes, eius orationibus iuvarentur?

Inter alia documenta adest martyrologium manuscriptum saeculi XI asservatum in Archivio Vivariensis Ecclesiae, in quo edicitur « Pridie Kalendas Iunii. In territorio Vivariensi, in Ec- » clesia b. Martini Vallis Couspiensis . . . . iacet usque ad prae- » sentem diem s. corpus beati Ostiani cum multis aliis. » In lectione IX officii s. Ostiani a S. R. C. approbata anno 1857. et Aniciensi ac Vivariensi Dioecesi concessa habetur: « *Corpus eius in Ecclesia s. Martini Vallis Couspiensis iacet, et idcirco a Vivariensibus ad hanc Ecclesiam itur solemniter pro impetranda pluvia tempore siccitatis.* »

His adiicendum est quod etsi Ecclesia illa in honorem s. Martini Turonensis primum aedificata videatur, deinde tamen etiam a s. Ostiano nomen accepit, et ita quidem ut is s. Martino praeferretur. Idque eruitur peculiaribus documentis loci illius. Venerandae autem antiquitati in more fuit, ut sub altare ille sanctus conderetur, cuius nomine sacra aedes nuncuparetur. Cum itaque neminem alium, praeter Ostianum, eo in Sacello fuisse conditum historia et traditio memoret, dubitari non potest, quin corpus sub ara templi repositum, ad Ostianum pertineat.

Sub altare tabula visitur; quae picta videtur exeunte saeculo XVII, quaeque duorum refert imagines, unius superpelliceo ac stolâ induti, alterius episcopalibus decorati insignibus, qua nempe ratione s. Ostianus ac s. Martinus depingi solent. De huiusmodi imaginibus Ioannes Ferrandus *Disquis. reliq. l. 2, c. 6. sect. 6. ait*: « Hae vero picturae et sacra divorum signa, » templorum appicta parietibus validissimum est probationis » genus, ut hinc iure conficiamus ea esse vera germanaque » Beatorum lypsana, quae in illorum favissis iactantur asser- » vari; siquidem veteres et approbatae fuerint huiusmodi pi- » cturae . . . . . Cum ergo iam plurima saeculo intactae stete- » rint hae picturae, videntibus et conniventibus Ecclesiarum » Episcopis ac Praefectis, eorumque intercesserit nemo; non

» est cur venerabilium illorum lypsanorum, quae vulgo coluntur » alicubi, veritas merito vocari possit in dubium, » (1)

Argumenti valor ex imaginibus deducti, magis roboratur si animadvertas quod aedes illa divo Martino, tam celebri in universa Gallia, esset sacra. Quod factum apte non explicatur, nisi admittendo praesentiam corporis s. Ostiani, dum etiam pars dextera donata fuerit istius imagini.

Praeterea ipsa loci inspectio, ac reperti sarcophagi ratio, corporis identitatem clare confirmat. Traditio indubia ferebat, corpus s. Ostiani in templo s. Martini fuisse illatum. Effossiones anni 1868 peractae, ostenderunt pristinum pavimentum, quarto exeunte saeculo vel quinto ineunte coagmentatum, (cui aliud recentius superpositum fuerat, saeculo fere decimo) numquam non dicam eversum, sed ne vel minime violatum fuisse; quin immo adhuc inibi vestigia impressa cernebantur primitivae areae marmoreae, super Ostiani corpus extructae. Item traditio ferebat non illico post mortem beatum Ostianum eo loci fuisse illatum, sed deinceps, pace iam Ecclesiae restitutâ. Id etiam demonstrant tum ipsa perexigua sarcophagi forma, et depicta illa calcis fragmenta intus reperta. Fragmenta nempe illa ad primaevam cellam pertinebant, quae commixta ossibus, Sarcophago fuerant inclusa. Nonnisi beatum Ostianum ea sub ara conditum tradiderant maiores; ac nonnisi unius, aetatis provectae, ossa eo in loco composita sunt. Recognitio autem facta fuit an. 1117, a Legato sedis Apostolicae, et a Praesule Nicolao renovata; denique catalogum reliquiarum confecit anno 1529 Ioannes Besse sacrista Vivariensis, qui miratus est curnam inter tot reliquias Sanctorum, nulla beati Ostiani succurreret. Admiratio tamen haec sublata fuit per recentem inventionem, eoquod intactum eius sepulchrum repertum fuit.

Obiectio nasci posset ex verbis martyrologii saeculi XI; « *iacet* (ibi legitur) *usque ad praesentem diem sanctum corpus*

(1) Merito idcirco P. Cordara de inventione corporum ss. Primi et Feliciani asserit : « Tempore Urbani VIII ad recognoscendas reliquias ss. Martyrum Primi et Feliciani satis fuissent documenta traditionis, altare eisdem dedicatum, sub quo quiescebant, et mosaicum Tribunae Cappellae.»

beati Ostiani cum multis aliis » ita ut credi possit s. Ostiani lypsana non separata et suo loculo composita, sed cum aliis multis sanctorum simul reperiri debuisse. In primis animadvertendum est, notam illam « *cum multis aliis* » frequenter occurrere in veteribus catalogis, sive Urbis Coemeteriorum itinerariis; ita tamen ut indicet dumtaxat plura sanctorum corpora prope Sancti celebrioris conditorium fuisse composita, seu in eodem Coemeterio, non autem in eodem Sepulchro. Ita ex. gr. in *Notitia locorum sanctorum* Romae existentium legimus — *s. Saturninus cum multis martyribus dormit* —; et alibi de s. Sotere V. et M. « *ubi ipsa cum multis martyribus iacet.* »

Quoad s. Ostiani corpus idipsum accidit, ante eius translationem in Ecclesia s. Martini; nam antequam pax Ecclesiae restitueretur, forsan *cum multis aliis* in eodem agro Vivariensi quievit. Pace demum Ecclesiae restitutâ, Ostiani corpus in Templo s. Martini delatum est, aliorum vero lypsana in Cathedrali Ecclesia reposita.

Quidquid tamen sit, de Ostiani corporis identitate dubitandum non esset; cum de ea constet ex tot traditionis, historiae, ac s. archeologiae argumentis. Ita namque s. R. Congregatio processit in recognoscendis et approbandis reliquiis s. Medici martyris, inter Otriculanae Ecclesiae s. Victoris repertis, ceu legitur in Decreto diei 16 Iulii an. 1612 a Paulo V approbato. « Cum in terra Otriculi, Narniensis Dioecesis inter ruinas an» tiquae civitatis Otriculanae, prope Tiberis ripam, ubi anti» qua Ecclesia s. Victoris eiusdem civitatis aedificata fuerat, » septem et quinquaginta corpora, quae ss. Martyrum esse iu» dicata fuerant, inventa fuerint, et in primis inter ea in quo» dam sepulchro ex tiburtino lapide confecto ossa multa, cum » capite inventa fuerint, cum sequenti inscriptione posita in » parvo lapide in dicto sepulchro recondito, videlicet. - *Hic re» quiescit Medicus martyr Christi cum pluribus* - . . . . eadem » s. C. R. iudicavit, ex dicto Processu et relatione non satis » constare omnia supradicta 57 corpora esse vere corpora » ss. Martyrum, et pro talibus esse veneranda, *excepto tantum*

» *corpore supradicti s. Medici, quod vere corpus martyris esse,*
» *et pro tali posse coli iudicavit.* »

Ex quo decreto apparet Apostolicam Sedem haud suspendere consuevisse iudicium super identitate corporis alicuius sancti, pro qua idonea probationum momenta suppetant, quamvis incertum maneat quibus aliis corporibus ea dictio pertineat – *cum pluribus* – vel – *cum aliis multis.* –

Hinc conclusit Consultor: quum demonstratum fuerit, corpus sub ara Sacelli Couspiensis repertum, non ad pium quemlibet virum, sed ad vere ac proprie Sanctum pertinuisse; illud autem esse corpus s. Ostiani Presbyteri ac Vivariensium Apostoli, ideo nil amplius desiderandum esse. Nam Benedictus XIV ad rem ait: « *scribentes communiter censent in re et ad effectum de quo agimus, sufficere evidentiam moralem.* » atque opportune in medium affert haec Papebrochii sententiam: « *aequum enim est ut ibi subsistat humanae inquisitionis diligentia, ubi ulterior labor esset frustraneus, et a superstitionis periculo tuta sit Reliquias venerantium religio* – » lib. 5. p. 2. c. 14. n. 9. »

Hinc populo Vivariensi, ob modo reperta s. Ostiani Patroni sui lypsana, iure ingeminare licet, quae inventis corporibus ss. Gervasii et Protasii olim protulit Ambrosius *Epist. 22 ad Marcellinam:* « Erant clausi isti oculi quamdiu obruta Sancto-
» rum corpora delitescebant. Aperuit oculos nostros Dominus;
» videmus auxilio, quibus sumus defensi; non videbamus haec
» sed habebamus tamen . . . Invenimus unum hoc, quo vi-
» deamur praestare maioribus. Sanctorum cognitionem, quam
» illi amiserant, nos adepti sumus. Eruuntur nobiles reliquiae
» sepulchro ignobili, ostenduntur coelo trophaea. »

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM: quo praecipitur ut agatur quotannis festum ss. Cyrilli et Methodii cum officio et Missa propria ritus duplicis minoris.

Die 25 Octobris 1880.

URBIS ET ORBIS

Sacrorum Antistites complures, oecumenici Concilii causa anno MDCCCLXX Romam convenientes, magnopere sibi in votis esse pandiderunt, ut ab Apostolica Sede honor et cultus, per Officii et Missae annuam celebrationem, in toto Catholico Orbe Sanctis quibusdam Caelitibus decerneretur, qui eo praecipue veluti splendidiora sidera in perpetuas fulgent aeternitates, quod Apostolorum gesta prosequuti, Ecclesiae divino aedificio inter diversas gentes ac nationes extruendo firmandoque impensius adlaborarunt. Postulatum Summo Pontifici, gloriosae memoriae, Pio IX arrisit, qui idcirco in peculiari sacrorum Rituum Congregatione de eo agi voluit, die XXVIII mensis Maii anno MDCCCLXXIV habita. De uno tamen sancto Episcopo et Martyre Bonifacio, Germanorum inclito Apostolo, tunc decretum prodiit prorsus favorabile, pro quo, ob irrumpentes per illas Ecclesias post hominum memoriam saevissimas calamitates, urgentiora aderant momenta. De aliis, inter quos praeclari Slavorum gentis Apostoli Cyrillus et Methodius, rem differre placuit.

His autem resumptis, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII die nuper praeterlapsa XXX Septembris memorandas desuper edidit Encyclicas Litteras *Grande munus*, quibus ex mutato hodie per illas regiones reipublicae statu, peropportuna arrepta occasione latius iuvandi dilectos Slavoniae populos Sanctissimorum Magistrorum patrocinio, ut sint eos in praesentiarum potenter defensuri, sicut olim disseminata fide catholica ab interitu ad salutem revocarunt; praecepit, *ut rato die quinto mensis Iulii*, quem f. r. Pius IX pro quibusdam locis constituit, *in Kalendarium Romanae atque universalis Ecclesiae inseratur*,

agaturque quotannis festum sanctorum Cyrilli et Methodii cum ritus duplicis minoris Officio et Missa propria, quae Sacrum Consilium legitimis ritibus cognoscendis approbavit.

Porro, cum in peculiari Officio iamdiu aliquibus dioecesibus concesso, pro extensione ad Ecclesiam universam quaedam immutare opus esset, satius visum fuit novum Officii et Missae schema conficere, cum nonnullis additamentis Romano Martyrologio apponendis. Quod reapse, de speciali Apostolica facultate, concinnatum, et, prouti in superiori exemplari prostat, per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem S. R. Congregationi Praefectum, una cum R. P. D. Sanctae Fidei Promotore, et Rm̃o sacrae Congregationis Assessore, diligenter revisum, ab eodem Cardinali, subsignata die, Sanctissimo Domino fuit exhibitum. Sanctitas vero Sua illud in omnibus adprobare dignata est, mandavitque ab utroque Clero, ad tramites praelaudatae Encyclicae Epistolae, in persolvendis divinis officiis ubique recitari. Benigne insuper concessit, ut eae Slavoniae Dioeceses quae iam inde ab anno MDCCCLXIII ex indulto Pii Papae IX sa. me. peculiare ss. Cyrilli et Methodii Officium cum Missa persolvere consueverunt, illud retinere pergant, exceptis tribus Lectionibus secundi Nocturni, quibus hae per praesens Decretum praescriptae substituendae erunt, et excepta additione ad Martyrologium; factaque iisdem Dioecesibus potestate assumendi si libuerit, hymnos, ut supra, noviter approbatos. Servatis ceterum rubricis, et contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 25 Octobris 1880.

D. CARD. BARTOLINIUS S. R. C. PRAEFECTUS

L. ✠ S.

Pro R. P. D. PLACIDO RALLI Secretario
Ioannes Can. Ponzi Substitutus

DECRETUM: Romana seu Taurinen beatificationis et canonizationis ven. Servi Dei fr. Josephi Bartholomaei Menochio ex ordine Eremitarum s. Augustini, Episcopi Porphyriensis, Apostolico Sacrario Praefecti.

Quum Idibus Februarii anni vertentis Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne indulserit, ut de fama Sanctitatis vitae, Virtutum et Miraculorum in genere Ven. Servi Dei Fr. Josephi Bartholomaei Menochio praefati ageretur in Congregatione sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum ad instantiam Rev. Patris Nicolai Primavera Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Eñus et Rñus Dominus Cardinalis Thomas Maria Martinelli huius Causae Ponens in Ordinariis sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium discutiendum proposuit: - *An constet de validitate et relevantia Processus Apostolica Auctoritate Romae constructi super fama Sanctitatis vitæ, Virtutum et Miraculorum in genere prædicti Ven. Servi Dei in casu et ad effectum de quo agitur?* - Eñi et Rñi Patres Sacris tuendis Ritibus præpositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et Scripto R.P.D. Laurentio Salvati sanctæ Fidei Promotore rescribendum censuerunt: « *Affirmative* ». Die 5 Iulii 1879.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrasciptum Secretarium fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum sacræ Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 11 iisdem mense et anno.

D. CARD. BARTOLINIUS S. R. C. Praefect.

PLA. CAN. RALLI S.R.C. Secret.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES
ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS VNIVERSOS CATHOLICI ORBIS
GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

VENERABILIBVS FRATRIBVS
PATRIARCHIS PRIMATIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
VNIVERSIS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMVNIONEM
CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

LEO PAPA XIII

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sancta Dei civitas quae est Ecclesia, cum nullis regionum finibus contineatur, hanc habet vim a Conditore suo inditam, ut in dies magis dilatet *locum tentorii sui, et pelles tabernaculorum suorum* extendat [1]. Haec autem christianarum gentium incrementa, quamvis intimo Sancti Spiritus afflatu auxilioque praecipue fiant, extrinsecus tamen hominum opera humanoque more perficiuntur: decet enim sapientiam Dei, eo modo res universas ordinari et ad metam perduci, qui naturae singularum conveniat. Non unum tamen est genus hominum vel officiorum, quorum ope fiat ad hanc terrestrem Sion novorum civium accessio. Nam primae quidem partes eorum sunt, qui praedicant verbum Dei: id exemplis et oraculis suis Christus edocuit; id Paullus Apostolus urgebat

[1] Is. LIV, 2.

iis verbis: *Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante?... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* [1]. Istud autem munus ad eos pertinet, qui rite sacris initiati fuerint.— His porro operae studiique non parum afferunt qui vel auxilia in rebus externis posita suppeditare, vel fusis ad Deum precibus caelestia charismata conciliare solent. Quapropter laudantur in Evangelio mulieres, quae Christo evangelizanti regnum Dei *ministrabant de facultatibus suis* [2], et Paullus testatur, iis qui Evangelium annuntiant voluntate Dei concessum esse ut de Evangelio vivant [3]. Pari modo assectatores auditoresque suos Christum ita iussisse novimus: *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* [4]: primosque Eius alumnos, Apostolis praeeuntibus, ita supplicare Deo consuevisse: *Da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum* [5]. Duo haec munia quae in largiendo supplicandoque consistunt, cum perutilia sunt ad regni caelorum fines latius proferendos, tum illud habent proprium, ut ab hominibus cuiuslibet ordinis expleri facile queant. Quis enim est aut tam tenui fortuna, ut exiguam dare stipem, aut tantis rebus occupatus, ut pro nuntiis sacri Evangelii Deum obsecrare aliquandiu prohibeatur? Huiusmodi vero praesidia adhibere semper viri apostolici consueverunt, nominatim Pontifices romani, in quos christianae fidei propagandae maxime incumbit sollicitudo: tametsi non eadem perpetuo ratio fuit haec subsidia comparandi, sed varia et diversa, pro varietate locorum temporumque diversitate.

Cum aetate nostra libeat ardua quaeque coniunctis plurimorum consiliis et viribus aggredi, societates passim coire vidimus, quarum nonnullae etiam ob eam caussam sunt initae, ut provehendae in aliquibus regionibus religioni prodessent. Eminet autem inter ceteras pia consociatio ante annos fere sexaginta Lugduni in Galliis coalita, quae a *propagatione*

[1] Rom. X, 14, 17.
[2] Luc. VIII, 3.
[3] I Cor. IX, 14.
[4] Matth. IX, 38, Luc. X, 2.
[5] Act. IV, 29.

fidei nomen accepit. Haec primum illuc spectavit, ut quibusdam in America missionibus opem ferret: mox tamquam granum sinapis in arborem ingentem excrevit, cuius rami late frondescunt, adeoque ad missiones omnes, quae ubique terrarum sunt, actuosam beneficentiam porrigit. Praeclarum hoc institutum celeriter Ecclesiae Pastoribus probatum fuit et luculentis laudum testimoniis honestatum. Romani illud Pontifices Pius VII, Leo XII, Pius VIII, Decessores Nostri et commendarunt vehementer et indulgentiarum donis ditaverunt. Ac multo etiam studiosius fovit, et plane caritate paterna complexus est Gregorius XVI, qui in encyclicis litteris die XV mensis Augusti anno huius saeculi quadragesimo datis in hanc sententiam de eodem loquutus est: « Magnum sane » opus et sanctissimum, quod modicis oblationibus et quotidia» nis precibus a quolibet sodalium ad Deum fusis sustinetur, » augetur, invalescit, quodque Apostolicis operariis susten» tandis, christianaeque caritatis operibus erga neophytos » exercendis, nec non fidelibus ab impetu persecutionum libe» randis inductum bonorum omnium admiratione atque amore » dignissimum existimamus. Nec sine peculiari divinae provi» dentiae consilio tantum commodi atque utilitatis Ecclesiae » nuperrimis hisce temporibus obvenisse censendum est. Dum » enim omnigena inferni hostis machinamenta dilectam Christi » sponsam lacessunt, nihil illi opportunius contingere poterat, » quam ut desiderio propagandae catholicae veritatis Christifi» deles inflammati iunctis studiis, collataque ope omnes » Christo lucrifacere conarentur. » Haec prolocutus, Episcopos hortabatur, sedulo agerent in sua quisque Dioecesi, ut tam salutare institutum nova quotidie incrementa caperet.—Neque a vestigiis Decessoris sui deflexit gloriosae recordationis Pius IX, qui nullam praetermisit occasionem iuvandae societatis meritissimae, eiusque prosperitatis in maius provehendae. Revera auctoritate eius ampliora pontificalis indulgentiae privilegia in socios collata sunt, excitata ad eius operis subsidium christianorum pietas, et praestantissimi e sodalium numero, quorum singularia merita constitissent, variis hono-

rum insignibus decorati; demum externa aliquot adiumenta, quae huic instituto accesserant, ab eodem Pontifice ornata laude et amplificata sunt.

Eodem tempore aemulatio pietatis effecit, ut binae aliae societates coalescerent, quarum altera a *sacra Iesu Christi infantia*, altera a *Scholis Orientis* nuncupata est. Priori propositum est tollere et ad christianos mores educere infantes miserrimos, quos desidia vel egestate compulsi parentes inhumaniter exponunt, praesertim in Sinensium regionibus, ubi plus est huius barbaria moris usitata. Illos itaque peramanter excipit sodalium caritas, pretioque interdum redemptos christianae regenerationis lavacro abluendos curat, ut scilicet vel in Ecclesiae spem, Deo iuvante, adolescant, vel saltem morte occupatis sempiternae felicitatis potiundae facultas praebeatur. — Sollicita est de adolescentibus alia quam commemoravimus societas, omnique industria contendit, ut ii sana doctrina imbuantur, studetque prohibere fallacis pericula scientiae, ad quam proni persaepe illi feruntur ob improvidam discendi cupiditatem. — Ceterum utraque sodalitas antiquiori illi, cui a fidei propagatione nomen est, adiutricem operam praebet, et stipe precibusque christianarum gentium sustentata ad idem propositum amico foedere conspirat; omnes enim eo intendunt, ut evangelicae lucis diffusione quamplurimi ab Ecclesia extorres veniant ad agnitionem Dei, Eumque colant, et quem misit Iesum Christum. Meritis proinde laudibus, velut innuimus, haec duo instituta, datis Apostolicis litteris, ornavit Pius IX Decessor Noster, iisque sacras indulgentias liberaliter est elargitus.

Itaque cum tria sodalitia tam certa Pontificum maximorum gratia floruerint, cumque opus singula suum studio concordi urgere numquam desierint, uberes edidere salutis fructus, Congregationi Nostrae de propaganda fide haud mediocre attulere subsidium et levamen ad sustinenda missionum onera, atque ita vigere visa sunt, ut laetam quoque spem facerent in posterum segetis amplioris. At vero tempestates plures ac vehementes, quae adversus Ecclesiam excitatae sunt in regio-

nibus iamdudum evangelica luce illustratis, detrimentum intulerunt iis etiam operibus, quae sunt ad barbaras gentes excolendas instituta. Etenim multae caussae extiterunt, quae sociorum numerum liberalitatemque minuerent. Et sane cum passim opiniones pravae spargantur in vulgus, per quas mundanae felicitatis appetitio acuitur, caelestium autem bonorum spes abiicitur, quid ab iis expectetur, qui animo ad excogitandas, corpore ad capiendas voluptates utuntur? Huiusmodi homines precesne fundant, quibus exoratus Deus populos sedentes in tenebris ad divinum Evangelii lumen victrici gratia adducat? Istine sacerdotibus pro fide laborantibus ac dimicantibus suppetias ferant? Restrictiores porro fieri ad munificentiam animos etiam piorum hominum temporis improbitate oportuit, partim quod abundante iniquitate refrixit multorum caritas, partim quod rerum privatarum angustiae, publicarum motus (iniecto etiam metu peioris aevi) plures in retinendo tenaces, parciores ad largiendum effecerunt.

Multiplex contra gravisque necessitas Apostolicas missiones premit atque urget, cum sacrorum operariorum copia efficiatur quotidie minor; neque abreptis morte, senio confectis, labore attritis praesto sunt qui succedant pares numero et virtute. Religiosas enim familias, unde plures ad sacras missiones prodibant, infensis legibus dissociatas cernimus, clericos ab aris avulsos et onus militiae subire coactos, bona utriusque Cleri fere ubique publicata et proscripta.—Interim aditu ad alias plagas patefacto quae videbantur imperviae, crescente locorum et gentium notitia, aliae atque aliae quaesitae sunt expeditiones militum Christi, novaeque stationes constitutae: ideoque plures desiderantur, qui se iis missionibus devoveant, et tempestiva conferant subsidia.—Difficultates omittimus et impedimenta a contradictionibus oborta. Saepe enim viri fallaces, satores errorum, simulant Apostolos Christi, humanisque praesidiis affatim instructi munus catholicorum sacerdotum praevertunt, vel deficientium loco subrepunt, vel posita ex adverso cathedra docentis obsistunt, satis se assequutos rati, si audientibus verbum Dei aliter ab aliis explicari ancipitem

faciunt salutis viam. Utinam non aliquid artibus suis proficerent! Illud certe deflendum, quod ii vel ipsi, qui tales magistros aut fastidiunt aut prorsus non noverunt, puramque veritatis lucem inhiant, saepe hominem non habeant, a quo sana doctrina erudiantur et ad Ecclesiae sinum invitentur. Vere parvuli petunt panem, et non est qui frangat eis; regiones albae sunt ad messem, et haec quidem multa, operarii autem pauci, pauciores forsan propediem futuri.

Quae cum ita sint, Venerabiles Fratres, Nostri muneris esse ducimus, piis studiis caritatique christianorum admovere stimulos, ut qua precibus, qua largitionibus sacrarum missionum opus iuvare et fidei propagationi favere contendant. Cuius rei quanta sit praestantia, cum bona ostendunt quae illi proposita sunt, tum quae inde percipiuntur compendia et fructus. Recta enim tendit sanctum hoc opus ad gloriam divini nominis et Christi regnum amplificandum in terris; incredibiliter autem beneficum est iis, qui e vitiorum coeno et umbra mortis evocantur, et praeterquam quod salutis sempiternae compotes fiunt, ab agresti cultu ferisque moribus ad omnem civilis vitae humanitatem traducuntur. Quin etiam iis ipsis est valde utile ac fructuosum, quorum in eo aliquae sunt partes, cum spirituales illis divitias comparet, praebeat materiam meriti, et Deum quasi beneficii debitorem adstringat.

Vos igitur, Venerabiles Fratres, in partem sollicitudinis Nostrae vocatos etiam atque etiam hortamur, ut concordibus animis apostolicas missiones sedulo vehementerque adiuvare Nobiscum studeatis, fiducia in Deum erecti et nulla difficultate deterriti. Salus agitur animorum, cuius rei caussa Redemptor Noster animam suam posuit, et Nos Episcopos et sacerdotes dedit in opus sanctorum, in consummationem corporis sui. Quare retenta licet ea statione gregisque custodia quam cuique Deus commisit, summa ope nitamur, ut sacris missionibus ea praesidia suppetant quae a primordiis Ecclesiae in usu fuisse commemoravimus, scilicet Evangelii praeconium, et piorum hominum cum preces tum eleemosynae.

Si quos ergo noveritis divinae gloriae studiosos et ad sacras expeditiones suscipiendas promptos et idoneos, his addite animos, ut explorata compertaque voluntate Dei, non acquiescant carni et sanguini, sed Spiritus Sancti vocibus obtemperare festinent. A reliquis autem sacerdotibus, a religiosorum virorum utriusque sexus ordinibus, a cunctis denique fidelibus curae vestrae concreditis magnopere contendite, ut numquam intermissis precibus caeleste auxilium satoribus divini verbi concilient. Deprecatores autem adhibeant Deiparam Virginem, quae valet omnia errorum monstra interimere; purissimum eius Sponsum, quem plures missiones iam sibi praestitem custodemque adsciverant, et nuper Apostolica Sedes universae Ecclesiae Patronum dedit; Apostolorum Principes agmenque totum, unde profecta primum Evangelii praedicatio omni terrarum orbe personuit; ceteros demum praeclaros sanctitate viros, qui in eodem ministerio absumpsere vires, vel vitam cum sanguine profuderunt.—Precationi supplici eleemosyna accedat, cuius quidem ea vis est, ut vel loco dissitos et alienis curis distentos apostolicorum virorum adiutores, eorumque cum in laborando tum in benemerendo socios efficiat. Tempus quidem est huiusmodi, ut plures premat rei familiaris inopia; nemo tamen idcirco animum despondeat: stipis enim, quae in hanc rem desideratur, collatio nulli ferme potest esse gravis, quamvis e multis in unum collatis satis grandia queant parari subsidia. Vobis autem, Venerabiles Fratres, commonentibus, unusquisque consideret, non iacturae sed lucro suam sibi liberalitatem futuram, quia feneratur Domino qui dat indigenti, eaque de caussa ars eleemosyna dicta est omnium artium quaestuosissima. Revera si, ipso Iesu Christo auctore, non perdet mercedem suam qui uni ex minimis eius poculum dederit aquae frigidae, amplissima profecto merces illum manebit, qui insumpto in sacras missiones aere vel exiguo, precibusque adiectis, plura simul et varia caritatis opera exercet, et quod divinorum omnium divinissimum sancti Patres dixerunt, adiutor fit Dei in salutem proximorum.

Certa fiducia nitimur, Venerabiles Fratres, eos omnes qui catholico gloriantur nomine, haec reputantes animo et hortationibus Vestris incensos, minime defuturos huic, quod Nobis tantopere cordi est, pietatis officio; neque passuros studia sua in amplificando IesuChristi regno, eorum sedulitate et industria vinci, qui dominatum principis tenebrarum propagare nituntur. — Interea piis christianarum gentium coeptis Deum propitium adprecantes, Apostolicam benedictionem, praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Vobis, Venerabiles Fratres, Clero et populo vigilantiae Vestrae commisso peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum die III Decembris A. MDCCCLXXX, Pontificatus NostriAnno Tertio.

LEO PP. XIII

MONITUM

Si qui sacris Missionibus sese devovere velint, et paternae supremi Ecclesiae Pastoris voci respondere desiderent, poterunt (attamen ex Italia tantum geographice considerata) accurrere ad Seminarium Missionum, quod anno 1874 a Summo Pontifice Pio IX erectum fuit Romae (Via Mastai 18): supplicesque libellos dirigere vel ad Eminentissimum Dominicum Cardinalem Consolini, Seminarii Praesidem, vel ad Josephum Pennacchi illius Rectorem.

Poterunt etiam sese convertere ad Seminarium s. Caloceri Mediolani fundatum, cuius praestantissimus Rector est Rm̃us Josephus Marinoni.

LITTERAE

SSmi D. N. Leonis XIII. ad Archiepiscopum Dublinen. quibus exorat ut iste eiusque collegae in Episcopatu curent, ne gens Hibernorum aequitatis iustitiaeque fines transiliat in praesenti commotione.

Venerabilis Frater salutem et Apostolicam benedictionem.

Epistolam tuam, quam Nobis cum Romae esses coram exhibuisti ad Clerum populumqne Dublinensis dioeceseos proxime datam libentes perlegimus. In ea quippe agnovimus prudentiam

et aequitatem animi tui: propterea quod, commota nunc Hibernia partim rerum desiderio meliorum, partim incertorum eventuum metu, ipse consilia praebes tempori admodum opportuna.

Nos quidem sollicitat atque angit misera conditio, in qua catholici homines ex Hibernia versantur; multumque eorum virtuti tribuimus, quam res adversae vehementer exercent, nec brevi intervallo, sed aliquot iam saecula et aetates. Ipsi enim fortitudine et constantia summa quoslibet perferre casus, quam avitam religionem deserere, aut ab antiqua fide erga hanc Apostolicam Sedem vel minimum discedere maluerunt. Propterea eximia est et usque ad hanc aetatem continuata laus, numquam apud eos reliquarum virtutum nobilissima exempla defuisse. Quae Nos caussae impellunt, ut paterna illos benevolentia complectamur, maximeque optemus, ut quibus affliguntur, incommodis modus aliquis celeriter imponatur.

Eodem tamen tempore omnino iudicamus cavere eos magnopere debere, ne genuinae et domesticae probitatis suae opinio minuatur, nihilque temere admittere, quo debitam legitime imperantibus obedientiam abiecisse videantur. Atque huius rei caussa, si quando Hibernia in rerum suarum tutelam ac defensionem gravius exarsit, Pontifices Romani incitatos animos continuo flectere ad lenitatem monendo exhortandoque contenderunt, ne scilicet iustitia violaretur moratione posthabita, neu caussa quantumvis aequa, interiectis cupiditatibus, in seditionis flammam erumperet. Quae sane consilia eo spectabant ut Catholici Hiberni in rebus omnibus magistram ac ducem Ecclesiam sequerentur, et ad eius praecepta sese affatim accommodantes, pravarum doctrinarum invitamenta respuerent. Itaque Gregorius XVI Pontifex Maximus die 12 mensis Martii anno 1839, et die 15 Octobris anno 1844 per sacrum Consilium christiano nomini propagando Archiepiscopum Armacanum admonuit, nihil agere nisi moderate et iuste. Nos autem exemplo Decessoris Nostri, superiore anno Kalendis Iunii, ut probe nosti, cunctis Episcopis Hiberniae recta monita pro rerum opportunitate danda curavimus, nimirum Hibernos dicto audientes Episcopis esse

oportere, nullaque in re a religione officii declinare. Ac paullo serius, mense Novembri, aliquot ex Hibernia Episcopis qui Romam ad sepulcra Apostolorum adierant, testati quidem sumus, Nos Hibernorum caussa omnia cupere: verumtamen illud etiam adiunximus, perturbare ordinem non licere.

Talis in sentiendo agendoque modus institutis praeceptisque Ecclesiae catholicae maxime congruit; neque dubitamus, quin ipsis Hiberniae rationibus sit profuturus. Etenim aequitati confidimus virorum, qui summam imperii tenent: in quibus certe magnus esse solet rerum usus cum civili prudentia coniunctus. Multo tutius ac facilius fieri poterit ut ea, quae vult Hibernia consequatur, si modo via quam leges sinunt utatur, caussasque offensionis evitet. Quapropter et Tu, Ven. Frater et Tui isthic in episcopatu collegae date operam ut gens Hibernorum in his tam trepidis rebus aequitatis iustitiaeque fines ne transiliat. Plura profecto testimonia observantiae et amoris ex Hiberniae Episcopis, a Clero, a populo accepimus: quod si nunc iidem hisce consiliis auctoritatique Nostrae, uti pro certo habemus, docili ingenio paruerint, tunc demum sciant, se et officio suo et Nobis cumulate satisfecisse.

Nos denique ex animo Deum exoramus, ut Hiberniam volens propitius respiciat; atque interim caelestium munerum auspicem Tibi Ven. Frater, ceterisque Hiberniae Episcopis, nec non universo Clero et populo Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum die 3 Ianuarii an. 1881. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

LEO PP. XIII.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

DE CONSISTORIO HABITO DIE 13 DECEMBRIS 1880

Sanctissimus habita Allocutione, quam retulimus pag. 198 harum ephem. sequentes proposuit ecclesias:

Archiepiscopalem Ecclesiam Claudianopolitan. in partibus infidelium certo modo vacantem, favore R. P. D. Caroli Gigli Episcopi dimissionarii Sedis Tiburtinae.

Episcopalem Ecclesiam Myrinen. sub Archiepiscopo Ephesino in partibus infidelium vacan. per obitum bo. me. Alexii Rameaux ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Raphaelis Bachettoni Episcopi dimissionarii Nursinae Sedis.

Cathedralem Ecclesiam Nursin. vacan. per dimissionem a R. P. D. Raphaele Bachettoni ultro, libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam et ab EADEM admissam; favore R. P. D. Dominici Bucchi-Accica, hactenus Episcopi Lystrensis.

Cathedralem Ecclesiam Suessan. vacan. per obitum bo. me. Raphaelis Gagliardi, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Caroli de Caprio, hactenus Episcopi Canopensis.

Cathedralem Ecclesiam Tiburtin. vacan. per dimissionem a R. P. D. Carolo Gigli ultro, libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam, ab EADEMQUE admissam, favore R. P. D. Placidi Petacci, hactenus Episcopi Troadensis.

Episcopalem Ecclesiam Carysten. sub Archiepiscopo Chalcidense in partibus infidelium vacan. per obitum bo. me. Emmanuelis Francisci Barrutia et Croquer, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Vincentii Anivitti Presbyteri Romani, qui deputatus etiam fuit in Suffraganeum Sabinensem ad pontificalia, caeteraque pastoralia munia ipsa in civitate ac dioecesi Sabinensi obeunda. Signanter utriusque sexus sacramentales confessiones excipiendo, Deique verbum in plurimis huius almae Urbis templis assidue praedicando, atque spiritualia tradendo

exercitia vel iuvenibus, primo nutriendis caelesti pabulo in pia domo ad pontem ruptum et ad Esquilias, vel militibus, civilique officio addictis ad Janiculum, navam diuturnamque impendit operam. Politiores literas et sacram tradens eloquentiam in Pontificio Seminario romano ac Pio, inque Urbano Collegio de Propaganda Fide, nonnullisque de sacra et profana eruditione editis libris, quarumdam ad hodiernos errores ac versutias propulsandas, pietatemque fovendam ephemeridum, praesertim a Virgine Sancta, extitit Director et SANCTITATIS SUAE ab intimo Cubiculo e participantium numero hucusque renunciatus est.

Episcopalem Ecclesiam Germanicien. sub Patriarcha Antiocheno in partibus infidelium vacan. per obitum bo. me. Jacobi Francisci Kyle ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Gustavi Comitis de Belrupt-Tyssàc, Presbyteri Archidioeceseos Olomucensis. Qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem Emi ac Rmi Domini Friderici, Titulo s. Chrysogoni S. R. E. Presbyteri Cardinalis de Fürstenberg, Archiepiscopi Olomucensis ad pontificalia, caeteraque pastoralia munia, de eius consensu ac lubito, illa in civitate et archidioecesi obeunda, iuxta decretum s. Congreg. Consistorialis a praefata SANCTITATE SUA adprobatum. Animarum curae vel qua Cooperator, vel qua Parochus et Decanus plurimis annis addictus, Olomucensi in Metropolitana Canonici a latere, Praepositi, Parochi, et Capituli Archidiaconi muneribus perfunctus est. Eiusdem Capituli Decanus ad praesens usque renunciatus, et inter SANCTITATIS SUAE Domesticos Praesules adscitus est.

Episcopalem Ecclesiam Nicopolitan. sub Archiepiscopo Sebastensi in partibus infidelium vacan. per translationem ad Cathedralem Sedem Aberdonensem R. P. D. Joannis Mac Donald, favore R. D. Stephani Benedicti Paulovich-Lucich Presbyteri Macarskensis. Qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Marci Calogerà Episcopi Spalatensis et Macarskensis ad pontificalia, caeteraque pastoralia munia de consensu ipsius in Concathedrali Macarskensi, eiusque dioecesi obeunda. Italica, latina, teutonica, illyrica et gallica instructus linguis, animarum curae Podgorae et Macarskae ceu Cooperator paroecialis plures per annos addictus est. In Macarskensi Concathedrali Praepositura, maiore post pontificalem dignitate, ad praesens honestatus, simulque Vicarius in spiritualibus Generalis pro eadem civitate ac dioecesi renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Tornacen. vacan. vi Constitutionis Apostolicae *Nondum elapsus* diei 21 Octobris 1880 latae in Edmundum Dumont postremum illius Episcopum, favore R. P. D. Isidori Josephi Du

Roussaux, hactenus Episcopi Eumeniensis.

Cathedralem Ecclesiam de Caceres in insulis Philippinis vacan. per obitum bo. me. Francisci Gainza ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti , favore Rev. Patre Fr. Casimiri Herrero Presbyteri Palentinae dioeceseos. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis peragendis functionibus sese laudabiliter exercuit. Jam Ordinis Eremitarum Calceatorum s. Augustini in Insulis Philippinis Definitoris, Commissarii Procuratoris et Vicarii Provincialis muneribus perfunctus, Manilae Parochus de *Tondo* hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam de Nicaragua in America Centrali vacan. per obitum bo. me. Emmanuelis Ulloa postremi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Ulloa et Larrios Presbyteri Nicaraguensis, ad praesentationem perillustris Praesidis illius reipublicae, vigore indulti Apostolici. Ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Nicaraguae progenitus et quinquagesimum octavum aetatis suae annum supergressus est. A praedefuncto Bernardo Pinol et Aycinera Nicaraguae Antistite Provisor, et Vicarius in spiritualibus Generalis olim adlectus, Parochus loci, cui vulgo nomen *Kandaine ,* hucusque renunciatus est.

Episcopalem Ecclesiam Gratianopolitan. sub Archiepiscopo Caesariense in partibus infidelium vacan. per obitum bo. me. Paschalis Billi, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Octaviani Mariae Sabelli Presbyteri dioeceseos Arianensis et Congregationis SSmi Redemptoris. Philosophiae, physices, mathematicae , iuris naturae , theologiae tum dogmaticae, tum moralis, biblicae exegeseos, sacraeque scripturae vel in sua Congregatione, vel Asculano in seminario Lectoris munere perfunctus, piae unionis a filiabus Mariae, a matribus christianis et a s. Aloisio Gonzaga nuncupatae Fundator extans ac Director, Ecclesiam Immaculatae Virginis Conceptioni dicatam suis aedificavit sumptibus. Inter synodales Examinatores Asculi ac Ceriniolensis Episcopatus adscitus est.

Cathedralem ecclesiam Pictavien. vacan. per obitum clar. me. Ludovici, Francisci, Desiderati Eduardi S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Pie ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iacobi, Edmundi, Henrici, Philadelphi Bellot des Minières, Presbyteri Pictaviensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Galliarum Reipublicae Praesidis. Hactenus pro civitate et archidioecesi Burdigalensi Vicarius in spiritualibus Generalis renunciatus est.

Cathedralem ecclesiam Zamoren. in Hispaniis vacan. per obitum bo. me. Bernardi Conde et Corral,

ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R.P.D. Thomae Belestà et Cambeses Presbyteri Zamorensis, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici. Inter academicos socios Immaculatae Conceptionis et Religionis catholicae Romae adscitus, Missionarius Apostolicus et Serenissimi Regis Catholici, Poenitentiarius atque Praedicator adlectus est. Salamantina in Cathedrali Parochum et eiusdem Pontificiae Universitatis Rectorem aliquando agens, universae Teresianae associationis Praeses effectus est. Sanctitatis suae Domesticus Antistes renunnciatus et Salamantinae Cathedralis Archidiaconi dignitate hucusque honestatus est.

Episcopalem ecclesiam Rhaesinen. sub Archiepiscopo Amidense in partibus infidelium vacan. per successionem R. P. D. Francisci Mac-Neirny ad Sedem Albanensem in America, favôre R. D. Thomae Bichi Presbyteri archidioeceseos. Penes universitatem Calaritanam Socius Conlegii legalis adscriptus, ibique iuris canonici Professor supplens electus, Vicarii Capitularis munere pro Arborensi archidioecesi plures per annos perfunctus est. Eadem in metropolitana principe Archipresbyteratus dignitate hodiedum honestatus, ac pro ipsa civitate atque archidioecesi Vicarius in spiritualibus Generalis ad praesens usque renunciatus est.

Episcopalem ecclesiam Hypsopolitan. sub Archiepiscopo Synnadense in partibus infidelium vacan. per obitum bo. me. Ioannis Gray, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Hyacinthi Mariae Cervera et Cervera Presbyteri Valentinae archidioeceseos. Qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem Emi ac Rmi Domini Emmanuelis Titulo s. Stephami in Monte Caelio S. R. E. Presbyteri Cardinalis Garcia Gil, Archiepiscopi Caesaraugustani, ad pontificalia, caeteraque pastoralia munia de eius consensu ac lubito, illa in civitate et archidioecesi obeunda. Animarum curae pluribus annis addictus, atque Conchensi in seminario theologiae moralis Professor adlectus, dignitate Archipresbyteri ss. Salvatoris apud Caesaraugustanam Ecclesiam Metropolitanam ad praesens usque cohonestatus est.

Episcopalem ecclesiam Milen. sub Archiepiscopo Rhodiense in partibus infidelium vacan. per obitum bo. me. Thomae Oliffe, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Marcelli Spinola et Maestre Presbyteri dioeceseos Gaditanae. Ad s. Laurentium Hispali Parochum et vices Archipresbyteri prius agens, quasdam charitatis sodalitates dirigens, et Missionarius Apostolicus adlectus, pro dioecesibus Hispalensi, Gaditana ac Santanderiensi Examinatoris Synodalis munere perfunctus est.

Cathedralem ecclesiam Victorien. vacan. per dimissionem a R. P. D. Sebastiano Herrero et Espi-

nosa de los Monteros, ultro libenterque in manibus sanctitatis suae peractam, et ab Eadem admissam, favore R. P. D. Mariani Miguel Gomez, hactenus Antistitis Segobricensis, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SEGOBRICEN. vacan. per translationem ad Sedem Victoriensem R. P. D. Mariani Miguel Gomez favore R. D. Francisci Assisii Aguilar et Serrat. Presbyteri dioeceseos Vicensis, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum licentiae gradu donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus, praesertim Dei verbum praedicando, naviter incubuit. Scientiis ecclesiasticis Vicensi in seminario, ac alibi tradendis, atque studiis associationis catholicorum pro Hispaniis addictus, Rector dioecesani seminarii Cordubensis hucusque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM TERULEN. cui ex Apostolicis Literis « *Ad Vicariam* » datis nonis Septembris 1851 Albaracinensis Ecclesia est unienda, vacan. per obitum bo. me. Francisci de Paulà Moreno et Andreu, postremi illius Antistitis extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonii Ibañez et Galiano, Presbyteri dioeceseos Carthaginensis, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici. Parochus-Archipresbyter in urbe de Yecla, dioeceseos de Carthagena, pluribus annis hucusque renunciatus, ibidem suis sumptibus monasterium monialium a Conceptione, pauperumque senium asylum aedificavit, et Ecclesiam parochialem perfecit.

Per Breve autem pontificium collatae fuere sequentes Ecclesiae:

ECCLESIA CATHEDRALIS SYREN. in mari Aegeo collata fuit R. P. Theofilo Massucci e Castignano, Praefecto Apostolico PP. Reformatorum Costantinopoli.

ECCLESIA CATHEDRALIS KINGSTONIEN. in Canada collata fuit R. D. Iacobo Cleary, Parocho e Dungarvan, Dioecesis Waterford.

ECCLESIA EPISCOPALIS HETALONIEN. in *part. infid.* collata fuit R. P. Enrico Seaap Congregationis SSm̃i Redentoris, Vicario Apostolico e Surinam.

ECCLESIA EPISCOPALIS AURELIOPOLITAN. in *part. infid.* collata fuit R. P. fr. Ignatio a Villafranca, ex Ordine Capuccinorum, Vicario Apostolico Insularum Seychelles.

ECCLESIA EPISCOPALIS KYRINEN. in *part. infid.* collata fuit R. P. fr. Benedicto ab Assisio ex Ordine Capuccinorum, Vicario Apostolico Patnensi.

ECCLESIA EPISCOPALIS CAPSEN. in *part. infid.* collata fuit R. D. Augustino Chausse, alumno Seminarii Missionum exterarum Parisiorum, deputato in Coadiutorem cum futura successione Praefecti Apostolici e Kouang-Tong in Sinis R. P. D. Zeffirini Guillemin, Episcopi Cybistrensis in *part. infid.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

SUPER ELEEMOSYNIS MISSARUM

Die 31 Ianuarii 1880.

Compendium facti. « Plures Episcopi in Galliis, Apostolicum » obtinuerunt indultum, cuius vigore Parochi facultatem habent, » certis diebus, quibus aliunde Missa pro populo dicenda foret, » ss. Sacrificium ad intentionem stipendium dantis celebrandi; » ea tamen lege ut illud stipendium ad Episcopos mittatur et » pro piis operibus Dioecesanis a s. Sede determinatis impen- » datur. Porro cum fideles pro hac Missa eleemosynam, stipendio » ordinario pinguiorem, saepe saepius offerant, Parochi non pauci, » misso, ut par est, ad Episcopos stipendio a statutis dioecesa- » nis taxato, quod superat servari sibi licitum esse vindicant; » quia adest, inquiunt, pro hac parte eleemosynae retinenda, ti- » tulus extrinsecus, nempe vel *labor extraordinarius*, si Missa » sit cum cantu, si aliquod iter sit faciendum, si Missa fuerit » publice praenuntiata in dominica praecedenti; vel praesertim » *liberalitas*, intuitu solius personae *sponte et evidenter* impertita.

De hac quaestione actum fuit in collationibus ecclesiasticis, Dioecesis L. sed diversimode quaestio enucleata. Hinc a sede Apostolica quaesitum est quid in praxi tenendum sit.

Disceptatio Synoptica

Animadversiones quoad ius. Quod Sacerdotes sacrum facientes stipendium seu eleemosynam a Christifidelibus oblatam accipere licite valeant, nullo modo ambigi posse videtur. Apostolus enim ad *Cor. IX. 13* ait - ibi - « *Nescitis quoniam qui in sacrario*

operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt cum altari participant. » Post alligatam Apostoli adeo coruscantem doctrinam, mirum non est, si huiusmodi consuetudo seu disciplina ab Ecclesia universali iugiter recepta fuerit. Animadvertendum tamen est, quod stipendium pro Missae celebratione adsignatum, percipi quidem potest non tamquam Missae pretium vel compensatio, id enim simoniacam labem redoleret, sed ut medium ad ministri vitae sustentationem ordinatum. Tradunt id communiter Theologi et Canonistae cum D. Thoma, teste *Bened. XIV de Synod. Dioec. lib. 5 cap. 8. Reiffenst. lib. 5 Decret. tit. 3 De Simonia cap. 10 n. 185 et seq.*

Nec refert dives ne, an pauper sit Sacerdos et utrum aliunde habeat quo vitam ducat. Etenim quisque operarius sive pauper, sive dives sit, mercede sua dignus est. Hinc Fagnanus in *Cap. Fraternitatis de sepulturis num. 83* ait - ibi - « *Sacri Canones in assignatione stipendii non considerant paupertatem, sed mercedem laboris, cum nemo militet propriis stipendiis.* » Illud tamen *mercedem laboris,* intelligendum est de labore Missae celebrationi utpote pretio extimabili extrinseco, non vero de labore ipsi celebrationi intrinseco, ab eaque inseparabili, hoc siquidem simonia foret. *Arg. 6 si quis obiecerit 1 q. 3 et cap. Ad nostram de Simonia,* Amostaz *de Causis Piis lib. 2 Cap. 4 num. 2,* Reiffenst. *Theol. Moral. Tract. 5 dist. 2 qu. 4 num. 33.*

Attamen huiusmodi stipendia tractu temporis, forte ob effraenatas hominum cupiditates, sordidis quaestibus ac innumeris incommodis occasionem praebuerunt, ad quae evellenda plures sanctissimae leges atque decreta, diversis temporibus, ab Ecclesia data sunt, ceu videre est apud Bened. XIV *Instit. Eccl. 56, De Synod. Dioeces. lib. 5 Cap. 9, De Sacr. Miss. l. 3 cap. 21.* Sed missis caeteris legibus, quae antiquitus latae fuerunt, satis sit in praesentiarum ea recolere quae ad rem decrevit Synodus Tridentina *Sess. 22 Decret. de observ. et evit. in celebr. Miss.*

Post haec Conc. Trid. verba notatu maxime digna, nemini mirum esse debet, si Romani Pontifices quovis tempore, supremae eorum pastoralis sollicitudinis esse duxerunt, omnia proscribere atque reprobare quae contra tanti sacrificii dignitatem sancti-

tatemque irrepserant, vel quae detestabilem avaritiam turpemve quaestum redolent. Venit praeprimis celebris Constitutio Urbani VIII, quae incipit *Cum saepe* die 21 Iunii 1625, super celebratione Missarum edita, ex qua nonnulla excerpere iuvabit, quae ad rem nostram faciunt. Porro in §. 5 memoratae Constitutionis Pontifex, *omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.* At cum, non obstante memorata Urbani VIII Constitutione, plures abusus denuo irrepsissent, Innocentius XII eos evellendos aggreditur, decreta Urbani VIII renovando et confirmando per Apostolicam Constitutionem, quae incipit *Nuper* decimo Kalendas Ianuarii 1697 in vulgus editam.

Attamen quaestus aviditas ac turpis avaritia aevo praeterito eo progressa erat, ut Bened. XIV Constitutione quae incipit *Quanta cura* sub die 30 Iunii 1741 data, coactus fuit ecclesiasticis poenis in laicos animadvertere atque suspensionem, ipso facto incurrendam et Pontifici reservatam, contra eos sacerdotes infligere, qui stipendia maioris pretii pro Missis celebrandis, iuxta consuetudinem vel statuta locorum colligendo, dant operam, ut Missae celebrentur, parte sibi retenta.

Hisce omnibus accedit tandem altera nuperrima Constitutio Pii Papae IX, quarto idus Octobris 1869 data, quae incipit *Apostolicae Sedis*, ex qua retenta tantum fuit excommunicatio maior, quae cum contra *colligentes* in genere lata fuerit, tum laicos, tum Ecclesiasticos comprehendere videtur, sublata contra hos suspensionis poena, de qua mentio haud fit. Dicitur enim ibi *sect. 2 num. 12.* « *Colligentes eleemosynas* maioris pretii » pro Missis et ex his lucrum captantes, faciendo eas celebrare » in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent ». Ex hactenus expositis concludi posse videtur, stipendium seu eleemosynam pro Missa celebranda oblatum, licet pinguissimum, illi ex integro tribuendum esse, qui celebrationis laborem tulit, quicumque sit qui eam celebrat. Cuius rei rationem tradit Pignatellus *Consult. Canonic. tom. 4. cousult. 227 num. 7 et seqq.*

Ea quae consuetudini adversantur. Hisce in iure praeiactis, videtur agendi ratio, quam nonnulli Parochi in quibusdam Galliarum dioecesibus tenent, allatis Constitutionibus contraria reperiri, et simoniae vitio laborare; ideoque omnino tolerari haud posse. Siquidem explorati facti est, Apostolicum indultum Parochis concessum, celebrandi nempe iuxta intentionem stipendium seu eleemosynam dantis, ss. Missae Sacrificium, quae pro populo applicanda foret, haud absolute et inconditionate a Pontifice datum fuisse, sed ea lege ut oblatum a Christifidelibus stipendium ad Episcopos mitteretur, et pro piis operibus Dioecesanis a s. Sede determinatis impenderetur. Si igitur firmum in iure est quod celebranti ex integro eleemosyna sit tradenda, consequens est, ut eleemosynae in themate pro Missis oblatae, pariter piis operibus ex integro applicentur, quin Parochi ullam partem sibi retinere valeant. Eo vel fortius quia Pontifex, tali privilegio apostolico, ad Parochorum conditionem non respexit; sed piorum operum, iis in locis existentium, favorem unice in mente habuit. Porro si Parochorum hypothesis recipienda foret, Pontificis indultum, non ad unicum piorum operum favorem respexisset, sed commodum etiam Parochorum eorumque lucrum pro fine habuisset.

Praeterea explorati pariter facti est, quod huiusmodi Missarum celebrationes, stant loco earum quae a Parochis pro populo celebrandae forent. Porro sicut Parochi ex Missis festivis ab Ecclesia designatis, quae pro populo celebrantur, nihil recipiunt omnino, ita a pari nullam vel minimam eleemosynae partem, ex iis Missis quae a Fidelibus celebrandae afferuntur, sibi retinere posse, recta ratio dictat. Ubi enim eadem est ratio, ibi et eadem legis dispositio esse debet.

Hisce itaque tum in iure, tum in facto perpensis, tuto concludi posse videtur, hanc agendi rationem nullo pacto sustineri posse.

Ea quae consuetudini favent. Ex altera vero parte nonnulla occurrunt animadvertenda. Non est inficiandum quod Sacerdos, si alteri, Missam a se celebrandam committit, stipendium ipsi oblatum, quantumvis assueto pinguius, ex integro tradere

eidem tenetur, cum nulla adsit pretiosa ratio, quae partem accepti stipendii, a se retineri posse suadeat. Attamen ambigendum non est, quandoque dari posse alios titulos ipsi celebrationi extrinsecos, propter quos si offeratur eleemosyna communi taxâ pinguior, ille qui onus celebrandi in alios transfert, licite potest sibi, quidquid illam excedit, retinere; ea tamen conditione, ut eleemosynam manualem, iuxta morem regionis, vel iuxta taxam ab Episcopo praefinitam, sacerdoti celebranti concedat. Idque optimo sane iure, huiusmodi enim tituli per accidens solum spirituali ministerio annectuntur et sunt per se pretio aestimabiles. Porro huiusmodi tituli, iuxta doctrinam ab omnibus rerum ecclesiasticarum scriptoribus atque moralistis traditam plures esse possunt, atque locum habere queunt ex variis et diversis rationibus in Missis adventitiis sive lectis, sive cantatis. Siquidem quandoque eleemosyna, assuetâ pinguior, concedi solet, vel *intuitu personae*, scilicet propter ipsius dignitatem, vel officium, vel paupertatem, vel propinquitatem vel gratitudinem s. *Alphonsus lib. 4 tract. 3 de Euchar*. atque in huiusmodi casibus excessum communis taxae retineri posse, nullo pacto inficiari posse videtur.

Hanc theoricam, utpote sacris Canonibus consentaneam, S.C.C. pluries confirmavit, praesertim vero in *Colonien. diei 25 Iulii 1874 super Eleem. Missarum* (1). Etenim Archiepiscopo quaerenti, quid sentiendum de Parochis, quibus offeruntur eleemosynae pro Missis cantandis, sive secundum taxam ab Ordinario constitutam, sive etiam sponte traduntur pinguiores, num scilicet sacerdotibus, eorum vices supplentibus, tradere debeant integram eleemosynam; an potius eis fas sit, retenta sibi parte, minorem eleemosynam dare celebranti? S. C. C. sub memorata die respondendum censuit: *Ad 3 integram eleemosynam solvendam esse, nisi morali certitudine constet, excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae ipsius Parochi*. Atqui praeter memoratos titulos et alii recensentur, qui pariter tamquam pretio extimabiles habentur. Quando scilicet stipendium, communi maius, iutnitu *laboris extraordinarii* elargitur, vel quia agitur de Missa

(1) Huiusmodi quaestio prostat Vol. VIII pag. 75.

cum cantu, vel quia de Missa sermo est, nimis cito, vel versa vice nimis sero celebranda, vel tandem quia aliquod iter est faciendum. Cum itaque ob unum ex hactenus adductis, fortius vero si omnia concurrant, sacerdotem, qui in alterum Missae celebrandae onus transfert, posse assueti stipendii excessum sibi retinere Theologi et Moralistae communiter tradunt, concludendum videtur quod Parochi in themate eleemosynae Missarum excessum sibi retinere possint et valeant. Quandoquidem tituli extrinseci pro hac eleemosynae parte retinenda, si Parochis fides praestanda, in themate adesse videntur.

His utrinque perpensis EE. PP. dirimere remissum fuit sequens

Dubium

An Parochi, misso ad Episcopum stipendio a statutis Dioecesanis taxato, valeant sibi Missarum eleemosynae excessum retinere in casu.

Resolutio. Sacra C. Congregatio sub die 31 Ianuarii 1880 censuit respondere:

Negative, nisi morali certitudine constet, excessum communis eleemosynae, oblatum fuisse intuitu personae vel ob maiorem laborem aut incommodum.

Ex quibus colliges: I Cum nemo militet propriis stipendiis, ideo *qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant.*

II Huic Apostoli Pauli doctrinae inniti consuetudinem, qua fit, ut Sacerdotes sacrum litantes, eleemosynam a Christifidelibus oblatam accipere valeant, non ut Missae pretium, sed uti medium, ad ministri vitae sustentationem ordinatum.

III Effraenatas vero presbyterorum cupiditates, tractu temporis effecisse, ut stipendia haec innumeris incommodis aut sordidis quaestibus occasionem praebuerint, quae sacrificii dignitatem et sanctitatem inficerent.

IV Romanos Pontifices et Concilia pluries damnavisse quidquid redoleret avaritiam aut turpem quaestum, quoad eleemosynas Missarum.

V Inde prohibitum districte fuisse Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleëmosynae sibi retenta, celebrandam committat.

VI Sacerdotes enim eleemosynas suscipientes, easdem non acquirunt nisi ratione obligationis ad offerendum sacrificium, tamquam cum ipsa connexum; ideoque transferendo in alium obligationem, etiam titulum retinendi stipendium in eumdem transferunt.

VII Facile etiam deprehendi, quod retinentes stipendiorum partem, agunt contra dantis voluntatem, qui voluit ut stipendium, intuitu oneris datum, transiret cum ipso onere et ad eum pertineret, qui onus impleret.

VIII Quod si totum stipendium celebranti ex iure debetur, consequi in themate, eleemosynas pro Missis oblatas, piis operibus ex integro applicandas esse; quia Pontifex tali privilegio earumdem unice favorem in mente habuit, minime vero Parochorum conditionem.

IX Parochos ideo, has celebrando Missas, quae stant loco earumdem quae ab eisdem pro populo celebrandae forent, nullam stipendiorum partem sibi addicere posse, nisi *moraliter* certi sint, quod eleemosynae communis excessus, elargitus fuerit alio titulo, prorsus celebrationi extrinseco, nempe intuitu personae ipsius Parochi.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

SUPER ADSCRIPTIONE ABSENTIUM SIVE PIIS UNIONIBUS, SIVE CONFRATERNITATIBUS.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Ne quid deesset pro explanatione quaestionum propositarum, super adscriptione facienda in tabulis Confraternitatum et piarum Unionum, ex officio inter alia animadversum fuit, Romanos Pontifices, quovis tempore, sollicitos fuisse de Confraternitatibus aliisque piis aggregationibus. Siquidem easdem tum locales unius oppidi, tum generales ad omnes Christifideles pertinentes probarunt indulgentiisque ditarunt. Qua de re, ut pia sodalitia proposito fini responderent et incrementum caperent, multa praescripta fuere per Constit. *Qaecumque* Clementis VIII. Verum promulgata huiusmodi Constitutione, in quibusdam sodalitiis graves abusus irrepere coeperunt. Ita ut Confraternitates, pro determinatis locis institutae, praesumerent in socios recipere qui in aliis regionibus morarentur, quique adscribi nequiverant ad effectum lucrandi indulgentias. Re delata ad Supremam Congr. Inquisitionis (1) recensiti abusus damnati, et ipsae adscriptiones irritae declaratae fuere.

(1) Sacra Cong. Inquisitionis die 17 Novembris 1689 nullas et invalidas descriptiones confratrum et consororum declaravit, quia Confraternitati sub invocatione B. M. Virginis... erectae in parochiali ecclesia s. Petri oppidi Monachii, adscribebantur omnes Christi fideles, variis in locis degentibus, *contra mentem Pontificis expressam in dicto Brevi, in quo praecipuae indulgentiae concessae leguntur dictae Confraternitatis Confratribus et Consororibus, certis anni diebus ecclesiam parochialem praefatam oppidi Monachii devote visitantibus.* Idem damnavit ipsa Congr. et reprobavit per aliud decretum diei 12 Julii 1703 apud alias Confraternitates erectas Oeniponti, Taurini, et in Civitate s. Fidei.

Successu temporis aliae consuetudines omnino improbandae, induci coeperant. Nam nonnulli moderatores sodalitatum, cum possent per seipsos, ex iure sibi commisso, adscribere socios, nulla accepta facultate, alios subdelegabant ad idem munus. Hasce ut aboleret consuetudines, variis temporibus s.C. Indulgentiarum nonnullas dedit litteras, ut moderatores revocaret ad observantiam Clementinae Constitutionis. (1) Sed nihil adhuc de causa absentium, in hisce deliberationibus, si excipias decretum latum in Americana novi Regni Hispanici, die 28 Aprilis 1761. Quapropter ut remedium pararetur etiam controversiis et abusibus in posterum praecavendis, excogitatum est expedire ut qui vellent sodalitatibus nomen dare, adigerentur personaliter accedere ad ipsarum sodalitatum Moderatorem. Hinc prodiit decretum diei 13 Aprilis 1878 (2) quo instaurata fuit resolutio diei 28 Aprilis 1761 in Americana; ita ut retineri possit decretum hoc generale evasisse pro omnibus proprie dictis Confraternitatibus. (3) Attamen non aeque perspicuum videtur utrum eâdem praescriptione huius decreti obstrictae maneant Piae uniones, seu piae quaedam Societates, quae nullo modo possunt veris Confraternitatibus accenseri. Pro negativa sententia haec animadvertenda sunt. Etsi Confraternitates et Piae uniones quandoque communi vocabulo appellari soleant, tamen una institutio, multiplici sub respectu, ab altera distinguitur. Siquidem Confraternitates constituunt unum corpus, quod certis legibus regitur sive quoad admissionem sociorum, sive quoad conventus habendos, sive quoad munia adimplenda quibusdam praefinitis

(1) Sacra Congr. Indulgentiarum sub die 20 Martii 1871 litteras dedit ad Moderatorem Sodalitii erecti Parisiis, sub Titulo *Immaculati Cordis Mariae;* et sub die 2 Aprilis 1871 alias dedit litteras ad Episcopum Burgi s. Donnini, ut eliminaretur abusus nominandi subpromotores absque debita facultate.

(2) Recole decretum huiusmodi Vol. XI pag. 157 har. ephem.

(3) Huius decreti instaurationi causam dedit, id quod eveniebat in Archisodalitate *Dominae Nostrae* SSmi Cordis Exolduni in Dioecesi Bituricensi erecta. Nam Rector, cui data fuerat facultas adscribendi fideles et aggregandi alias Sodalitates tantum in praedicta Dioecesi, per se et per alios a se designatos, variis in locis, solebat socios adsciscere, et aggregationes facere extra Dioecesim. Ex quo fiebat ut discordiae orirentur inter Sodalitium hoc, et aliud eiusdem nominis in urbe erectum, ampliorique facultate munitum.

temporibus et locis; dum contra nihil eiusmodi reperitur in piis unionibus, in quibus Socii illud tantum propositum sibi habent, ut certa pietatis officia peragendo, vel etiam tantummodo assignatas preces recitando, participes fiant Indulgentiarum, et aliarum spiritualium gratiarum.

Vix tamen promulgato decreto, multi Episcopi, et alii, ipsis Episcopis faventibus, ad s. Sedem confugiendum esse censuerunt. Et loquentes de causa piarum Unionum, retulerunt, suo iudicio, bonum earumdem provehi amplius non posse, si vi decreti praesentia personalis pro adscriptionibus requiratur. Iidem etiam addunt in nonnullis casibus certam iacturam et interitum ipsarum piarum Unionum timeri debere, nisi eae vel per modum exceptionis vel per dispensationem ab observantia decreti immunes evadant.

Qui vero petitiones exhibuerunt pro Confraternitatibus proprie dictis, quae tamen etiam in dissitis regionibus possunt sibi socios adsciscere, affirmant, stante decreto, iam ex parte iacturam praedictarum Confraternitatum contigisse. Quare fere omnes postularunt ut per dispensationem usum adscribendi per litteras inveteratum, retinere possint. Perpensis igitur petitionibus, censendum esse videtur, quod causâ huius decreti, talia incommoda evenerunt, quae nedum incrementum piarum Iustitutionum impedirent, sed earumdem existentiam in discrimen adducerent.

Memoriâ etiam repetendum quod iam nonnullae concessiones et declarationes factae sint, praesertim quoad pias Uniones. Per Breve pontificium diei 6 Martii 1879 indultum fuit Piae Unioni, cui titulus — *Sainte Ligue du Voeu national* — ut in perpetuum absentes inter socios cooptarentur. Et Opus Propagationis Fidei, per litteras Emi Praefecti diei 18 Iunii 1879, relatum fuit non obstringi hoc decreto. (1)

Hisce praemissis enodanda proposita fuere sequentia

Dubia.

I Utrum decretum diei 13 Aprilis 1878 prohibens inscri-

(1) Habes has litteras Vol. XII pag. 430 har. ephem.

ptionem absentium, ad pias uniones et ad pia opèra, quae a veris Confraternitatibus distinguuntur, extendatur.

II Utrum et quomodo post editum memoratum decretum probanda vel permittenda sit inscriptio sociorum absentium, cum agitur de veri nominis Confraternitatibus.

III Quid respondendum quoad petitiones exhibitas a Moderatoribus Confraternitatum, praesertim ab Episcopis, qui postulant, non obstante decreto, adscribi posse praedictis Confraternitatibus absentes, per litteras et per interpositam personam, sive propter consuetudinem, sive propter novas rationes ab ipsa experientia desumptas.

IV Quaenam alia praescribenda in casu.

Sacra Congregatio Indulgentiarum diei 14 Iunii 1880 dubiis propositis providendum esse censuit per Instructionem tenoris sequentis:

Urbis et Orbis Declaratio Decreti diei 13 Aprilis 1878 de non adscribendis ad pias sodalitates absentibus.

Quum fidelium piis Sodalitatibus adscriptio per se actus sit Religionis et pietatis, adeo ut dies qua fidelis piae alicui Societati inscribitur plerumque a Sancta Sede Indulgentiis ditata sit, decet omnino ut ipsa inscriptio serio ac devote certo aliquo modo fiat ac debitâ formâ. Quamquam vero ad hoc per se non requiratur necessario *personalis praesentia,* quum etiam gravissima negotia *inter absentes* per litteras vel interpositam personam perfici possint, tamen ipsa personalis praesentia ex generali regula iure exigitur, ut adscribendorum devotioni potius quam numero consulatur, ac pluribus abusibus via praecludatur. Generalis haec regula ab hac Sacra Congregatione in Americana Novi Regni Hispanici die 28 April. 1761 indicata, novissime decreto Urbis et Orbis diei 13 April. 1878 instaurata est ac confirmata. Sed ea generatim in suo robore manente, plures sane exceptiones locum habere possunt, vel ex peculiari Sodalitatum quarumdam constitutione quae sua natura exceptionem postu-

lare videtur, vel ex specialibus quarumdam privilegiis, vel ex extrinsecis circumstantiis, vel ex benigna apostolica dispensatione: adeoque plures dubitationes, multoque plures petitiones pro favorabili exceptione ad hanc sacram Indulgentiarum Congregationem delatae sunt. Quibus omnibus mature perpensis, Emi Patres Sacris Indulgentiis praepositi, in Congregatione generali habita in palatio Apostolico Vaticano die 14 Iunii 1880 rescripserunt: Firmo remanente decreto diei 13 April. 1878, dubiis et petitionibus propositis providendum esse per appositam Instructionem et dispositivam Declarationem iuxta mentem panditam ab Emis Patribus in ipsa Congregatione pro opportunis exceptionibus.

I

Primo itaque iuxta mentem Eminentissimorum Patrum distinguendum est inter Sodalitates pro universo orbe catholico, ac Sodalitates pro certa tantum Dioecesi vel regione canonice erectas, relate ad quas fideles, qui extra limites locali Sodalitati constitutos commorantur, *absentes* dicuntur, imo vero non *simpliciter absentes*, sed etiam *extranei* dici possunt. Huiusmodi locales Sodalitates, quemadmodum ex. gr. Confraternitas B. M. V. Guadalupensis, de qua sermo est in Americana Novi Regni Hispanici, in Confratres admittere nequeunt *absentes* extra limites Sodalitatis: atque hic primus est sensus memoratae resolutionis sacrae Congregationis diei 28 April. 1761 atque hoc primum sensu adscriptiones *absentium*, tum decreto Urbis et Orbis diei 13 April. 1878, tum praesenti Instructione irritae omnino generali lege, *sine ulla nova exceptione* declarantur.

II

Sodalitates etiam universales, relate ad quas nulli sunt primo hoc sensu *absentes* seu extranei, nequeunt in Confratres admittere simpliciter *absentes;* scilicet requiritur ex iure adscribendorum personalis praesentia. At nullatenus mens fuit decreti, eam restringere ad locum ubi Sodalitas canonice erecta pro-

priam habet sedem ac centrum; sed sufficit adscribendorum praesentia coram quocumque, qui quocumque in loco delegatam vel subdelegatam legitime habeat adscribendi facultatem: non sufficit vero moralis, interpretativa vel repraesentativa praesentia per litteras aut alio quovis modo per interpositas etiam personas: atque hic alter est sensus quo adscriptiones *absentium* iuxta resolutiones in Americana et iuxta memoratum decretum irritae sunt, ac praesenti etiam Instructione irritae quidem generali lege, sed *cum infrascriptis exceptionibus* declarantur.

III

Quamvis generatim relate ad communicationem Indulgentiarum communes pro quavis Societate latae sint leges, praesertim in Constitutione Clementis VIII *Quaecumque*, tamen relate ad legem de non adscribendis *absentibus* eiusque exceptiones, aequum est distinguere inter Sodalitia quae strictiori sensu Collegia dici possunt, ut esse solent pleraeque proprii nominis Confraternitates ad modum organici corporis constitutae; et Sodalitia quae laxiori modo sociali vinculo colligantur, ut esse solent plures etiam Confraternitates et pleraeque piae Associationes, Congregationes, Aggregationes, Uniones ac Pia Opera, ut vocant. Inter plura discrimina quae ad praesentem scopum non refert, nec facile est, accuratius inquirere, illud maxime ad rem pertinet advertere, quod strictiori sensu Collegia, seu proprii nominis Confraternitates et Sodalitia quae ad illas in organica sui constitutione magis accedunt, soleant etiam iuxta proprias leges pro Sodalium inscriptione certam aliquam habere formam cum aliqua solemnitate ac ritu, ut publica candidatorum petitio ac praesentatio, probatio aliqua et novitiatus, vel saltem impositio habitus, scapularis, cincturae, quae ex sui natura personalem praesentiam requirunt. Pro huiusmodi itaque Sodalitatibus cuiuscumque sint nominis, nulla praesenti declaratione datur generalis ac ordinaria exceptio a lege de non adscribendis *absentibus:* tantum conceditur earum Moderatoribus earumque Delegatis ut in casibus singularibus dispensare possint

a statuta forma inter praesentes, ac *absentes* etiam per singularem seu extraordinariam exceptionem rite adscribere.

IV

Pro Sodalitatibus etiam, piis Unionibus, piis Operibus et cuiuscumque sint nominis Societatibus, quae nullam habent pro adscriptione sodalium formam ac caeremoniam inter praesentes, decretum quoad *absentes*, quantum fieri potest, rite servetur; et potius *praesentium* adscriptio facilior reddatur ac pro viribus promoveatur, multiplicatis canonice associationum centris auctoque pro opportunitate Zelatorum, Zelatricium, Promotorum, vel quovis nomine nuncupentur eorum numero qui iuxta approbatas Sodalitii leges non modo inscriptionum utcumque promovendarum officium, sed etiam *adscribendi subdelegatam habeant facultatem*. Sed quum id nec semper, nec ubique fieri possit, nec plane sufficiat, apostolica benignitate indulgendum esse videtur ut qui *praesentes* commode nequeunt, non omnino excludantur, sed quamvis *absentes* per litteras, vel interpositas personas, quae eos repraesentent, adscribi discrete valeant, vitando simul abusus quibus maxime praecavendis adscribendorum praesentia exigitur. Itaque quum plurium diversi nominis Sodalitatum ac piorum Operum vis et utilitas maxime sit in fidelium *numero*, qui ad varia pietatis et charitatis exercitia consociantur, ne praesentiae conditio impedimento sit felicibus Societatum incrementis, ac ne plurimi fideles bonae voluntatis ab inscriptionis beneficio contra decreti mentem praepediantur, sacra Congregatio, attentis plurium Sodalitatum et maxime Episcoporum postulationibus, praesenti hac dispositiva Declaratione, per amplam a littera legis exceptionem apostolica auctoritate declarat, etiam *absentes* ad huiusmodi pias Associationes adscribi posse, servata tamen decreti mente, spiritu ac scopo, ut scilicet non solum augeatur numerus, sed etiam adscribendorum devotioni consulatur, non temere, leviter ac turmatim collectis nominibus, sed discrete, ne alii, quantum fieri potest, inscribantur, nisi qui absentes quidem corpore, sed praesentes

spiritu, scientes et volentes piae Societati adscribi, iniuncta opera adimplere et Indulgentias lucrari intendunt.

V

Porro exceptiones speciales vel ob probata quarumdam Sodalitatum Statuta, quae absentium etiam inscriptionem includere aut supponere aut flagitare videntur; vel ob privilegia, vel ob singularem fidelium devotionem, sua directe mittendi nomina ad insignia quaedam Sanctuaria, Sodalitatum centra; vel denique ob varia Sodalitatum, personarum, locorum ac temporum adiuncta, partim iam vel declaratae, vel ad tempus concessae, quin necesse sit eas singillatim recensere, generali hac decreti benigna Interpretatione et dispositiva Declaratione simul omnes comprehenduntur, ratae habentur, confirmantur atque ampliantur.

Hanc vero sacrae Congregationis Instructionem et Declarationem, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII in Audientia ab infrascripto Cardinali eiusdem Congregationis Praefecto die 26 mensis Novembris 1880 habita, benigne approbavit et promulgari mandavit, ac sanatis prius, si quae factae fuerint, irritis *absentium* adscriptionibus, decretum diei 13 Aprilis 1878 in posterum iuxta praesentem benignam Interpretationem et dispositivam Declarationem observari praecepit.

Datum ex Secretaria sacrae Congregationis Indulgentiis ac sacris Reliquiis praepositae, hac die 26 mensis Novembris 1880.

ALOISIUS CARD. OREGLIA A S. STEPHANO PRAEFECTUS

Pius Delicati Secretarius

EX QUIBUS COLLIGES:

I Erui ex resolutione sacrae Congregationis Indulgentiarum diei 28 Aprilis 1761, ex decreto 13 Aprilis 1878, atque ex praesenti declaratione irritas esse adscriptiones Christifidelium

extra limites Dioecesis degentium, in qua localis sodalitas erecta est. (1)

II Quoad Sodalitates universales requiri etiam nunc personalem adscribendorum praesentiam, qui tamen adire valent vel moderatorem Sodalitii vel alias delegatas aut subdelegatas in variis centris personas, facultatem adscribendi habentes.

III Nullam dari exceptionem a lege generali de non adscribendis absentibus, quoad Sodalitia proprii nominis, quae strictiori sensu collegia appellari queunt; eoquod ex sui natura candidati expetunt praesentiam, qui probationem vel novitiatum peragere, aut scapulare, habitum aut cinturam recipere debeat.

IV Vi tamen instructionis huius, indulgeri Moderatoribus et personis delegatis harum proprii nominis Sodalitatum, quomodocumque appellentur, ut in singularibus casibus dispensare a statuta forma, et absentes rite adscribere, etiam per extraordinariam exceptionem, valeant.

V Quoad alia Sodalitia, quibus nulla est ceremonia pro adscriptione inter praesentes, augenda esse centra et personae quae subdelegatam habeant adscribendi facultatem, ut vis decreti, quantum fieri potest salva maneat.

VI Quoties auctus centrorum numerus ad opus satis non sit, Apostolica benignitate indulgeri ut qui commode praesentes nequeunt, adscribi possint absentes per litteras, vel per personas interpositas, ne fideles bonae voluntatis, contra decreti mentem, beneficio inscriptionis priventur.

VII Per huiusmodi declarationem omnes ratas haberi speciales exceptiones, quae absentium inscriptionem includere, supponere aut flagitare videntur, ob probata quarundam Sodalitatum statuta, ob privilegia, vel adiuncta sodalitatum, personarum, locorum ac temporum.

(1) Ratio est quia id esset contra mentem Pontificis expressam in brevi erectionis; quo favores et indulgentiae conceduntur certis ac determinatis personis in loco degentibus, ubi Sodalitium erectum est. Ideoque fideles extra limites localis Sodalitii morantes, nedum absentes, sed extranei dici queunt relate ad Indulgentias lucrandas.

APPENDIX V.

IN QUA PLURA REFERUNTUR DECRETA S. RITUUM CONGREGATIONIS

CASALEN.

In caetera pia Legata, quibus bo. me. Philippus Bottero oneravit Sodalitatem ab Immaculata Deiparae Conceptione nuncupatam in Civitate et Dioecesi Casalensi, ut ius conservaret in omnia et singula bona, de quibus illam testamento fecit haeredem, illud etiam fuit quod in Ecclesia Sodalitatis ipsius, singulis annis Festum Conceptionis cum interventu musicae celebrari deberet.

Exorta autem est nuper controversia inter Sodalitatem praedictam et alteram Ssm̃ae Trinitatis, an illa satisfecit enunciato pio Legato modo adhibendo in hoc Festo musicam, quam vulgo nuncupant *a piena orchestra,* modo tantum cum organo aliisque musicalibus instrumentis.

Delata vero cum fuerit eiusmodi controversia ad sacram Rituum Congregationem, eadem S. R. C., audita relatione ab infrascripto Secretario facta, nec non iuribus exhibitis mature accurateque perpensis, rescribere rata est: Attenta Episcopi attestatione satis in casu factum esse voluntati testatoris.

Atque ita rescripsit ac declaravit die 27 Aprilis 1877.

GORITIEN.

Perillis. et Rm̃e Dñe uti Frater,

Ab infrascripto sacrorum Rituum Congregationis Secretario relatae fuerunt Litterae ab Amplitudine Tua ad hanc sacram Congregationem Goritiae datae sub die 5 Februarii anni vertentis, in quibus A. T. explicabat quomodo se gesserat in functionibus Hebdomadae Sanctae ordinandis, et qua ratione, et quo sensu prohibuerit pium exercitium Viae Crucis in Hebdomada maiori.

Omnibus autem mature perpensis et consideratis, eadem sacra Congregatio insequentia duxit aperienda Amplitudini Tuae, videlicet, quod Comma illud quo in Instructione diei 17 Februarii 1876 prohibetur in maiori hebdomada solemne exercitium s. Viae Crucis revera ac si esset a spiritu et functionibus Hebdomadae Sanctae alienum, non adeo claro fulget sensu, ut aditum omnem praecludat latiori interpretationi, quae hac in re aut nullimode aut aegre admodum admitti valeat.

Optandum idcirco ut, data occasione, sensum in postremis tuis litteris 5 Februarii 1877 expositum;

vel in ipso Instructioois contextu A. T. enucleare non omittat ad omne aequivocationis periculum amovendum. Optandum pariter, ut A. T. sedulo perpendat et illa Instructionis praefatae verba: « Hoc sepulchrum optime inservire potest pro reponendis in separata capsula eiusdem sepulchri et hostia praesanctificata, et aliis hostiis in pyxide contentis. » Exploratum siquidem est Feria V in Coena Domini reponi in capsula tantummodo calicem cum hostia consecrata pro die sequenti reservata (Vide Rubric. Miss. dictae Feriae), non autem particulas consecratas in pyxide contentas, quae alibi, idoneo ac decenti loco, reponi et asservari solent.

Romae die 4 Maii 1877.

Perilli. et Rm̃o D. uti Fratri Archiepiscopo Goritien (1).

VIVARIEN.

Rm̃us D. hodiernus Episcopus Vivarien. a sacra Rituum Congregregatione humiliter insequentis Dubii solutionem expostulavit, nimirum:

An publicae venerationi, prouti in pluribus suae Dioeceseos locis iam obtinet, exponi possint simulacra, seu statuae D. N. I. C. suum Cor sacratissimum monstrantis Beatae Margaritae Alacoque, ad eius pedes provolutae?

Quod quidem Dubium quum subscriptus Cardinalis Praefectus in Ordinariis sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis retulerit, Em̃i et Rm̃i Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, auditis votis tum alterius ex consultoribus Theologis, tum Rm̃i D. Assessoris, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuere:

Negative, inconsulta Sede Apostolica iuxta Decretum sa. me. Alexandri Papae VII die 27 Septembris 1659. Atque ita rescripsere ac servari mandarunt die 12 Maii 1877.

RATISBONEN.

Eques Fridericus Pustet Typographus Ratisbonensis, novam Missalis Romani editionem cudere volens, insequentium Dubiorum solutionem a sacra Rituum Congregatione humillime imploravit, nimirum:

Dubium I. In ultimo Tractus versu Festi Annuntiationis B. M. V. die 25 Martii legitur: *Adducentur in laetitia et exultatione: adducentur in templum regis.* Quum hic Tractus idem sit cum Tractu ex Missa *Dilexisti* de communi Virginis, videtur legendum *Afferentur in laetitia* etc.

Dubium II. Feria VI post Dominicam Passionis in Secreta Missae Septem Dolorum B. M. V. non videtur legendum: *Suae suorumque sub cruce sanctorum consortium multiplicato piissimo interventu;* sed potius *suo suorumque* etc.

Dubium III. In ordine Missae post *Lavabo* in Oratione: *Suscipe, Sancta Trinitas,* plures recentiores Rubricistae graves, dicunt loco

(1) Decretum quod sequeretur in Collectione Gardelliniana habes vol. XI pag. 509.

in honorem B. Mariae semper Virginis esse legendum: *in honore B. M. semper V.* Estne horum sententia sequenda et correctio hoc in loco Missalis facienda?

Dubium IV. Festum Dedicationis Basilicae Ssmi Salvatoris die 9 Novembris in Rubricis Generalibus Missalis (Titul. XI de Symbolo) inter ea festa numeratur, in quibus dicitur: *Credo*. Nonne est apponenda in hoc festo Rubrica: *Et dicitur: Credo,* uti in festo Dedicationis Basilicae ss. App. Petri et Pauli die 18 Novembris?

Dubium V. Inter benedictiones diversas, quae in Missali inveniuntur: *Benedictio loci* concluditur *nunc et in omnia saecula saeculorum*. Dum in Rituali a sacra Rituum Congregatione approbato conclusio sonat: *nunc et semper*. Quid rectius?

Dubium VI. In Missa s. Bonifacii Episcopi et Martyris, modo apponenda in corpore Missalis, est ne pro *Lectio Libri Ecclesiastici,* substituendum: *Lectio Libri Sapientiae?*

Idem orator exquisivit etiam ut sequentia Dubia circa cantum ecclesiasticum decidantur, quum in ea materia Magistri chorales valde inter se dissentiant, videlicet:

Dubium I. Estne canendum: *Gloria in excelsis* et *Ite Missa est* in tono de B. M. V. infra Octavas Nativitatis Domini et Corporis Christi, uti iidem ex Graduali Romano et Sacra Rituum Congregatione approbato argumentantur?

Dubium II. Et si affirmative, estne canendum modo etiam in Festo sancti Stephani Prot., Ios. annis Ap. Ev. et in festis infra Octavam Nativitatis sicut in omnibus festis infra Octavam Corporis Christi incidentibus?

Dubium III. Et si rursus affirmative, estne canendum in genere: *Gloria in excelsis* et *Ite Missa est,* quoties Praefatio de Nativitate Domini dicenda est, in tono de B. M. V.?

Sacra vero eadem Congregatio, re mature accurateque perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Legendum *adducentur in laetitia.*

Ad II. Legendum: *suo.*

Ad III. Legendum: *in honorem.*

Ad IV. Legendum: *et dicitur Credo.*

Ad V. Legendum *nunc et in omnia saecula saeculorum.*

Ad VI. In Missa s. Bonifacii ad Epistolam legendum: *Lectio Libri Sapientiae.*

Relate vero ad Dubia quoad Cantum rescribendum censuit:

Ad I. II. et III. Affirmative. Atque ita rescripsit die 25 Maii 1877.

ALBINGANEN.

Rme Dne uti Frater,

Exposuit Amplitudo Tua huic Congregationi sacrorum Rituum quo Antecessor tuus sive ex multiplicitate furtorum sacrilegorum, sive ex paupertate ad quam redactae sunt fere omnes Ecclesiae Dioecesis Albinganen. non solum permisisse sed etiam suasisse Administratoribus parochialibus vasa sacra ex metallo quocumque, dummodo solido confecta, et dummodo cuppae Calicum et Pyxidum, ac Pa-

tenae intus auro essent oblinitae. Quum vero ex responsione, quam Amplitudo Tua asserit sub die 20 Martii anni 1876 datam fuisse Rmo Dno Episcopo Astensi, appareat cuppam Calicum omnino debere esse vel auream vel saltem argenteam intus auro oblinitam ; Ipsa Amplitudo Tua, attentis expositis ac praesertim prae oculis habens paupertatem Ecclesiarum, ab eadem Sacra Congregatione postulavit ut aut Ecclesiis suae Dioeceseos permittatur adhuc acquirere Calices, quorum cuppae sint ex metallo aurichalco vel cupro confectae, vel saltem ut in praedictis Ecclesiis eorumdem Calicum iam emptorum usus continuari possit sine limitatione temporis.

Sacra vero eadem Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae per infrascriptum Secretarium facta, rescribere rata est: Communicetur Rmo D. Episcopo Oratori Decretum in una Romana die 16 Martii anni 1876. (1)

Romae die 28 Maii 1877.

Rmo Dno uti Fratri Episcopo Albinganensi.

ARETINA

Caeremoniarius Episcopi Aretini, quando Episcopus solemniter cantat Vesperas, solet distribuere antiphonas iuxta ordinem in Caeremoniale Episcoporum praescriptum quarta autem intonatur a primo Canonico in choro manente in cornu Evangelii: et cathedra Episcopalis sita est in eodem cornu Evangelii et unita sedibus Canonicorum. Caeremoniarius vero Rmi Capituli s. Mariae Plebis eiusdem Civitatis putat quod quarta antiphona non a primo Canonico in choro manente in cornu Evangelii, sed ab altero primo Canonico in choro manente in cornu Epistolae sit intonanda; propterea quod antiphonae post celebrantem intonandae sint ab iis qui digniorem hinc inde chori locum occupant; et propterea quod in hac antiphonarum intonatione non persona sed locus attenditur. Et hic secundus Caeremoniarius arbitratur quod post episcopalem cathedram, ut supra positam, sit a cornu Epistolae non a cornu Evangelii primus, chori locus.

Ad quam quaestionem solvendam duo sacrae Rituum Congregationi proposita sunt Dubia, videlicet:

Dubium I. Qui sit primus chori locus in Ecclesia Cathedrali post episcopalem Cathedram?

Dubium II. A quonam primo Canonico intonanda sit quarta antiphona in Vesperis solemniter ab Episcopo cantatis, an ab eo manente in cornu Epistolae, an ab eo altero manente in cornu Evangelii?

Sacra vero Congregatio, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, propositis Dubiis respondendum censuit:

Ad I. Primus locus in casu est qui immediate sequitur cathedram Episcopalem.

Ad II. A primo Canonico e dignioribus seu senioribus. Atque ita rescripsit seu servari mandavit die 19 Iunii 1877.

(1) Habes decretum hoc Vol. VIII pag. 425 datum 20 Martii 1875. In collectione vero adiicienda Gardellinio datum est 16 Martii 1876.

DOCUMENTA

Respicientia Encyclicam quoad Bulgaros et Slavos. (1)

Cum tot et tantis referta sit thesauris doctrinae et historiae, Epistola Encyclica SSmi Dñi Nostri Leonis Papae XIII de Bulgaris et Slavis; haud ingratum fore eruditis viris duximus quaedam Pontificia documenta saltem innuere, ex quibus magis magisque eadem Epistola illustretur ac maiori etiam si fieri possit, lumine praefulgeat. Erit eruditorum virorum has notulas epistolae connectere vel ad alia studia usurpare.

Patrologia Migne Vol. CXIX — pag 978

Responsa Nicolai Papae I ad Consulta Bulgarorum

Ad consulta vestra non multa respondenda sunt, nec duximus per singula diutius immorari, qui Deo auctore non solum libros divinae legis, verum etiam et missos nostros idoneos, qui vos prout tempus et ratio dictaverit, de singulis instruant, ad patriam vestram et ad gloriosum regem vestrum dilectum filium nostrum destinavimus, quibus et libros necessarios illis nunc esse commisimus

1 De necessitate fidei ad salutem.
2 De nuptiis inter consanguineos non contrahendis.
3 De caeremoniis sacramenti matrimonii non necessariis, necessario substantialiter remanente mutuo consensu.
4 De ieiuniis.
5 De abstinentia a carnibus feria sexta.
6 De balneis sexta et quarta feria non prohibitis.
7 De Cruce cum reverentia deferenda.
8 De Cruce osculanda et deferenda in Quadragesima.

(1) Habes encyclicam hanc Vol. XIII pag. 145 har. ephem.

9 De Communione sumenda in Quadragesima.
10 De abstinentia a laboribus die Dominico.
11 De aliis Festis in quibus a labore cessandum.
12 De iudiciis non exercendis in die festo.
13 De lege civili.
14 Reprehendit quod nasum et aures truncassent cuidam graeco, qui se sacerdotem falso dicebat.
15 De baptismi validitate collati ab eodem falso sacerdote.
16 De poenitentia agenda propter truncationem nasi et aurium supradicti.
17 Item de venia obtinenda pro clade nimium crudeli peracta contra rebelles christianos.
18 De apostatis non persequendis sed cohibendis et convertendis.
19 Rex iudicet rebelles et conspiratores.
20 Non condemnandi qui de patria exeunt.
21 Parcendum servo a fuga regredienti.
22 Punitio misericordiae detur militibus coram hoste fugientibus.
23 Item illis qui contra hostes progredi recusant.
24 De reo puniendo iuxta leges, salva Ecclesiasticae immunitatis reverentia.
25 Custodes aliquando negligentes non puniantur morte.
26 Item homicidae iuxta legem puniantur, salva Ecclesiasticae immunitatis reverentia.
27 Item de aliis homicidis.
28 Adulteri iuxta legem canonicam puniantur.
29 Item alia peccata carnis.
30 Qui alium invitus interficit, ab Episcopo iudicetur.
31 Fures animalium iuxta leges tractandi.
32 Item raptores viri vel foeminae.
33 In bello vexillum potius, quam caudam equinam, signum Crucis deferre decet.
34 Diebus valde solemnibus non praeliandum, nisi extrema adsit necessitas.
35 Quando in praelium proceditur missa audiatur, potius quam incantationes vel auguria consulantur, quae diaboli sunt.

36 Die Dominico non committatur praelium ut supra.
37 Libros qui poscuntur, mittemus.
38 In castris orandum pro victoria.
39 De matrimonio inter consanguineos non contrahendo.
40 Qui arma et caballos pro bello parare segnes fuerint, non morte puniantur, potius arma Christi comparanda.
41 Qui fidem christianam recusant, non per vim sed per monita et exhortationes adducantur.
42 Rex manducet solus vel cum aliis iuxta beneplacitum; humilitas tamen suadetur.
43 Omnia animalia manducari possunt.
44 In quadragesima a venatione abstinere praestat.
45 In Quadragesima iudicia exercere licet, orationes tamen non omittantur.
46 Item praeliari in quadragesima sine necessitate non convenit.
47 Item iocari.
48 Nec nuptias celebrare.
49 Quidquid ante baptismum fiebat licet continuare, dummodo legibus et fidei christianae non adversetur.
50 De culpis in matrimonio commissis episcopus iudicet.
51 Duas uxores omnino illicitum est habere.
52 Lex prohibet aliquem eunuchizare.
53 In mensa absente sacerdote bonum est crucem apponere.
54 Non praecipitur manus in Ecclesia iunctas habere.
55 Ad Communionem cum cingulo liceat accedere.
56 Pro serenitate vel pluvia licet orare et ieiunare.
57 Comedere licet animalia ab eunuchis occisa.
58 Mulier in Ecclesia caput velatum habeat.
59 Femoralia quomodolibet deferre licet.
60 In die ieiunii non est mos aliquid comedere ante tertiam.
61 Semper oportet orare, sed nulla hora in die laicis praecipitur.
62 Cuiusdam lapidis incerta est virtus sanandi, et ideo respuendus.
63 Die festo usus matrimonii licitus, melius tamen abstinere.
64 Abstineat vir ab uxore quamdiu proles ablactatur.
65 Communionem sumere non licet nisi praecedente ieiunio.

66 Caput linteo (turbante) coopertum in ecclesia tenere non convenit.
67 Iuramentum per nomen Dei et non per spatam fieri convenit.
68 Mulieri post partum Ecclesiam intrare licet.
69 Baptismus solemniter detur bis in anno, in necessitate semper.
70 Presbyteros etiam uxoratos venerari convenit.
71 Sacerdotes non iudicandi a fidelibus.
72 Episcopus interim locum Patriarchae teneat.
73 Episcopus vester Romae consecretur aut saltem pallium recipiat.
74 Oratio perficienda in quocumque loco.
75 Iudicium poenitentiae episcopis tribuitur et codex legum.
76 Item liber missarum.
77 Vana observantia respuenda.
78 Hostes ad poenitentiam recipiantur.
79 Superstitiones pro infirmis prohibentur.
80 Pax firmetur cum petentibus pacem.
81 Frangenti fidem non debetur fides, etiam Christiano, sed consulatur Episcopus.
82 Potest foedus iniri cum paganis in rebus civilibus.
83 Clericus non iudicetur a saecularibus.
84 Falsus accusator misericorditer puniatur.
85 Item de venenum propinante.
86 In reo examinando tormenta non adhibeantur.
87 Vita monastica imponi non debet.
88 Non fiat oratio pro mortuis infidelibus.
89 Primitias offerre Deo ab antiquis acceptum est.
90 Animalia quomodocumque mactentur comedi possunt.
91 Si ab infideli animal mactatur, Christianus comedat, dummodo eius operibus concurrere non videatur.
92 Tres sunt veri Patriarchae, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus; Constantipolitanus autem et Hierosolymitanus tantum favore principum dicuntur et nominaliter.
93 Post Romanam Sedem prima est Alexandrina.

94 Chrisma non hauriri tantum a Graecis.
95 Immunitas Ecclesiae servanda.
96 Mulier quamvis accusatrix non reiicienda.
97 Item servus.
98 Suicida est sepeliendus, sed non pro eo orandum.
99 Etiamsi sit Christianus: quia damnatis non prodest oratio.
100 Mortuus in bello potest sepeliri honorifice et oratio fieri.
101 Pauperibus danda eleemosyna praesertim piis.
102 Non per vim paganus debet fieri Christianus.
103 Mali libri igni tradendi.
104 Baptizatus ab Hebraeis non est rebaptizandus.
105 Laici non iudicent de doctrina Ecclesiae.
106 Sedi Apostolicae vobis adhaerendum, missi nostri auscultandi, posthabitis aliis Graecis, Armenis etc: in dubiis ad Sedem Romanam recurrendum.

Cum autem Episcopum Deo concedente per praesulatus nostri ministerium habueritis, ille vos docebit omnia et si quae sunt quae non capiet, ab apostolicae Sedis auctoritate suscipiet. Deus autem qui in vobis salutem maximam operatus est hanc perficiat, consolidet et usque in finem stabiliat et corroboret. Amen

Migne Patrologia — Vol. CXXII pag. 1309

EPISTOLA ADRIANI PAPAE II

Ad Basilium Constantinum et Leonem Imperatores
(*Anno 871*) *Idus Novembris*

Quod missi Sedis Apostolicae post multa pericula nudi vix evaserint. Conqueritur quod Ignatius episcopum apud Bulgaros consecrare praesumpserit etc.

pag. 1311 Eiusdem

Ad Ignatium Constantinopolitanum Archiepiscopum
(*Anno 871*)

Nihil apud Bulgaros tentare debuisset. Corripitur propter ordinationes repentinas laicorum in diaconos.

Vol. CXXVI Epistola Ioannis Papae VIII

Anno 878 **Ad Michaëlem Regem Bulgarorum** *(p. 757)*

Dolet quod Graecos sequatur, hortatur ad Romanae Ecclesiae gremium redeundum, tum de dono misso gratias agit, postremo Sergium quemdam per subreptionem ad Sacerdotium et Episcopatum promotum depositum fuisse significat.

.... » Revertimini ergo ad Beatum Petrum Apostolorum
» primum, quem amastis, quem elegistis, quem quaesistis, cuiusque
» in necessitatibus patrocinium percepistis et fluenta doctrinae
» salubriter et convenienter hausistis, cuiusque vos protectioni
» cum subiectis omnibus commendastis et tradidistis.. » etc....

Die 16 Aprilis

Anno 878 **Ad Petrum Comitém** *(p. 760)*

Epistola missa per Paulum et Eugenium Episcopos mense Aprili die 16. Hortatur ut Michaelem Regem ad Romanae Ecclesiae gremium revocet.

p. 762 **Ad Quemdam ex Nobilibus Bulgaris** *Anno 878*

Eiusdem argumenti, suntque fere eadem verba quae in superiore

.... » Ad huius ergo Beatissimi Petri Sedem alacri pe-
» ctore Rex Christianissimus redeat, et sicut cervus cum quid
» sumpserit noxium desiderat ad fontes aquarum, ita desideret
» et sitiat anima ipsius ad salutifera eius doctrinae fluenta....

Mense Aprili

Anno 878 **Ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum** *(p. 763)*

Tertio iam commonet ne Bulgarorum regionem ad Ecclesiam Romanam iam antiquitus pertinentem usurpet, et ab eo vel ab eius suffraganeis in ea regione consecratos episcopos intra triginta dies illinc educat, et nisi post duos menses paruerit, dominici corporis et sanguinis communione; et si perseveraverit in contumacia, patriarchali etiam dignitate privat.

» Reverendissimo confratri nostro Ignatio Patriarchae Costan-
» tinopolitano

.... » Nullus ignorat regionem Bulgarorum a Sanctae » memoriae Damaso Papa et deinceps usque ad paganorum irru- » ptionem a Sedis apostolicae praesulibus, ... moderatam ....

Data Mense aprili, missa per Paulum et Eugenium Episcopos

Anno 878 **Ad Episcopos et Clericos Graecos** *(p. 764)*

Declarat eos excommunicatos quod Bulgarûm regiones invadentes illicitas ibi ordinationes fecerint: dignitate etiam privandos nisi intra triginta dies ex omni Bulgarica Regione discesserint. Si quis autem paruerit, restituendum ei Episcopatum decernit quem in Graecia habebat et si nullum antea habebat, vacantem si dignus est, eidem conferri iubet.

» Omnibus Episcopis et caeteris clericis Graecis Bulgariae » dioeceseos invasoribus ac per hoc excommunicatis.

Missa per eosdem, data die 16 Mensis Aprilis.

Anno 878 **Ad Basilium Imperatorem** *(p. 765)*

Dolet Constantinopolitanam Ecclesiam schismate adhuc laborare, qua de re legatos misit.

Anno 879 **Ad Michaëlem Regem Bulgarorum** *(p. 832)*

Hortatur ut ad obedientiam Romanae Ecclesiae, a qua seductus recesserat cum sua gente revertatur

.... » Sed quaeso, fili charissime, ad sanctae matris ve- » strae Romanae Ecclesiae sinum, quae caput est instituente Deo » omnium Ecclesiarum in toto orbe diffusarum ... vos gentemque » vestram amore mentis sine mora reducite ....

Data sexto Nonas Maii

Anno 879 **Ad Consiliarios Michaëlis Regis Bulgarorum** *(p. 833)*

EIUSDEM ARGUMENTI

Petro Cerbulae et Sundicae caeterisque optimatibus consiliariis dilecti filii nostri Michaëlis Regis Bulgarorum

.... » Iterum iterumque monemus et in verbo Christi edici- » mus ut redire ad nos omnino festinetis .... in Deum peccabi- » tis si nostram vocem audire omittatis. Data sexto nonas Maii

Anno 878 **Ad Senesclavum Comitem**

Praecipit ut legato, quem ad Regem Bulgarorum mittit, iter tutum praebeat ac necessaria suppeditet.

. . . .

Quia fama tuae dilectionis.... ad nos usque pervenit confidenter gloriae tuae praecipimus atque mandamus etc......

Data ut supra

Anno 879 **Ad Branimirum** *(p. 841)*

Suscipit eum ad Romanae Ecclesiae gremium redeuntem, monet ut in Dei amore perseveret, impartitur benedictionem Apostolicam quam petierat, hortatur ut permittat legatum suum epistolam Bulgarorum deferre.

Data die 7 mensis Iunii

Anno 879 **Ad Sacerdotes et populos Branimiro subiectos** *(p. 842)*

Excipit eos ad Romanae Ecclesiae gremium redeuntes, monet ut perseverent.

Data 7 mensis Iunii

Anno 879 **Ad Michaëlem Regem Bulgarorum** *(p. 843)*

Agit Deo gratias quod legatos ad se miserit, doctrinam Ecclesiasticam et Canonica instituta recepturus, hortatur ut ad Romanam Ecclesiam redeat, et si ei placuerit, se legatum missurum pollicetur.

Data 6 Idus Iunii

Anno 879 **Ad Michaëlem Regem Bulgarorum** *(p. 848)*

De Legatione ac muneribus missis gratias agit, dolet eum defecisse ab Ecclesia Romana, ad quam monet ut revertatur, ostendit Graecos Bulgarorum Dioecesim, cum sit Romani Pontificis, contra canones detinere.

Data 18 Kalendas Iulias

Anno 879 **Ad Methodium Episcopum Pannoniensem** *(p. 850)*

Praecipit ut ad se veniat ut de eius doctrina cognoscere possit, missas sclavonica lingua celebrari prohibet.

Data ut supra

Anno 879 **Ad Basilium, Constantinum et Alexandrum Impp.** *(p. 853)*

Imperatorum precibus commotus ut pax sit Ecclesiae Constantinopolitanae, dispensat cum Photio, ut in Ignatii locum Constantinopolitanae Ecclesiae Patriarcha subrogetur, statuens ne deinceps quisquam ad Patriarchalem dignitatem nisi per gradus Ecclesiasticos ascendant, iubet Patriarcham Constantinopolitanum Bulgarorum dioecesim sub Ecclesiae Romanae iurisdictione re-

linquere, monet omnes ut patriarchae debitum praestent obsequium; praecipit ut ad Ecclesiae communionem eos qui a Methodio et Ignatio initiati fuerant admittant, excommunicat illos qui cum Photio noluerint communicare.

Data die 16 Augusti

(Haec epistola a Photio adulterata fuit supprimendo quidquid contra se militaret.)

Anno 879 **Ad Photium Patriarcham Constantinopolitanum** *(p. 870)*

Photium Patriarcham Constantinopolitanum constituit dummodo in synodo veniam postulet, decernit ne deinceps ullus e laicis in eadem Ecclesia statim Episcopus ordinetur, iubet Bulgaricam dioecesim Ecclesiae Romanae restitui.

(p. 872.) Adnot. Sciens Photius quanta inesset Apostolicis litteris auctoritas, lecturus cum eas esset in synodo, (lingua graeca) ad persuadenda quae vellet *addidit et abstulit pro arbitrio, quae sibi sunt visa.*

De Bulgarica dioecesi detruncavit Photius omnino.

(p. 874) Adnot. Decurtavit quae in conditione apposita Ioannes habet de restituenda dioecesi Bulgarorum.

Anno 880 **Ad Sfentopulchrum Comitem** *(p. 904)*

Gratulatur de eius et subditorum illius observantiam erga Sedem Apostolicam, recipit eos in fidem suam: ostendit Methodium Archiepiscopum orthodoxum fidem fuisse professum, cuius iura et privilegia confirmat, eumque ad eos regendos mittit. Nitrensis Ecclesiae episcopum consecratum significat et alium ad se vult mitti, quem alii Ecclesiae praeficiat, iubet omnes ipsi Archiepiscopo obedire, *concedit ut Divina officia sclavonica lingua recitari possint* dummodo Evangelium Latina prius recitetur.

Data Mense Iunio

.... » Methodio Archiepiscopo Ecclesiae Moravensis, ad » nostram praesentiam veniente »

Basilii Episcopi Zagorensis ad Papam *(p. 1115)*

.... » Nos haec ab imperatore (Caloioanne) discentes, qui » fecit nos vocari, levavimus manus ad Caelum cum universo » populo sic dicentes: Memor fuit nostri Dominus quod nos non » cogitavimus........ sicut boni filii rogamus vos sicut bonum

» patrem, ut Dominus noster Imperator quod petit a vobis obti-
» neat, quia dignus est hoc obtinere, quia ipse ac totum Impe-
» rium Eius bonam devotionem ad Ecclesiam Romanam habent,
» tamquam haeredes descendentes a sanguine Romanorum. . . .

Bellotae Principis ad Pontificem *(p. 1116)*

Communionem cum Romana Ecclesia expetit

Basilio Archiepiscopo de Zagora

.... » Qui a Romanis traxerunt originem Ecclesiae Ro-
» manae instituta sequantur. . . . .

Nobili viro Bellotae Principi, Uxori et Filiis eius *(p. 1118)*

Respondet:

.... » Gaudemus quod circa nos et Romanam Ecclesiam
» purae geritis devotionis affectum . . ..

Datum Laterani V Kal. Decemb.

Migne Patrologia. Vol. CCXV

Innocentii III Romani Pontificis Epistolae *(p 278)*

PONT. A. VII CHRISTI 1204

Caloioanni Bulgarorum et Blacorum Regi Eiusque Posteris Privilegium, quo Leoni sanctae Crucis presbytero Cardinali Apostolicae sedis Legato conceditur facultas ipsum in Regem ungendi et coronandi.

Datum Anagniae VI Kal. Martii

. . . . **Archiepiscopo Trinovitano** *(p. 280)* . . . .

Constituit etiam Trinovitanum Archiepiscopum primatem totius Bulgariae et Blaciae, mittitque illi privilegium huiusmodi per dictum legatum.

Datum ut supra

B. Archiepiscopo Trinovitano Bulgarorum et Blacorum Primati *(p. 282)*

Significat ei quod Episcopum Brandisuberensem fecit inungi, mandat ut in posterum tam primas quam Metropolitani Episcopi et presbyteri ipsius provinciae recipiant unctionem.

Datum ut supra

Instrumentum quo Rex Bulgariae et Blaciae imperium suum Ecclesiae Romanae subiicit *(p. 287)*

Literrae Basilii Episcopi Trinovitani *(p. 288)*

. . . . Quod pallio insignitus fuit

Caloioannis Innocentio Papae *(p. 290)*

De eodem argumento ac in Epistola superiori

Anastasio Archiepiscopo Belebusdiensi (Bulgaria) *(p. 292)*

Mittit ei Pallium (Papa)

Anno 1204 **Illustri Regi Bulgarorum et Blàcorum** *(p. 293)*

Significat ei quod mandavit legato ut ipsum inungeret et regalia ei concederet.

Anno 880 **Ad Barnimerum Comitem, Sacerdotes etc.** *(p. 918)*

Ostendit sibi gratissimam fuisse eorum in Sedem Apostolicam observantiam, hortatur ad perseverantiam. Iubet legatos ad se mitti quibus revertentibus legatum suum missurum pollicetur, cui ipsi fidelitatem iuxta Ecclesiae ritum promittant.

Data Mense Novembri

Anno 880 **Ad Michaëlem Regem Bulgarorum** *(p. 919)*

Miratur quod legatos non miserit quemadmodum iamdiu promiserat, monet, ut id quamprimum faciat.

Data itidem

Anno 882 **Ad Michaêlem Regem Bulgarorum** *(p. 938)*

Hortatur ut ad fidem et obedientiam Romanae Ecclesiae redeat et Legatos mittat

Mense Octobri

. . . . » Vestrae sponsionis reminiscimini » . . . .

Ad Michaëlem Regem Bulgarorum *(p. 959)*

IOANNES VIII MICHAELI REGI BULGARORUM

» Si ab his quos excommunicatos habebamus sacramenta quae-
» cumque suscipitis constat quia idololatriam non ut catholici es-
» setis, sed ut schismatici efficeremini dereliquisse videmini.

Migne Patrologia Vol. CCXIV. Innocentis PP. III.

NOBILI VIRO IOANNITIO ANNO 1199

Ut legatum Apostolicum reverenter excipiat *(p. 825)*

. . . . » Nos audito quod de nobili urbis Romae progeni-

» tores tui originem traxerint et tu ab eis et sanguinis genero-
» sitatem contraxeris et sincerae devotionis affectum ad Aposto-
» licam sedem etc: . . . .

Anno 1202 **Epistola Caloioannis Imperatoris Bulgarorum** *(p. 1112)*

AD PAPAM ANNO 1202

Litterae Caloioannis Domini Bulgarorum et Blacorum missae Domno Innocentio Papae III translatae de Bulgarico in Graecum et de Graeco postea in Latinum

. . . . » Hoc petit imperium nostrum ab Apostolica Sede
» ut nos simus in Ecclesia Romana sicut matris filialitate firmati.
» In primis petimus ab Ecclesia Romana matre nostra coronam
» et honorem, tamquam dilectus filius, secundum quod impera-
» tores nostri veteres habuerunt. . . . .

Caloioanni Domino Blacorum et Bulgarorum *(p. 1113)*

RESPONDET PP. EPISTOLAE SUPERIORI (V. KAL. DICEMBRIS)

. . . . » Mandamus ipsi (legato nostro) ut de corona pro-
» genitoribus tuis ab Ecclesia Romana collata, tam per libros ve-
» teres quam alia documenta inquirat diligentius veritatem, et
» de omnibus tecum tractet . . . . . Expedit tibi tam ad tempo-
» ralem gloriam quam ad salutem aeternam, ut sicut genere sic
» sis etiam imitatione Romanus, et populus terrae tuae qui de
» sanguine Romanorum se asserit descendisse, Ecclesiae Romanae
» instituta sequatur, ut etiam in cultu Divino mores videantur
» patrios redolere. »

Dat. V Kal. Decembris

Archiepiscopo Trinovitanensi totius Bulgariae et Blaciae *(p. 294)*

Primati et aliis Archiepiscopis Episcopis Clero et Populo Bulgaria et Blacia constitutis

Mittit ei pallium

Forma tradendi pallium

Forma iuramenti ab Archiepiscopo Trinovitano Praestiti

Caloioanni Regi Bulgarorum et Blacorum illustri *(p. 295)*

Mittit ei Vexillum

. . . . » Vexillum tibi duximus destinandum. Praetendit

» non sine mysterio Crucem et claves: quia Beatus Petrus Apo-
» stolus et Crucem pro Christo sustinuit et claves a Christo su-
» scepit.

.... » eodem vexillo utaris et inter acies bellicas memor » Dominicae Passionis existas, eiusque magisterium recognoscas, » cui Dominus ipse dixit: tu es Petrus etc;..... Sic enim ini- » mici tui non solum contra te praevalere non poterunt, sed ante » faciem tuam dante Domino non subsistent.

Archiepiscopis, episcopis etc. Hungariae *(p. 296)*

Scribit eis super reductione Bulgarorum et ut Legatum bene tractent.

Archiepiscopis, episcopis etc: serviae *(p. 297)*

De eodem argumento.

Hungariae Regi *(p. 410)*

Summopere dolet quod in finibus Hungariae iniuriose impedisset Cardinali Legato transitum ad Bulgariam etc.

Litterae Caloioannis Regis Bulgariae ad Papam *(p. 551)*

Significat ei Legati adventum, a quo deinceps recepit coronam et aliqua dona ei mittit

(Anno 1204)

Litterae Basilii Bulgarorum Primatis ad Papam *(p. 553)*

Significat ei se a Cardinali legato fuisse sacra unctione munitum.

Alia ex recentissimis et doctissimis elucubrationibus in lucem editis lector excipiet.

LITTERAE

Ssmi. D. N. Leonis Papae XIII quibus iurisdictio spiritualis et titulus Episcopi Tornacensis absolute adimuntur Praesuli Edmundo Dumont.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Nondum elapsus est annus, ex quo, multis eisque gravissimis causis permoti, Decreto a sacra Congregatione Episcoporum et Regularium negotiis praeposita, die vigesima secunda mense novembri superioris anni millesimi octingentisimi septuagesimi noni lato, exercitium omnis iurisdictionis in spiritualibus sive in temporalibus in Dioecesi Tornacensi, pro bono animarum, et illius Ecclesiae ordine et tranquillitate, adimere debuimus Reverendo Patri Domino Edmundo Dumont, illius Dioecesis Episcopo, eodemque tempore plenam iurisdictionem in eamdem Dioecesim Apostolico Administratori ad nutum sanctae Sedis tribuimus. Nunc vero, quod summopere dolemus, ulterius progredi cogimur, ut remedium potens et efficax suprema Auctoritate Nostra paremus malis et scandalis quae, auctore praedicto Praesule, Dioecesim Tornacensem miserrime perturbant. Ex indubiis enim relationibus, quae undique a fidelibus et a Clero dioecesano, praesertim Cathedralis Ecclesiae, nec non ab omnibus Belgicae regionis Episcopis, ad Nos pervenerunt, simulque ex ipsa factorum notorietate, plane comperimus quam male se gerat praefatus Episcopus, qui a pluribus mensibus in eam perturbati animi et inordinatae conversationis conditionem devenit, ut verbo et scripto clamare et acerbe invehi non cesset contra supramemoratum Decretum, quique insuper petra offensionis effectus, consensione inita cum scriptoribus Catholicae Ecclesiae infensissimis, etiam per publicas ephemerides fere quotidie convicia et iniurias ingerere non desinit, fideles ad eamdem improbitatem excitat, et contumeliosis in viros ecclesiastica dignitate conspicuos, in Nos etiam, prolatis verbis, et legitimis canonicae interdictionis effectibus, etiam per recursum ad saecularia tribunalia, obfirmate obsistit. Quapropter, Nos serio recogitantes quam gravis hinc

necessitas urgeat ut maximae huiusmodi ecclesiasticae iurisdictionis perturbationi finis tandem imponatur, et quam stricte teneamur saluti animarum in ea Dioecesi sollicite providere, universam factorum seriem examini subiiciendam decrevimus specialis a Nobis selectae nonnullorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium e gremio sacri Consilii Episcoporum et Regularium Congregationis. Quae quidem specialis Congregatio, postquam omnia superius enunciata perpenderit, simulque actis omnibus et documentis scite et diligenter ad trutinam revocatis animadverterit praefatum Praesulem titulo, quo adhuc honestatur, Tornacensis Episcopi, in ecclesiastici ordinis dedecus, in scandalum et ruinam populi fidelis abuti, expendendum sibi proposuit num res in eum casum devenerit, ut, confirmato Decreto lato die vigesima secunda novembris anno millesimo octingentesimo septuagesimo nono, quaevis iurisdictio, sive in spiritualibus sive in temporalibus, in Dioecesi Tornacensi absolute et in perpetuum Praesuli Edmundo Dumont, etiam per privationem tituli illius Ecclesiae, revocari et adimi deberet. Itaque, in conventu die decima secunda currentis mensis octobris habito, praedictum Praesulem, sive per animi sui constantem et in dies magis ingravescentem perturbationem, sive per ea quae exinde scandalo fidelium et maximo animarum periculo consecuta sunt, iudicio etiam omnium Belgici Regni Episcoporum, imparem omnino effectum esse regimini episcopali Tornacensis Ecclesiae sustinendo, et canonicae irregularitati dudum obnoxium arbitrata est, ac proinde in affirmativam propositae quaestionis sententiam devenit. Nos igitur, de ipsius specialis Congregationis consilio et voto rursus tam gravi negotio mature perpenso, ex plenitudine Apostolicae Potestatis, Motu Proprio, aegro licet animo, hisce Manu Nostra signatis literis iurisdictionem omnem, sive in spiritualibus, sive in temporalibus, in Dioecesi Tornacensi Praesuli Edmundo Dumont absolute et in perpetuum interdicimus et revocamus, eidemque Praesuli titulum Episcopi Ecclesiae Tornacensis per privationem adimimus et ademptum esse declaramus, decernentes pariter praedictum Praesulem a quovis peculiari vinculo, quod ipsi ex Apostolicis collationis Literis datis decimo kalendas novembris anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo secundo provenit cum Ecclesia Tornacensi, solutum per Nos esse et relaxatum. Mandamus denique has Nostras Literas notificari debere, tum Praesuli Edmundo Dumont, tum Capitulo Cathedrali, tum etiam Administratori Apostolico Episcopo Eumeniensi in partibus Infidelium, quem in commisso eidem munere administrationis apostolicae Tornacensis Ecclesiae ad Nostrum beneplacitum confirmamus.

Praesentes vero Nostras literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis seu in eorum aliquo ius aut interesse

habentes vel habere praetendentes, etiam quomodolibet in futurum, cuiusvis status, ordinis et praeeminentiae, et ecclesiasticae vel mundanae dignitatis sint, etiam specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimode aut non satis vel sufficienter auditi fuerint, aut ex alia qualibet etiam laesionis vel alias iuridica et privilegiatissima causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu quantumvis magno, inexcogitato, substantiali et substantialissimo, sive etiam ex eo quod in praemissis solemnitates et quaecumque alia forsan servanda et adimplenda minime servata et adimpleta, seu causae propter quas praesentes emanaverint non satis adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex quibusvis aliis causis vel praetextibus notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari aut in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris vel facti aut iustitiae remedium impetrari, easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis vel declarationibus generalibus vel specialibus, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine, paribus quomodolibet, ac quibusvis de causis pro tempore factis, minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et tamquam ex Pontificiae Providentiae officio et motu proprio, certa scientia, deque Apostolicae Potestatis plenitudine Nostris factas et emanatas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus ad quos spectat et spectabit in futurum perpetuo et inviolabiliter observari; ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et prorsus inane esse et fore, pari auctoritate volumus atque decernimus. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, necnon dictae Ecclesiae Tornacensis privilegiis, omnibusque et singulis Apostolicis ac in synodalibus quoque, provincialibus et universalibus Conciliis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus et formis, specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, ex certa scientia motuque et potestatis ple-

nitudine paribus, derogamus et derogatum esse volumus caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus etiam ut ipsarum praesentium transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae interdictionis, revocationis, privationis, ademptionis, solutionis, relaxationis, mandati, decreti, confirmationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octuagesimo, tertio idus octobris, Pontificatus nostri anno tertio.

† EGO LEO CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

C. Card. Sacconi, Pro-Datarius.

Pro Domino Cardinali T. Mertel

Angelus Trinchieri, *subst.*

Visa

De Curia J. De Aquila e Vicecomitibus.

Loc. † plumbi.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DISMEMBRATIONIS

Die 20 Septembris 1879.

Compendium facti. Parochialis Ecclesia loci *Scarmagno* duos inter suos fines complectitur pagos, Scarmagni Communitatem efformantes, ferme aeque inter se ac a parochiali Ecclesia distantes, quorum alteri 223 capitibus frequenti nomen *Bessolo*, alteri *Masero* 140 habitatoribus constanti inditum est. In horum primo extat satis ampla sacrisque suppellectilibus provisa Ecclesia s. Ioanni dicata, in qua fundatum est beneficium, pluribus stabilibus conflatum, de iurepatronatus nobilis familiae Perrone Saladino. Labente anno 1878 plures incolae Bessoli et Maseri adiverunt Antistitem enixe flagitantes ut Ecclesia s. Ioannis Baptistae in novam erigeretur Paroeciam, idque propter distantiam utriusque loci a Parochiali Ecclesia s. Michaelis loci Scarmagni, viarumque asperitatem hiberno praesertim tempore.

Ut autem Parochi congruae alimoniae prospici posset, nobilis comes Perrone Saladino ultro suum praebuit assensum, ut beneficium de suo iurepatronatus in memorata Ecclesia existens, ad parochiale evehi posset. Neque ad hoc deesset ipsius Gubernii assensus, quod, dum exquirit pro Parocho congruam in

annuis libellis 800, instat ut bona praefati beneficii convertantur in schedulis vulgo *Cartelle di Consolidato.*

Pia mulier ad ostendendum, dotem beneficii summam libellarum 800 constituere, prompta esset beneficii coemere fundos, excepta domo urbana et rustica una cum adnexo viridario, quae Parocho remanerent, atque pro iis syngrapham traderet Consolidatus annui fructus libellarum 800, a taxa quam dicunt *di ricchezza mobile,* prorsus immunis. Cui propositioni nedum consensit patronus, sed et ipsum gubernium, atque actualis beneficii rector, quem et zelo salutis animarum et doctrinae merito plurimum commendat Antistes. Imo praefata mulier, ut animarum saluti, novae paroeciae erectione quamprimum prospici posset, oraliter spopondit expensas omnes tam pro erectione, quam pro bonorum cessione soluturam esse, atque congruam ad annuas mille et centum libellas augere, dummodo tesserarum consolidatus valor non excresceret.

Antistes de more rogatus, utilitatem et necessitatem huius dismembrationis evincit, et orat ut iuspatronatus beneficii in novam paroeciam erigendi, maneat uti nunc sese habet.

Disceptatio Synoptica

Ea quae dismembrationi adversantur. Neminem latet quantopere ss. Canones a beneficiorum maxime parochialium dismembratione abhorreant, utpote quae alienationis speciem praesefert, atque ideo odiosissima in iure reputatur *Abb. in cap. 3 Ad Audient. de Eccles. aedif., Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 48 §. 2, Amostaz De caus. piis lib. 5 cap. 3.* Nullatenus igitur ad hoc dismembrationis remedium deveniri debet, quoties exulat canonica causa, quae in actis per legitimas probationes constare debet, ita ut sola Episcopi assertio non sufficiat *Card. De Luca De benef. disc. 45 num. 6,* et *disc. 25 de Paroch. num. 6, Rota coram Othobon. decis. 6.* Causae autem canonicae, pro dismembratione Paroeciarum decernenda, in necessitate vel evidenti Ecclesiae utilitate consistunt, veluti fluit ex Tridentini dispositione in *sess. 21 cap 4 De reform.* docentque *Rebuff.*

in sua *praxi tit. de revoc. union. num. 6*, *Reclusius De re paroc. part. 4 tit. 12 num. 63*, *Rota part. 4 decis. 68 num. 15*, *et part. 10 decis. 224 num. 4 recent.*

Sed in themate neutra verificari videtur. Abest sane necessitas sive a magna distantia, sive a viarum emanans asperitate. Locus namque *Bessolo* aeque ac alter *Masero*, vix uno distat lapide a Parochiali Ecclesia. Talem vero distantiam satis non esse ad inducendam novae parochiae necessitatem, docet Fagnanus in *cap. Ad audientiam num. 23*, centiesque retinuit S. C. C., quemadmodum caeteris missis videre est in *Lancianen. 18 Novembris 1747*, et in *Novarien. Dismembrat. 12 Augusti 1747 conf. 18 Novembris eiusdem anni.* In quarum postrema reiecit preces pro paroeciae dismembratione oblatas, licet ageretur de trium milliarium distantia, iuncta cum nulla securitate viarum.

Neque secus dicendum de viarum asperitate: quandoquidem via, quae ad parochialem ducit Ecclesiam, omnibus numeris absoluta manet, pro facili ad eamdem accessu. Ipsa enim non difficilis, non ardua vel torrente aut flumine interiecta extat ita, ut nec Parochianos impediat, hyemali praesertim tempore, Ecclesiam petere sine evidentissimo vitae discrimine, nec Parochum illuc contendere pro Sacramentorum administratione occasione infirmitatis, quod alteram necessitatis peragendae dismembrationis causam suppeditaret, ex Tridentino *sess. 21 cap. 4 de reform. Rota decis. 476 num. 3 part. 10, decis. 224 num. 6 et 8 part. 17 rec.* s. Congr. in *Ianuen. 6 Ianuarii 1694 lib. 44 Decret. pag. 5, Puteolana Erectionis Paroeciae 18 Ianuarii 1701 lib. 51 Decret. pag. 340, Novarien. Divis. seu Dismembr. 20 Septembris 1760.*

Parochus hucusque dicta confirmat. Quare unica ratio dismembrationis ad solam utilitatem reduceretur, quae praecisa evidens atque absoluta esse deberet iuxta *cap. 1, De Rebus Ecclesiast. non alienandis* et *Lotterius. De Re benefic. l. 1 cap. 28 n. 30.* Ast, si unam excipias in casu viciniorem Parochi praesentiam, nulla alia utilitas Oratoribus incolis obvenire potest. Nunc temporis enim nihil ipsis in spiritualibus

deest, nusquam queruntur aliquem absque sacramentis decessisse. In loco *Bessolo* adest Ecclesia cum beneficiato, qui Missam celebrat diebus festis, atque fidelium Confessiones audit. In altero *Masero* pariter beneficiatus residet, qui ex fundatione tenetur et Missam in Sacello D. Eusebio dicato, diebus festis celebrare et catechesim pueris tradere. Qui porro beneficiati etiam in casu urgentis necessitatis valerent Parochi munia obire, quin necesse sit ad odiosum dismembrationis remedium deveniendi. Quapropter cum utilitatis ratio neque evidens, neque praecisa, neque absoluta esse videatur Oratorum preces in totum reiiciendae viderentur, cum ipsae ambitiosam pietatem praeseferre videantur ad hoc, ut matrem deserant Ecclesiam.

Verumtamem dato, at numqnam concesso, quod sit in casu deveniendum ad dismembrationem, tamen numquam permitti posse videtur, ut locus *Masero* seiunctus ab Ecclesia matre, uniatur novae erigendae Paroeciae. Quod et ius, et congruentiae ratio suadet. Ius quidem, monendo dismembrationem odiosissimam esse, exigit ut minus quam fieri potest dismembrandae Ecclesiae praeiudicium afferatur. Congruentia vero, quia ipsa non patitur ut incolae *Masero* Bessolum petant pro explendis religiosis actis, et dein Scarmagnum contendant pro actorum civilium implemento. Hinc est quod ipsi hac de re queruntur habitatores, suasque preces tum Ordinario, tum civili gubernio obtulere, ne a Paroecia Scarmagni separentur.

Ea quae dismembrationi favent. Sed contra perpendendum occurrit, quod in iure quanta esse debeat conciliaris distantia pro dismembratione peragenda, definitum adhuc non est; ideoque iudicis arbitrio relinquendum docet *Fagnan. loc.. cit n. 18 in fine;* maxime vero deferendum hac in re Episcopi prudentiae tradit *Rebuff. in praxi benef. part. c. 1 de erect. in Cur. et Paroch.* cui profecto locorum indoles et sibi commissi gregis necessitas atque utilitas, magis quam cuilibet alteri notissima merito censentur. Graviter subinde erraret qui, nisus quibusu[illegible] s. Congregationis declarationibus, vel Rotae decisionibus, denti [illegible]orumdam doctorum sententiis, in sola litera procederet dispositio[illegible] Paroeciae erectione statuenda vel deneganda, veluti

optime perpendit *De Luca Adnot. ad Conc. Trid. discep. 16 et Lauren. for. benef. tom. 1 quaest. 154 num. 4.* Cum enim quaestio haec nudi facti sit, ex individuis circumstantiis singulorumque casuum particulari qualitate, decidenda est. Notum namque est, sanctam matrem Ecclesiam optime tenentem salutem animarum pro suprema lege, Parochumque populo, non populum Parocho dari, disciplinares suas ordinationes ad varias etiam temporum vices attemperasse, ut inquit *Thomass. de nov. et vet. discipl. part. 1 lib. 1 cap. 18 num. 17, lib. 3 cap. 56 num. 19, et part. 2 lib. 1 cap. 45 num. 13 et 14.* Unde fit, quod etiam pro maiori populi commoditate dismembrationes concessit, ceu legitur in *Laquedonien. Dismembrationis Paroeciae 16 Dec. 1776 §. Addi.*

Hisce in iure praemissis, in facto considerari debet quod praefati vici uno milliario cum dimidio a propria Paroecia distant, et via quae ad ipsam ducit, collis radices lambit ita ut, eveniente nivium dissolutione, aut imbre furente, sit prorsus difficilis. Qua posita distantiae ratione, viarumque asperitate hiberno praesertim tempore, neminem latere potest, iustam necessitatis causam peragendae dismembrationis reperiri. Quandoquidem, ut quis posset suum convenire Pastorem, inter gelidas nives, vel sub ardenti canicula solis eundo et redeundo tria passum millia percurrere deberet, quod fortem fastidiret virum, ac difficile pericolosumque esset pueris, debilibus, foeminis, et senibus, qui numquam pastoris vocem audirent. Quare et ipse praedefunctus Antistes exponebat: evidentem esse utilitatem et necessitatem petitae erectionis in Paroeciam.

Praeteriri ulterius non debet quod nova erecta paroecia, nonnulla stabilia beneficii s. Ioannis intacta remanerent: adnexa nempe domus cum viridario, quae tractu temporis et ipsa in perditionem abirent. Imo et caetera beneficii bona servarentur. Recognita enim a gubernio nova Paroecia, etiam congrua pro Parocho sufficiens sarta tectaque maneret, quae ex liberalitate dictae mulieris constitueretur in annuis libellis 800, et mille, si tesserarum Consolidatus valor non excrescat. Verum est quod ipsa pro hoc annuo reditu omnia ferme

beneficii stabilia acquireret, sed dum ex una parte venditio vitari non potest, id exquirente gubernio, ex alia Ecclesiae utilis est, dum neque ad hoc patronus, neque beneficiatus, neque Episcopus obstaculum ponat, imo tam hic, quam ipsius praedecessor, enunciando hanc mulierem tamquam insignem benefactricem, ostendunt venditionem maxime utilem esse, et stante evidenti utilitate Ecclesiae bona ad ipsam spectantia alienari posse docet Petra in *Comment. ad Constit. 1 Leonis Magni sect. 4 num. 110, 111, 121* et *147*.

Minusque officere videtur quod refert Parochus, novae paroeciae haud locum *Masero* adiudicandum esse; nam incolae illius loci percupiunt novae adiungi paroeciae, et cum incolis *Bessolo* ad hoc enixe contenderunt. Incolis siquidem e Masero commodior est locus Bessolo, tam pro rebus civilibus quam pro rebus religiosis; quod ex factis quotidie evenientibus confirmatur.

Hisce expositis, remissum fuit EE. PP. iudicio decernere quonam responso sequens dimittendum esset

Dubium

An et quomodo sit locus dismembrationi veteris et erectioni novae Paroeciae in casu.

Resolutio. Sacra Congr. Concilii die 20 Septembris 1879, respondere censuit:

Affirmative in omnibus, oblata quotannis Parocho loci Scarmagno aliqua cerae quantitate, ab Episcopo determinanda in signum matricitatis.

Ex quibus colliges:

I. Viarum locorumque asperitatem et distantiam a paroecia efficere, ut dismembratio concedatur, etiam renuente Parocho, dummodo novae ecclesiae nil desit.

II. Haberi pro suprema lege, etiam in hoc, animarum salutem: ita ut sancta Mater Ecclesia retineat parochum dari populo, non parocho populum.

III. Relinqui arbitrio et prudentiae Episcoporum decernere quaenam esse debeat distantia pro dismembratione concedenda, eoquod a iure definita non fuerit.

IV. Quum huiusmodi quaestiones sint *nudi facti*, ideo rite deferendum esse Ordinariorum prudentiae, qui satius locorum indoles, gregisque sibi commissi necessitates et utilitates pernoscere valent.

V. Si adsint causae canonicae, quae reducuntur *ad magnum incommodum* accedendi ad Ecclesiam pro recipiendis sacramentis, dismembrationem concedi etiamsi bono animarum occurri potuerit per Cappellanos seu per Vicarios, iuxta *Trid. Sess. 21 cap. 4 de ref.* si maius populi commodum id expetere visum uerit.

VI. In themate maiori populi commodo consultum fuisse per novam paroeciae erectionem, ad quam facilius patet iter pro incolis loci illius, ceu ex quamplurimis testimoniis evictum fuit. (1)

(1) In Appendice sequenti multa referuntur quae dismembrationes pertingunt.

APPENDIX VI.

De potestate Ordinariorum, deque iurisprudentia quoad Paroeciarum dismembrationem (1)

Quoniam saepenumero accidit, quod per hasce ephemerides nostras referre oporteat quaestiones actas apud s. C. Congregationem,

(1) Videsis aliam appendicem de parochi populique consensu in paroeciarum dismembratione Vol. III. pag. 396.

quoad paroeciarum dismembrationem, haud ingratum fore credidimus lectoribus, si hac in materia aliquid innuimus, praecipue inhaerentes doctrinae clarissimi Fagnani. Adnotationibus praetulimus appendicem, ut fusius loqui liceret, tum quoad Episcoporum auctoritatem in subiecta materia, tum quoad iurisprudentiam, quae tractu temporis apud sacra Romae dicasteria varias accepit modificationes.

Quamobrem exordientes a potestate ss. Antistitum thesim ponimus: Episcopos praeditos esse, pro dismembratione paroeciarum, tum auctoritate ordinariâ, tum delegatâ ab Apostolica Sede.

Quod Episcopis competat huiusmodi ordinaria potestas deprehenditur, iuxta Canonistarum sententiam, *ex Cap. Ad audientiam 3. tit. 48. de Ecclesiis aedif. lib. 3. Decretalium.* « *Ad audientiam noveris pervenisse, quod Villa quae dicitur H. tantum perhibetur ab Ecclesia distare, ut tempore hyemali, cum pluviae inundant, non possint parochiani, sine magna difficultate ipsam adire: unde non valent congruo tempore ecclesiasticis officiis adesse. Quia igitur dicta Ecclesia dicitur reditibus abundare, quod praeter illius Villae proventus, minister illius convenienter valeat sustentationem habere, mandamus quatenus, si res ita se habet, ecclesiam* I. *…difices, et in ea Sacerdotem,* efficere, u… *…ppellationis obstaculo, ad* dummodo nov… *…m rectoris ecclesiae maioris, cum canonico fundatoris assensu instituas, ad sustentationem suam eiusdem Villae obventiones ecclesiasticas percepturum; providens tamen ut competens in ea honor, pro facultate loci, matrici ecclesiae servetur: quod quidem fieri posse videtur, cum eiusdem villae dominus viginti acras terrae frugiferae velit ad usus Sacerdotis conferre. Si vero persona matricis Ecclesiae virum idoneum praesentare distulerit vel opus illud voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, et virum bonum, appellationis cessante diffugio, instituere non omittas* ».

Quod autem Episcopi etiam habeant potestatem Apostolicam delegatam pro ecclesiis dismembrandis colligitur ex *Trid. Sess. 21, cap. 4.* « *Episcopi, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, in omnibus Ecclesiis parochialibus et baptismalibus, in quo populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum. In iis vero in quibus, ob locorum distantiam, sive difficultatem, parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta, et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias, etiam in-*

vitis rectoribus, iuxta formam Constitutionis Alexandri III, quae incipit, Ad audientiam, *constituere possint. Illis autem sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi, ex fructibus ad ecclesiam matricem quandocumque pertinentibus; et si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam.* » (1)

Ex iure ergo, seu ex textibus relatis, absque controversia colligitur, Ordinarios locorum duplicem potiri auctoritatem, nempe ordinariam et delegatam. Delegata auctoritas, ut plurimum, conceditur Episcopis a Sede Apostolica, eo consilio, ut firmiori iure procedere possint adversus exemptos, eidem Sedi Apostolicae immediate subiectos (2). Nam neque exemptiones violantur, quando Episcopi agunt ceu Apostolici delegati.

Utraque insimul, aut separatim uti valent Episcopi auctoritate, quando paroecias sibi subiectas dismembrare debeant. Quoad paroecias exemptas uti debent auctoritate delegata; quia in easdem hac sola potiuntur; et hoc in casu, vice funguntur Sedis Apostolicae, cuius ceu Delegati agunt et solum agere valent (3). Obvia tamen hic sese exhibet petitio: Episcopi qui caeteroquin, haud plenâ fruuntur auctoritate, ceu R. Pontifex, ligantur ne ullis conditionibus et formalitatibus quum ecclesias dismembrant? Petitioni huic respondet Cardinalis De Luca *de Parochis* disc. 35 n. 6: « Recepta conclusio est, dismembra» tionem unius Ecclesiae ab altera » sapere speciem verae alienatio» nis; ideoque requiri copulativum » concursum solemnitatis, ac iustae » causae, iuxta doctrinam Abbatis.»

His adiici debet quod opportune in folio s. C. Concilii exscribitur in *Massanen. et Popul. Dism. diei 9 Maii 1840* §. *Nescit.* « Nemo » nescit qui vel a limine sacros » canones salutaverit, beneficiorum » dismembrationem in iure esse

(1) Duo in hoc textu animadvertas velim. 1. Quod ex consensu Doctorum ordinaria potestas dismembrandi paroecias supponitur et confirmatur a Tridentino, quando concedit Episcopis potestatem delegatam. Vox *etiam* innuit, eosdem iam praeditos esse ordinariâ potestate. 2. Quod vi huius decreti nulla superest controversia, quoad consensum a parocho praestandum. Ante Tridentinum dubitabatur an Parochus paroeciae dismembrandae praebere deberet consensum; quod dubium tollitur per verba « *etiam invitis rectoribus.* »

(2) Paroecia eximi potest ab Ordinarii iurisdictione, si adnexa sit alicui Monasterio, aut Capitulo exempto, vel ob aliam causam.

(3) In decreto dismembrationis notandum est quanam auctoritate processerit Antistes, ne decretum nullitate laboret; praecipue si agatur de ecclesiis exemptis.

» odiosissimam; quippe quae alie-
» nationem sapiat, ut aiunt Abbas
» ad cap. *Ad audientiam* in §. no-
» tabilium, Lotter. De re ben. l. 31.
» quaest. 28. n. 4. Rota Rec. p. 7.
» dec. 68. n. 1. Hinc nonnisi in
» subsidium, ac gravissimis paten-
» tibus causis, quae sunt urgens
» necessitas, vel evidens ecclesiae
» utilitas, permittendum docent
» iuxta *cap. sine exceptione* 12.
» q. 2. cap. et hoc ius 10. q. 2.
» Decius Cons. 141. n. 1. v. 2,
» Rota dec. 578 n. 17. p. 19. §. 2.
» Rec. praesertim cum de parochia-
» libus sermo est; nihil enim ma-
» gis alterat ecclesiarum praesertim
» parochialium statum, quam divi-
» siones seu dismembrationes, ut
» ait Lotter. de re ben. l. 1. q. 28.
» n. 1. Quod si talia adsint in causa
» dismembrationis, nulla esse po-
» test contraria ratio, quae illam
» impediat; s. C. in Imolen. di-
» smem. 8 ian. 1726, in Aquen.
» 13 Iulii eiusdem anni, in Asculana
» Dism. 15 Decem. 1719; adeoque
» nec dissensus patronorum, ut
» eruere est ex ipso Trid. Sess. 21.
» cap. 4 de ref. »

Consonat Cardinalis De Luca *de Regular*. disc. 5. n. 4 « Divisio-
» nes et dismembrationes, inquit,
» omnes et forte maiores solemni-
» tates exigunt, cum iuxta causa
» necessitatis vel utilitatis; eo mo-
» do quo in formalibus alienatio-
» nibus desideratur » (1).

Ex dictis ergo colligitur adesse debere, ad rite valideque dismembrationem peragendam, iustam causam et formalitates nonnullas. Ast quoniam pia Mater Ecclesia in omnibus nil aliud quaerit quam animarum salutem, hinc iusta, pro dismembratione, nulla alia causa esse potest quam distantia vel alia difficultas pro Christifidelibus, accedendi ad Ecclesiam pro recipiendis sacramentis, et audiendis divinis officiis. Ad rem clarissimus Fagnanus in *cit. cap. n. 23.* « Ex
» praedictis collige in effectu uni-
» cam esse causam erigendi novam
» parochiam, videlicet magnam dif-
» ficultatem accedendi ad Eccle-
» siam matricem pro sacramentis
» percipiendis, et divinis officiis
» audiendis: nam aliae causae vi-
» delicet distantia loci, flumina in-
» termedia, portae civitatis clausae,
» necessitas leprosorum, et alia id
» genus impedimenta, in tantum
» iustificant erectionem, in quantum
» pariunt difficultatem huiusmodi;
» alias secus, ut ex iam dictis con-
» stat. »

Quae tamen distantia seu difficultas accedendi ad Ecclesiam matricem non quaelibet esse potest, sed talis esse debet quae paroecianis magnum incommodum pariat.

(1) Fagnanus in cit. Cap. octo enumerat formalitates requisitas, praeter iustam dismembrandi causam.

Idque ex ipsis iuris verbis eruitur; nam cit. textus Decretalium habet: *sine magna difficultate ipsam adire..* et Tridentinum: *parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta...* Hinc ad rem Leurenius *For. benef. p. 1. q. 154* inquit: « Caput citatum *Ad audien-* » *tiam* non quamcumque distantiam, » sed talem quae est cum magno » incommodo ; item necessitatem » non quamlibet, sed evidentem, » quae est talis ut ei aliud reme- » dium aptari nequeat, pro causa » sufficiente talis dismembrationis » et novae parochialis constitutione » requisivit. »

Non tamen ita sese res habet, ut ad rite dismembrandam ecclesiam semper adesse debeat uterque causa, nempe distantia et difficultas accedendi. Una tantum ex duabus etiam sufficere potest, dummodo ex una magnum enascatur incommodum (1) ad accedendum ad Ecclesiam pro recipiendis sacramentis. Sic si pars populi, quamvis parum distet ab Ecclesia, tamen nequeat accedere ad illam, nisi per magnum incommodum, iustam exhiberet dismembrationis causam. Fagnanus *cit. cap. n. 19* opportune rem explicat: « infertur secundo ut simi- » liter iusta sit erectionis causa, » si inter populum alicuius Villae, » et parochialem torrens vel flu- » men aliquod intercedant, quae » nec pontem habeant, nec vado » transiri possint... Undecumque » enim proveniat magna difficultas » percipiendi sacramenta, dicitur » subesse iuxta causa erigendi no- » vam parochiam, ut ex dictis pa- » tet. Ideoque Concilium Tridenti- » num alternative loquitur ibi ob » *locorum distantiam* sive *difficul-* » *tatem.* »

Praeterea etsi ex duobus citatis textibus, decretalium nempe et Tridentini de magno incommodo verbum fiat, ad validam reddendam dismembrationem, tamen nulla fit declaratio ut dignoscatur quaenam sit magna difficultas et magnum incommodum. Ideoque arguunt Canonistae: quum sacri canones Episcopis contulerint facultatem dismembrandi in casu *magni incommodi*, neque declaraverint in quo magnum stet incommodum, ideo retinendum esse Episcoporum iudicio et prudentiae reliquisse in singulis casibus decernere, an adsit, nec ne magnum istud incommodum. Quam sententiam habet Fagnanus *cit. cap. n. 18.* « Quanta autem debeat esse huius-

(1) Etsi quaelibet incommoditas non sufficiat, non tamen requiritur ut parochiani aliquando decesserint absque sacramentis. Unde (ait. Fagn. cit. cap. n. 16) « satis est ad validitatem erectionis, ut immineat periculum ne sic dece- » dant; neque huiusmodi eventus est expectandus, quia potius praeveniendum ne » contingat, cum satius sit occurrere in tempore, quam post exitum vindicare.

» modi distantia, (1) seu parochiae » amplitudo ad hoc ut parochiani » dicantur non posse *sine magno* » *incommodo* ad ecclesiam accede- « re, cum iure definitum non sit; » iudicis arbitrio relinquitur. »

Innuimus iam, praeter legitimam causam, quamplures requiri formalitates, ut dismembratio canonice fiat. Plures harum numerantur a Fagnano in *cit. cap. n. 28 et seq.* « Principaliter ad erectionem no- » vae parochiae requiritur ut in » illa parte parochiae antiquae, ubi » nova parochia est erigenda, sit » competens numerus parochiano- » rum. » (2)

« Requiritur ad erectionem novae paroeciae ut citetur rector matricis ecclesiae; nam etsi erectio fieri possit etiam ipso invito... tamen non potest fieri, nisi eodem citato et requisito... (3) Nec tantum rectoris Ecclesiae, sed etiam aliorum omnium, quorum interest, praerequiritur citatio. » (4)

Quod extensio novae paroeciae determinanda sit nulla quaestio; nam Leurenius *For. Can. p. 1. q. 160* ait: « Respondeo, parochiam

(1) Sacra Cong. Concilii opinionem in praxi saepe retinuit, duo millia passuum sufficere ut dismembratio rite fieri possit; sic resolvit in Ariminensi erectionis parochiae 18 Iunii 1789, et in Placentina dismembrationis 28 Maii 1791. Sed decisiones istae sumi nequeunt pro regula: quia evenire potest ut pari distantiâ aut asperitate itineris, dismembratio probata aut reiecta fuerit ob alias circumstantias, quae intervenire possint. Ideoque iudicio Episcopi perpendi debet *magnum incommodum.*

(2) Opinio communior videtur quae exposcit saltem decem familias pro nova erigenda ecclesia.

(3) Cardinalis De Luca habere videtur pro necessaria formalitate, nedum citationem, sed etiam consensum rectoris ecclesiae dismembrandae; sed hoc eo sensu intelligitur, quod nisi consentiat potest appellare. Si appellans fuerit iniuste gravatus, gravamen eiusmodi per superiorem poterit emendari. Fagnanus *loc. cit. n. 12* innuit in omni casu appellari posse ad Papam, omisso medio. Regulariter tamen a sententia Episcopi appellatur ad Metropolitanum. Appellatur ad Papam, quoties dismembratio facta sit in paroecia exempta. Appellatur apud Metropolitanum quoties paroecia sit Episcopo subiecta, quacumque auctoritate, sive ordinariâ sive delegatâ processerit Episcopus. Notandum quoque est quod appellatio haec habet solum effectum devolutivum, minime suspensivum. Unde firmum manet Episcopi decretum, nisi a superiore annulletur, nec interposita appellatio impedit quin ad executionem deduci possit.

(4) Quando paroeciae dismembrandae cura habitualis divisa est ab actuali, citatur rector habitualis. Si autem paroecia dismembranda vacua sit, tunc deputatur ab Episcopo aliquis cui competit exquirere de legitimitate et veritate causae. Quod si paroecia dismembranda sit iurispatronatus, patronus citari debet; sed eius consensus exquiri non videtur, praecipue si irrationabiliter sese opponat dismembrationi.

» quamlibet, regulariter loquendo, » debere habere territorium suum » separatum et divisum, in quo non » est licitum alteri parochiae ali- » quid facere. »

Sub numero 49 *cit. Cap. Ad audientiam* Fagnanus docte expendit quaestionem: an dismembrationes paroeciarum fieri possint ab Episcopo, inconsulto Capitulo. Conclusio autem verior esse videtur, quamvis olim inter canonistas controversa, quod non requiratur Capituli consensus quum Episcopus procedit ceu Delegatus Apostolicus in paroeciam exemptam. Nam hoc in casu Capitulum nequit conqueri, quod se inconsulto processum fuerit ad dismembrationem; eo quod Papa , cuius vices gerit delegatus , ad illius consensum requirendum non adstringatur. Episcopus autem exquirere debet Capituli consilium quando procedit iure ordinario, et etiam quando procedit ceu Delegatus Apostolicus,dummodo paroecia ex iis sit, quas dismembrare posset iure ordinario. Superius enim innuimus Episcopum procedere posse utraque auctoritate , ordinariâ nempe et delegatâ in dismembratione paroeciae non exemptae.

Praeter alia observanda in paroeciarum dismembratione , dos competens assignari debet novae ecclesiae. Unde Fagnanus *loc. cit. n. 31.* ait: « requiritur ut ecclesiae » construendae dos competens as- » signetur ut in capite *Nemo de* » *consecr. distinct. 1.* Et iam cen- » suit sacra Congregatio in erectio- » ne novarum parochiarum prius » cogitandum de dote. » Eruitur tamen ex textu ipso Capitis *Ad audientiam* quod erectio novae paroeciae decerni nequit, nisi in hypothesi quod parochus antiquae, facta dismembratione, *convenienter valeat sustentationem habere.* Pariter matrici ecclesiae reservatur iuspatronatus in novam, quatenus haec ex alterius reditibus dotata sit: et competens honor a filiali tribuendus est matrici. Filialis rependere debet annuum censum in signum subiectionis.

Tandem erectio novae ecclesiae ex Fagnano *loc. cit. n. 41* fieri debet ab Episcopo ipso, vel ab eius Vicario generali, qui ad id speciale mandatum habeat.

Ad secundam huius appendicis partem gradum facientes, memoriâ repetant lectores, nobis loquendum esse de iurisprudentia ss. Congregationum quoad paroeciarum dismembrationem. Haud obliviscendum, quod alias innuimus, auctoritati Cardinalis De Luca innixi, quaestiones dismembrationis esse potius facti , quam iuris. Ideoque multa habentur exempla apud Thesaurum resolutionum, quibus s. C. Concilii dismembrationem impertita est , multaque quibus eamdem denegavit. A probatione facti seu magni incommodi accedendi ad paroeciam, pro sacramentis excipiendis, forsan repetenda est diversitas iudicii , quo admissa aut denegata saepe-

numero dismembratio fuit in variis casibus.

Verumtamen, posthabendo etiam probationes magni incommodi ex parte populi in singulis casibus, alia olim invaluit opinio in foro, in subiecta materia. Quum dismembratio beneficiorum in iure sit odiosa, quippe quae alienationem sapiat, ideo praxis apud tribunalia sacra obtinuit non dismembrandi paroecias. Quamobrem, concurrente etiam iusta causâ, haud deveniendum esse ad Parochiae dismembrationem censebatur, quoties per praesentiam Capellani in aliqua Capella, prospici potuisset necessitatibus spiritualibus parochianorum, qui Ecclesiam prae distantia vel prae itineris difficultate adire non possent. Ita respondit in quolibet casu s. Rota; cui concinit etiam s. C. Congregatio. Nihilque intererat an paroeciae dismembratio peteretur ex impedimento temporaneo, ex. gr. fluminis aut torrentis hiberno tempore exundantis, sive etiam ex impedimento perpetuo, scilicet distantiae; sive nova erigi vellet ex bonis veteris paroeciae, sive ex bonis aliunde provenientibus, sive iam fuerint vel non fuerint qui obierint sine sacramentorum auxilio.

Nostris vero hisce temporibus s. Concilii Congregatio in diversam ivit sententiam; sapienterque id factum esse deprehendes si parumper spectes aetatis nostrae ingenium. Mores depravati incautae iuventutis, permulti lupi, qui furunt ut gregem devorent, nisi absolutam necessitatem, evidentem saltem utilitatem portendunt multiplicandi pastores.

Insuper opinio posterior s. C. Congregationis, nedum nostris temporibus aptior, verum conformior visa est tum Capiti *Ad audientiam*, tum Tridentino *Sess. 21. cap. 4 de ref.* Inter alios qui protuentur maiorem huiusmodi conformitatem iuri reponendus est Van-Espen *Iuris Eccl. univer. part. 2. tit. 6. cap. 2. §. 24.* qui ait: « Sed tamen » si causa legitima erigendi novam » Parochiam occurrat, non tam fa- » cile ob aliquorum interesse ad » iam suggestum remedium con- » fugiendum, tam quod non omnia » in capellis fiant, ad quae Paro- » chiani tenentur ex iure communi » et Tridentino, quam quod ma- » gna sit distantia inter Pastorem, » cuius sunt oves propriae, ut in- » stituitur in novis Parochiis, et » Sacerdotes, qui in Capellis nec » omnia praestant, nec tamquam » suis. Plenius ergo satisfit magno » incommodo per erectionem no- » vae parochiae, quam per capel- » lam; eaque in casu magni incom- » modi mens esse videtur Concilii » Tridentini... »

Hinc etsi rectores paroeciarum oppositionem faciant, ne deveniatur ad dismembrationem, et saepe saepius adpromittant retinere unum vel plures capellanos, qui in capellis occurrere valeant indigentiis spiritualibus paroecianorum, tamen

dismembratio, ut plurimum, conceditur. Recole paulisper exemplum dismembrationis relatum pag. 293 et reperies confirmatam praxim, de qua hucusque verba fecimus. Rector veteris ecclesiae, curis omnigenis studuit dismembrationem praepedire; ast dismembratio locum habuit, eo quod maiori paroecianorum commodo consultum sic fuit. Alia quamplurima prostant exempla, quae innuunt sacram iurisprudentiam nunc praeferre dismembrationem aliis remediis pro bono animarum. Sic in Vol. XII har. eph, pag. 287 relatam habes quaestionem in qua Parochus nullum non movit lapidem ut impediret dismembrationem. Autumavit nullum adesse spirituale detrimentum pro populo: nam Ecclesiae Barnabitarum et Capuccinorum intra paroeciae limites positae praesto erant pro bono animarum. Et Capuccini et Barnabitae operam adiutricem praestabant Parocho in administrandis Sacramentis. Attamen dismembratio impertita fuit. Alia dismembrationis quaestio adest in volumine decimo pag. 261, aliaque in Vol. septimo pag. 37. Et nonnulla alia exempla harum quaestionum reperies in aliis ephemeridum harum voluminibus.

Ex quibus exemplis aliisque quamplurimis relatis in Thesauro resolutionum s. C. Concilii, pernoscere est iurisprudentiam antiquam temperamentum accepisse. Nam dismembratio tunc temporis habita est tantum uti remedium extremum; ita ut locum non haberet quoties necessitati consuli potuisset per Parochi Vicarium. A medio fere saeculo elapso mitius iudicatum est de evidenti ecclesiae utilitate, ita ut haec non confunderetur cum absoluta necessitate. Hinc praxi recentiori pene nulla habetur ratio de remediis subsidiariis vel extremis. Et quatenus utilitas in animarum bonum appareat, dismembratio decernitur, neque facili modo improbatur si ab Episcopo facta fuerit, praecipue si dos aut sufficientes reditus non desint pro novo parocho.

ONERIS MISSARUM

Die 31 Ianuarii 1880

Compendium facti. Postremis quibus decessit tabulis anno 1622 Michael Estevanel Cathedralis Ecclesiae V. Canonicus, pium legatum missae quotidianae cum anniversario, quotannis in perpetuum celebrando instituit, pro quorum onerum adimplemento rusticum fundum, nomine *Mas Roure* assignavit. Iussit etiam ut loco depositi servaretur apud Capitulum quidquid, adimpleti dictis oneribus, superesset: eo consilio, ut per depositum suppleretur, quatenus fructus haud essent satis; et si aliquid etiam superesset investiretur in census aut in terrenorum emptionem ad *placitum* Capituli. Attamen hic notandum venit, testatorem verbo catalano *coneguda* usum esse, quod duplici respondet sensui: *ad placitum*, et *in favorem*.

Volvente anno 1855 dictum praedium *Mas Roure* gubernium usurpavit, neque respondentes syngraphas, quas promisit, consolidatus in posterum tradere curavit. Nihilo tamen secius Capitulum nedum omnes pii fundatoris dispositiones fideliter adimplevit, verum etiam, cum non exiguam pecuniae quantitatem ex fructibus dicti praedii perceptam servaret, eamdem erogavit in emptione titulorum debiti publici, qui tunc in magna aestimatione erant, et reditus exinde percepti usque ad annum 1873, applicati sunt in missae quotidianae et anniversarii celebratione, et quod residuum supererat inter Canonicos distributum est. Cum autem huiusmodi reditus non videantur fructus praedii *Mas Roure*, sed potius fructus illius pecuniae quae penes Capitulum asservabatur, quaeque iuxta postrema fundatoris verba in favorem ipsius Capituli erogari poterant, Canonici Ecclesiae Cathedralis, supplici libello, ad S. C. C. convolarunt declarari

postulantes, utrum de iustitia applicari debeant Missa quotidiana et anniversarium ad mentem fundatoris, vel potius aliis usibus ad placitum Capituli et in favorem ipsius erogari queant. Ex narratione Canonicorum colligere est, actualem titulorum reditum ad 1620 regales annuos ascendere, ac pro integro onerum adimplemento 2000 esse necessarios.

Disceptatio Synoptica.

EA QUAE CANONICIS FAVENT. Quibus in facto praestitutis, in iure ex una parte statui posse videtur, quod Canonici nullimode ad praescripta onera satisfacienda teneantur. Tralatitii namque iuris est quod, si pereant fructus designati pro Missarum adimplemento, vel si absque legatarii culpa inexigibiles evaserint, obligatio Missas celebrandi eo ipso cessat. Ita *Honcala De valor. Missar. art. 17 prop. 1, Perez de Annivers. lib. 1 cap. 15 num. 8, 9, Riccius in praxi resol. 150 in fin. part. 4, Luzana in Summ. verb. Missa num. 37, Garz. in Summ. tract. 3 dif. 10 dub. 10 num. 2.* Onus siquidem Missarum impositum adhaeret legato, et fructibus ipsius tamquam fundamento. Si ergo deficiunt fructus cessabit onus, et obligatio celebrandi Missas, quia deficiente fundamento, corruat etiam oportet quod super ipso fundatur *L. Nam origo ff. Quod vi aut clam, et Cap. cum Paulus 1. q. 1.* Quae conclusio confirmatur ex eo quod obligatio quaelibet excedere nequit intentionem utriusque contrahentis, cum a partium consensu enascatur *L. 1 §. 1 ff. De pactis, L. Si ego et Non omnes ff. De rebus credit., L. in vendit. ff. de contrah. empt.* Cum autem fundator assignat pro onere celebrandi congruos proventus, intendit obligare mediante illa compensatione, et suscipiens onus intendit se obligare quatenus sibi obveniant proventus compensantes onus; subindeque obligatio tamquam data et assumpta sub modo seu conditione, hac deficiente, obligatio ipsa resolvitur *L. Adigere § Quamvis ff. de iurepatr.* Idem dicendum, si fructus citra ullam legatarii culpam, inexigibiles evaserint, quia tunc perinde est ac si non adessent, *L. Ex consensu §. 1 ff. De appellat.*

Hoc autem in themate contigisse, nullatenus dubitari posse videtur. Perlecta sane piissimi testatoris dispositione, apparet quod ipse *taxative* fructus praedii *Mas Roure* assignavit pro onerum adimplemento. Hoc porro suadet dispositio testatoris, quae exorditur ab assignatione fundi, et deinde onera praescribit, quo in casu designationem taxative factam esse docent. *Felin. in cap. Super Litteris n. 4. De rescript., Tondut. Quaest. benef. tom. 2 part. 3 cap. 162 n. 5 seqq., Monacel. Formul. Legal. part. 1. tit. 10 form. 19 num. 22, Pignat. cons. 110 num. 1 tom. 9* aliique quamplurimi; quibus adhaesit S. C. C. ceu videre est in instructione, qua transmittit Episcopis facultatem petentibus Missarum onera reducendi, uti perbelle notat *Benedict. XIV De Syn. Dioec. lib. 13 cap. ult. num. 32.* atque confirmatur, ceu tradit *Rota in decis. 55 num. 2 coram Merlino,* ex eleemosynae taxatione, quam mandavit testator in tres solidos pro qualibet Missa, praecipiendo tantum ut superfluum servaretur a Capitulo loco depositi, eum solummodo in finem, ut si aliquo in anno contingeret fructus insufficientes esse, per depositum suppleri posset.

Quin officiat, quod penes Canonicos extet reditus in annua summa regalium 1620 ex dicto fundo proveniens; reditus enim huiusmodi potiusquam ex fundo *Mas Roure*, dicendi sunt ex bonis capituli provenire. Quandoquidem legem testator edixit, ut si superextantes adessent reditus, post onerum implementum, fundorumque melioramenta ipsi cederent in Capituli favorem. Si ergo eos minime Capitulum consumpsit, quos ad tramites fundationis consumere poterat, sed in sortem convertit, sors ipsa et fructus ex ea obventuri, minime ex praedio *Mas Roure* provenire dicendi sunt, sed ex parsimonia rerum ad Capitulum ipsum pertinentium.

Ea quae Canonicis adversantur. Ex altera vero parte perpendi debet quod legatorum piorum suppressio a iure canonico prorsus improbatur, tum quia bono Ecclesiae adversatur, tum testatorum voluntates inde pessumdantur, quas adamussim servandas esse praecipit *Can. Ultima voluntas 4 caus. 13 quaest. 2, L. 12 ff. de verb. signif., L. 1 Cod. de Sacros. Eccles. Trident. Synod. sess. 22 cap. 6 de Reform.* Hinc quamdiu existant fundi, quibus

ex testatorum dispositione onera inhaerent, eadem semper implenda sunt. Hoc autem in themate contingere videtur, quandoquidem tesserae consolidatus, quibus hodie fruuntur Canonici, dicendae sunt efformare partem fundorum pro legato a Michaele relicto. Quandoquidem ipsi ad testamenti tramites asservabantur a Capitulo; ex ipsis sors creata, quae subinde et fundo accessit, atque non aliam quam ipsius fundi naturam et destinationem induere poterat. Accessorium enim sequitur sui principalis naturam *L. fin. Cod. De non num. pecun., L. Etiam. Cod. De iur. Dot., Reg. Accessorium De reg. iur. in 6*. Neque revera credi facillime potest quod Capitulares persentientes, hos fructus ad se spectare, ipsos in loco depositi in arca Capitulari reliquisse, ut dein in sortem permutati cederent in successorum beneficium.

Quapropter si firmum in iure est, quemadmodum esse debet, quod cum res est de causa pia Missarum, omnis est sumenda lata interpretatio *Bordon. de Legat. piis cap. 1 num. 125*, S. C. in *Casert. Benef. 26 Nov. 1796* §. *Res*, videretur quod in testamenti interpretatione verbum illud admittendum est, quod magis favet legati implemento, quodque cohaeret fundatoris voluntati. Hoc autem praestare vocabulum *ad placitum*, ictu oculi apparet, adeo ut aliis conditionibus plene adimpletis, Capitulo quidem optio concessa fuerit determinandi modum meliorem, quo fructiferi redderentur eiusdem praedii reditus, minime vero ut eosdem in proprios usus converteret.

Hanc autem interpretationem sequendam suadet observantia, quae nos edocet legatum ex fructibus promanantibus a consolidatus syngraphis, ex superextantibus reditibus acquisitis, persolutum fuisse ad annum usque 1873. Neminem autem fugit observantiam attendendam esse *L. Minime ff. De leg., L. si de interpret.* utpote quae omnia ambigua dirimit *cap. Cum venissent ubi Butr. n. 2 De instit., Cap. Cum Dilectus De Consuet. Ludovic. conclus. 38 vers. infertur primo, Gratian. Discept. for. cap. 45 n. 62* inducit novum contractum et declarat voluntatem contrahentium *Gratian. loc. cit. cap. 675 num. 14* atque in linea interpretativa sequenda etiam impropriando verba *Butr. in*

Cap. Cum dilectus De consuet., Gratian. loc. cit. n. 32 quin egeat praescriptione *Surd. consil. 220 num. 3 lib. 2. Gratian. loc. cit. cap. 716 num. 21 et cap. 756 n. 25 Menoch. cons. 21 num. 25*. De observantia autem in themate ipsi Capitulares testantur.

Neque demum praeteriri debet quod ex segnitie Capituli, forte respondentes fructus deperditi fuere. Quandoquidem neque verbum neque vola in actis apparet de diligentia a Capitulo adhibita ad respondentes syngraphas consolidatus a gubernio obtinendas, pro fundo ab eodem usurpato.

Quibus hinc inde breviter animadversis remissum fuit **EE. PP.** iudicio sequens enodare

Dubium

An Capitulum teneatur satisfactioni onerum Missarum in casu.

Resolutio. Sacra C. Congr. die 31 Ianuarii 1880, re discussa, censuit respondēre:

Affirmative ad ratam reditus.

Ex quibus colliges. I Ne pessumdentur testatorum voluntates omnia iura clamant; ideoque piorum legatorum suppressio omnino a ss. canonibus improbatur.

II Hinc quoties testatorum verba aliquam secumferant ambiguitatem, favore causae piae interpretationem esse faciendam Doctores innuunt, praecipue si de causa Missarum verbum sit.

III Et ideo quomodolibet fundi existant, quibus ex testatorum voluntate onera Missarum annexa sunt, huiusmodi onera implenda esse iura ratioque dictant.

IV In themate ambigi non posse videtur adhuc fundum aliquo modo existere: nam sors, reditibus eiusdem fundi creata per *tesseras consolidatus*, fundi prioris naturam induit, et ad finem eumdem dirigitur.

V Quod autem excessus redituum in canonicorum favorem cedere deberet, neque diutina interpretatio ab eisdem acta, neque testatoris verba pro certo innuunt, qui rite videtur nil aliud Cano-

nicis reliquisse quam optionem, optimum statuendi modum, quo relicti praedii reditus fructiferi redderentur.

VI Interpretationem ab observantia partam, maximi esse momenti, eoquod, ex ipso iure, omnia ambigua dirimat, declaratque contrahentium voluntatem.

IURIS CONFERENDI CANONICATUS

Die 31 Ianuarii 1880.

Compendium facti. Vertente anno 1514 Summus Pontifex Leo X, ad rem edita Apostolica Bulla, Ecclesiam Beatae Mariae Virgini sub titulo Pacis dicatam, in civitate C. in insignem Collegiatam erexit, Capitulumque constituit, quod sex Dignitatibus, duobus Officiis, duodeviginti simplicibus Canonicis, et decem Beneficiariis seu Mansionariis efformabatur. Eorum singulis distinctam praebendam assignavit, omnibusque Praepositum praefecit, qui Collegiatae sic erectae prima dignitas constitutus est.

Voluit autem Summus Pontifex, ut ius praesentandi ad dictas praebendas ad Capitulum pertineret, praeter Praeposituram, pro qua patronatus ius reservavit favore Ferdinandi de Ursinis Campaniae Comitis eiusque successorum; nec non praeter Archidiaconatum, secundam Capituli dignitatem, pro qua idem patronatus ius concessit Melchiorri de Guerrieris eiusque haeredibus et successoribus.

Anno 1525 Summus Pontifex Clemens VII, altera edita Bulla, Collegiatam C. ad Cathedralis honorem evexit, eamque Cathedrali S. tunc existenti, aeque principaliter univit. Insuper Praeposituram suppressit, sicque Archidiaconatus prima post Pontificalem dignitas effecta est, reservatis favore Capituli iuribus vel privilegiis, quibus antea fruebatur.

Qua vero ratione et methodo posteriori aevo usque ad annum 1688 Canonicatuum et praebendarum collatio facta fuerit,

ob documentorum interitum, in tenebris delitescit. Hoc unum certum est, quod anno 1546 institutio data fuit ab Episcopo Sacristae Filiuli a Capitulo praesentato; atque ab anno 1688 ad annum 1774 collatio praebendarum vacantium in mensibus Apostolicis a Dataria facta fuit; in reliquis Capitulum usum est iure praesentationis, et Episcopus institutionem contulit. Ea vero aetate, cum controversia exarsisset circa ius praesentandi ad quamdam praebendam vacantem, Syndicus Civitatis C. recursum habuit ad Regem Ferdinandum IV, petens ut Capitulum redintegraretur in iure praesentandi omnibus et singulis mensibus anni, eidem a Leone X concesso; et revera voti compos effectus est, ad rem datis regiis decretis diei 11 Iulii 1778 et 14 Octobris 1797.

Mox adventarunt tempora occupationis Gallicae in regno Neapolitano, quibus iura Pontificis, Episcopi, ac ipsius Capituli pessumdata fuerunt, dum Rex ipse haec iura usurpaverat. Restituta tranquillitate ac pace, Capitulum in hoc iure permansit ad annum usque 1818. Quo volvente conventio inita fuit inter Summum Pontificem Pium VII et utriusque Siciliae Regem, atque in ipsa statutum, quod in posterum Cathedralium et Collegiatarum Canonicatus liberae collationis ab Apostolica Sede conferrentur pro primo semestri cuiusque anni, pro secundo vero ab Episcopis.

Cum autem rursus controversia exarsisset inter Archiepiscopum et Capitulum circa interpretationem huius articuli, quaestio per illum ad Regem delata est, qui audita relatione Commissionis Executricis Concordati, die 2 Maii 1824 eam diremit dato regio decreto, quo cavit Capitulo applicandam esse resolutionem alias editam, quod scilicet, firmo remanente primo semestri cuiusque anni favore Apostolicae Sedis, Capitulum praesentaret ad praebendas vacantes in primis quatuor mensibus secundi semestris; duo postremi anni menses forent liberae collationis Archiepiscopi.

Hac ratione, quaestione dirempta, res pacifice processerunt usque ad annum 1860, quo Neapolitanae provinciae a Subalpino Gubernio usurpatae fuerunt. Ea aetate Capitulum ad

Ministrum vulgo dictum *Guardasigilli* recursum habuit, ut sibi omnium mensium electionem vindicaret. Minister, Capitulum obsecundavit, et pro assertis iuribus stetit. Quapropter Archiepiscopus Capitulum in ius rapuit, at in prima et secunda instantia causa cecidit, et in supremo tribunali vulgo *Cassazione* lis adhuc sub iudice est.

Iure tali modo quaesito Capitulum usum fuit, quin tamen Archiepiscopus praesentatis institutionem unquam concesserit.

Res ita se habebant, quando idem Rmus Praesul in relatione status suae Ecclesiae S. C. C. supradicta exposuit, petens ut causa ab hac S. C. examini subiiceretur ac definiretur.

Disceptatio Synoptica.

IURA ANTISTITIS. Ac prae primis contra praetensum ius Capituli Ecclesiae Cathedralis C. Archiepiscopus invocat dispositionem Tridentinae Synodi in *Sess. 25 cap. 9 de Reform.;* ubi quaelibet privilegia antea existentia quoad electionem ad praebendas vacantes abrogavit, ac earumdem collationis ius Ordinariis restituit. Cum igitur, concludit, Tridentini Patres omnia privilegia super iure praesentandi concessa revocaverint, in tenues abiit auras Capitularium praetensio innixa privilegiis antea ipsis a Leone X elargitis. Eo vel fortius quia Summus Pontifex Leo X nullum privilegium in sua Bulla Capitulo concessit, sed cavit tantum quod de iure statutum est.

Quandoquidem electio ad Canonicatus in Collegiata vacantes de iure communi ad ipsum collegium spectat. Huius doctrinae testis est *Cardin. De Luca De beneficiis disc. 17 num. 5* – ibi – « Ad docendum ergo de dicta electiva qualitate duo deducebam, primo scilicet disciplinam iuris communis, quam aliqui » deducunt ex dispositione textus in *cap. Ex transmissa de* » *renunc. et cap. Significatum de praebend. et concord.* ut in » Ecclesiis Collegiatis Canonicatuum et Beneficiorum provisio » pertineat ad ipsum Collegium seu Capitulum. *Garz. de Benef.* » *part. 5 cap. 4 num. 58 et seqq. Rot. in rec. decis. 157* » *num. 22 part. 6; decis. 133 num. 3 part. 2.* ».

Si ergo nullum privilegium a Leone X fuit Capitulo concessum per Bullam erectionis Collegiatae, consequens est nullum itidem privilegium hac super re fuisse a Clemente VII confirmatum. Imo cum Capitulum siverit Ecclesiam Collegiatam in Cathedralem converti, ius conferendi Canonicatus amisit. Explorati namque iuris est, mutatis rerum conditionibus, quaelibet iura evanescere atque privilegia. Ita s. Rota in *decis. 1445 n. 2 et 7 cor. Seraphino* – ibi – *Mutato statu, mutatur ius, et eius effectus*.

Quin effugium captare valeat Capitulum in verbis Bullae Clementis VII; « *uti, potiri, gaudere poterunt privilegiis, et* » *exemptionibus libertatis, immunitatibus, gratiis, favoribus et* « *indultis* »; huiusmodi enim verba non ad ius electionis aut praesentationis referenda esse tenet Archiepiscopus, quod ad Capitulum spectabat de iure, bene vero ad alia privilegia, indulta immunitates a Leone X eidem Capitulo concessa.

Quod magis ac magis in comperto ponitur, si prae oculis habeantur verba Clementinae Bullae concedentis: « Pro tempore « Episcopo existenti..... quod omnibus et singulis quibus aliae » Cathedrales Ecclesiae et illarum Episcopi.... aliaeque civita- « tes, dioeceses..... in genere utuntur ». Per quae quidem verba Episcopo C. ea omnia iura tributa dicit Archiepiscopus, quae coeteris Episcopis tribuuntur a iure communi. Iamvero ex iure communi Episcopus est ordinarius collator Canonicatuum et beneficiorum suae Ecclesiae: *Can. Quaecumque res. 5 c. 10 qu. 1* – ibi – « Quaecumque res Ecclesiae sunt, convenit... gu- » bernari et dispensari cum iudicio et potestate Episcopi, cui » totius plebis animae videntur esse commissae. » Et Concil. Lateranen. I can. 4, 7 – ibi –... « Nullus omnino Archidia- » conus aut Archipresbyter aut Praepositus aut Decanus....... » praebendas Ecclesiae sine iudicio vel consensu Episcopi alicui » tribuat: imo sicut sanctis canonibus constitutum est....rerum » ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi iudicio et potestate » permaneat. » Quin imo adeo excluditur a iure communi hoc privativum ius Capituli quoad collationem vacantium beneficiorum, ut neque sede vacante Capitulum aut Vicarius Capi-

tularis possit ea conferre, quae sunt liberae collationis, sed tantum concedere institutionem praesentatis a patronis veluti post dispositionem *cap. 1 tit. 6 lib. 3 Decret. in* 6 una echo docent Canonistae.

Iura Capituli. Ex altera vero parte Canonici Ecclesiae Cathedralis contendunt, Leonem X per citatam erectionis Bullam Collegiatae C. privilegium concessisse eidem Capitulo eligendi ad dignitates, canonicatus et praebendas vacantes quolibet anni mense, demptis tantummodo Praepositura et Archidiaconatu. Quod quidem privilegium confirmatum fuisse edicunt a Clemente VII qui eamdem Ecclesiam Collegiatam in Cathedralem erexit. Hoc autem ut probent, invocant et ipsi Clementinam Bullam, qua decernitur: « Capitulum praedictum quibus ante » eiusdem erectionem de iure vel consuetudine, tam Apostolicis » concessionibus quam alias utebantur et gaudebant, ac in po- » sterum uti, potiri, gaudere poterunt privilegiis et exemptio- » nibus libertatis, immunitatibus, gratiis, favoribus et indultis, » uti, potiri et gaudere valeant indulgemus. » Atqui et iura capituli et illud conferendi Canonicatus, quolibet anni mense vacantes recensebatur. Ergo et hoc ius favore Capituli a Clementina dispositione confirmatum fuit.

Quo posito, aiunt Canonici, unica difficultas quae ex articulo X enunciatae Conventionis oriri posse videtur, nihili prorsus facienda est; conventio enim legem generalem dicit pro toto regno, quae non derogat privilegiis privatorum, et ius tertio quaesitum non tollit, nisi de iis expressam et specialem mentionem faciat. Iamvero, aiunt Canonici, canon iurisprudentiae est, quo non vulgatior alter, quod leges posteriores intelligendae et applicandae sunt cum limitationibus et exceptionibus legum anteriorum: *ll. 26, 27 et 28 ff. De Legib. Pothier in Pandect. ib. 1 tit. 3 §. 13 not. d.*

Cum ergo, concludunt Capitulares, conventio praefata intelligenda sit, cum exceptionibus et limitationibus ex privatorum privilegiis manantibus, consequens est quod ipsa in themate applicari non valeat, ideoque in mensibus omnibus ius ad vacantes canonicatus nominandi ad Capitulum pertinere.

Neque novum in iure subdunt Canonici, quod collationes beneficiorum, sive ex fundatione, sive ex consuetudine et praescriptione, sive ex speciali privilegio fiant a Capitulo ceu docent *Van-Espen. Ius Eccles. part. 2 sect. 3 tit. 4 §§. 17, 18 et 19, Barbosa de Canon. cap. 54 in cap. 31 de elect.* in quo Innocentius III mandat Episcopo Florentino, ut manuteneat Capitulum Vulteranen. in quasi possessione eligendi ad Canocatus vacantes.

Hisce utrinque perpensis, suppositum fuit Emorum Patrum prudentiae dirimendum

DUBIUM

An et cui competit ius conferendi Canonicatus in casu.

Resolutio: Sacra C. Cong. re perpensâ sub die 31 Ianuarii 1880 respondere censuit:

Affirmative quibus de iure ad formam decreti 2 Maii 1824 (1)

Ex quibus colliges:

I. Tridentinum *Sess. 25 cap. 9 de ref.* abrogasse omnia privilegia antea capitulorum favore existentia, quoad ius nominandi eligendi et praesentandi ad vacantes praebendas, atque constituisse, ut a suis collatoribus libere et pleno effectu conferri deberent.

(1) Anno 1818 conventio inter Apostolicam Sedem et Regem Siciliae inita est. In ea quoad collationem omnium beneficiorum liberae collationis conventum fuit, ut primis sex mensibus cuiuslibet anni, collatio fieret a Sede Apostolica, aliis sex mensibus ab Episcopis. Cum pluries orirentur controversiae inter Episcopos et canonicos qui despoliati fuerunt omni iure super collationibus, Commissio executrix Concordati constituit sub die 2 Maii 1824, ut etiam Capitulum, de quo quaestio est, posset per quatuor menses conferre beneficia. Ideoque iuxta decretum hoc, a resolutione praesenti confirmatum, sex mensibus Papa, quatuor mensibus Canonici, et duobus ultimis anni mensibus Episcopi beneficia conferunt.

II. Ex communi siquidem iure Episcopos esse canonicatuum beneficiorumque suae ecclesiae ordinarios collatores.

III. Quinimo ex iure communi, neque sede vacante ius habent Canonici beneficia conferendi liberae collationis, sed tantum institutionem concedere queunt praesentatis a patronis.

IV. In themate etiamsi ius hoc habuissent Canonici, amisissent tamen post conventionem inter Apostolicam Sedem regemque Siciliae, qua sancitum fuit ut canonicatus qualescumque ab Apostolica Sede et ab Episcopis ad invicem per sex menses conferri deberent.

V. Neque dici posse iura canonicorum quasi reviviscere postliminii iure, ex quo abolita sit praefata conventio per gubernium italicum; nam hoc admisso, ius commune et regulae Cancellariae semper remanent.

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

DECRETUM

Quo dum assuetae conceduntur Indulgentiae, toleratur exercitium Viae-Crucis fieri cum interruptione, et Cruces esse lapideas et ferreas.

Die 18 Septembris 1880.

Beatissime Pater

Episcopus Valentinen. humillime ad osculum ss. Pedum provolutus exposuit, quod die 11 februarii anni 1822, vi specialium facultatum, benedicta atque solitis ditata fuerit Indulgentiis, in oppido *Romans*, praedictae Dioecesis, Statio *Viae-Crucis*, appellata magnum Calvarium (grand Calvaire) eoquod 34 constet stationibus; quae repraesentant praecipua mysteria Passionis D. N. Iesu Christi, ceu colligitur ex authentico documento. Ast

Orator Episcopus ad mentem revocans decretum s. Congreg. Indulgentiarum diei 15 Novembris 1878 (1) quo constitutum fuit, Cruces stationum ligneas esse debere; dum illae quae habentur in Urbe *Romans* sunt ferreae aut lapideae; et quoniam omnis immutatio admirationem aut scandalum gignere posset inter fideles; ideo Sanctitatem Vestram exorat, ut concedere dignetur, cruces praedictas permanere posse quales nunc sunt, quin tamen Christifideles detrimentum patiantur quoad Indulgentias concessas pro pio Viae-Crucis exercitio; eodemque tempore exposcit ut, longi itineris gratiâ per loca, certo non commoda, pium Viae-Crucis exercitium expleri possit cum aliqua interruptione.

Decretum. SSmus in audientia habita die 18 Septembris 1880 ab infrascripto Secretario, benigne respondit: tolerandum Cruces remanere posse ferreas et lapideas pro acquisitione Indulgentiarum Viae-Crucis; praeterea quoad expetitam interruptionem, Sanctitas Sua remisit preces arbitrio et prudentiae Episcopi Oratoris, cum facultatibus necessariis et opportunis, ea tantum lege, ne interruptio nimis longa evadat. Praesenti in perpetuum valituro absque contrariis.

Datum 18 Septembris 1880

Fr. Th. Mª. Card. Martinelli
P. Delicati *Secretarius*

Votum Consultoris. Consultor rogatus, ut quoad Episcopi preces, quod sentiret exponeret, sequentes emisit observationes:

1. Iam anno 1732 de hisce stationibus Viae-Crucis in oppido *Romans* existentibus in S. C. Indulg. actum est. Etiam tunc Ordinarius loci attestatus est, non solum fideles loci, sed etiam circumvicinos frequenter exercitium Viae-Crucis peragere, et propter longum iter et tot stationes, tantum spatio trium circa horarum illud absolvere, unde ad augendam fidelium devotionem supplicavit, ut pro hoc exercitio certis diebus Indulgentia plenaria concederetur.

(1) Decretum hoc prostat Vol. XI pag. 401 harum ephemeridum.

2. S. Cong. Indulg. circa hanc petitionem votum Consultoris exquisivit: is vero censuit gratiam esse negandam. Duas rationes pro sententia negativa adduxit: 1. est, quia methodus, sive forma pro exercitio Viae-Crucis iam approbata, ab omnibus fideliter et absque immutatione servanda est: 2. et praecipua ratio ipsi videbatur, quia Via-Crucis in Ecclesiis instituenda est, non vero in viis publicis. Iuxta votum Consultoris s. Congr. respondit: *Negative.*

3. Decretum s. Cong. non fuit publicatum aut saltem non habuit effectum suum: nam post centum et quinquaginta circiter annos Episcopus, qui certe hoc decretum non cognovit, de illis stationibus et de frequentia populi eadem refert quae eius Praedecessor. Sine dubio etiam tum timebant, ne supprimendo stationes populus Christianus scandalizaretur et devotio diminueretur.

4. Iam videndum est, an decretum huius S. C. anni 1732 simpliciter confirmandum sit, an vero conveniat ab eo recedere.

5. Ingenue fateor mihi votum Consultoris de anno 1732 et decretum s. Cong. illud approbans non placere, et plures rationes suadere ab eo recedere. Ex causis a Consultore adductis secunda, quae ipsi principalior videtur, plane non subsistit. Dicit enim stationes Viae-Crucis in Ecclesiis, non vero in locis publicis erigendas esse. At vero apud Theodorum a Spiritu Sancto tom. II pag. 331. habetur declaratio in erigendis stationibus servanda, ibique sub num. 3. legitur: « Illis in locis autem, in quibus erigi vellet, extra Ecclesiam, ceu mos est apud plures Conventus dicti Ordinis » (Fratrum Minorum).

6. Altera ratio Consultoris erat uniformitas in erigendis stationibus Viae-Crucis servanda. Sed hic observare vellem, antiquissimam esse Viam-Crucis in oppido *Romans* existentem: erecta enim fuit anno 1515, ut Episcopus scribit, sedente in Cathedra Petri Papa Leone X, qui plurimas indulgentias concessisse fertur. Unde haec Via-Crucis a quatuor saeculis, demptis 35 annis, subsistit, et vix antiquior in universo Orbe terrarum existit; quod eo magis mirandum est, quia bella et tempestates intestinae in Gallia omnia fere monumenta sacra destruxerunt,

sed transiit terror et rediit devotio Viae-Crucis. Tempore Leonis X nondum edita erant decreta generalia, quibus institutio Viae-Crucis regulis circumscribebatur, et minime constat, decretis posterioribus abrogatas fuisse Vias-Crucis antea existentes, vel abrogata fuisse privilegia et gratias eisdem concessa.

Longe post Leonem X, Innocentius XI (anno 1686) Innocentius XII (1692) Benedictus XIII (1726) Clemens XII (1731) et Benedictus XIV constitutionibus et decretis suis normas in erigendis stationibus Viae-Crucis servandas ediderunt: et haec quidem decreta inviolabiliter observanda sunt a tempore publicationis: sed non annullant quae ante valebant.

7. Sive igitur antiquitatem huius Viae-Crucis, sive devotionem populi, quae ex suppressione scandalum pateretur, bene consideres, concludendum videtur, petitionem Episcopi substantialiter saltem admittendam esse.

8. Nunc petitionem Episcopi propius consideremus. Petit 1° ut rebus nihil innovatis, fideles omnes Indulgentias, quae ordinariae Viae-Crucis concessae sunt, lucrari possint. Utique stationes 34 conservandae sunt, ne scandalum oriatur et devotio populi damnum patiatur. Potest etiam in casu particulari et plane unico dispensari, ut cruces ferreae vel lapideae loco lignearum retineantur. Sed quoad Indulgentias aliquid statuendum videtur; non enim constat, quales Indulgentiae antiquae Viae-Crucis concessae fuerint.

Sine difficultate concedi possunt Indulgentiae, quae ordinariae Viae-Crucis concessae sunt: idque Episcopus expostulat. At vero qui non tantum 14 stationes, sed 34 visitat, et in visitatione tres circa horas insumit (uti in decreto anni 1732, habetur) etiam in visitatione aliarum 20 Stationum aliquas indulgentias lucrari meretur. Sed circa has Indulgentias in secunda Episcopi petitione verbum facere volo. Cum Episcopus in prima petitione aliud non petit, nisi ut fideles Indulgentias Viae-Crucis lucrari possint, si stationes 34 visitent sicut hucusque factum est, nihil innovando, simpliciter iuxta eius preces responderi posset: tunc nec ulla declaratio facienda esset; sufficeret, ut

si interrogatio fieret, responsum daretur, quod haec Via-Crucis approbata est et Ingulgentiis gaudet, quae peragentibus Viam-Crucis concessae sunt.

9. Magis mihi placet secunda petitio Episcopi, quam facit pro casu, quo prima non admittitur. « Si primum impossibile, » ut Episcopus sive per se, sive per delegatum cruces ligneas » privatim benedicat, easque benedictas quatuordecim ex statio- » nibus sic iam erectis superponat, meliori quo fieri possit modo, » ne scandalum oriatur. » Nihil invenio quod huic petitioni opponi possit. Si Episcopus 14 Cruces ligneas benedicit et stationibus imponit, Via-Crucis in forma consueta erigitur. Tantummodo necessarium mihi videtur, ut istis 14 Stationibus affigatur inscriptio. *Una ex 14.,* sicut fit in altaribus privilegiatis. In hoc casu minime necessarium est, ut fideles omnes 34 Stationes visitent: qui vero iuxta consuetudinem, per quatuor fere saecula servatam, omnes stationes visitat, dignus est ut pro reliquis etiam 20 Stationibus aliquas partiales Indulgentias lucretur.

10. Habetur in decreto s. Cong. de anno 1732, visitationem 34 stationum non absolvi nisi spatio trium circa horarum. Unde recte scribit Episcopus, esse admodum difficile, stationes unico tractu percurrere et supplicat, ut pii christiani exercitium Viae-Crucis, quodam temporis intervallo interposito, peragere possint. Haec petitio iusta est, maxime pro iis, qui omnes stationes visitant; sed ne differentia statuatur inter primos et alteros, concedenda videtur omnibus tanto magis, quia iam usus talis existit.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

ISTRUZIONE

Alle Curie Ecclesiastiche sulle forme di procedimento economico nelle cause disciplinari e criminali dei Chierici.

Li 11 Giugno 1880.

Questa s. Congregazione dei VV. e RR. maturamente considerando la presente condizione della Chiesa, quasi da per tutto impedita di spiegare l'esterna sua azione sulle materie e persone ecclesiastiche, e riflettendo anche al difetto dei mezzi atti all'organizzamento regolare delle Curie, è venuta nella determinazione di autorizzare espressamente gli Ordinarii a far uso delle forme più economiche nell'esercizio della loro disciplinare giurisdizione sui Chierici. Ed affinchè resti salva ogni ragione della giustizia, e si mantenga la canonica regolarità ed uniformità dei procedimenti, reputa opportuno di emanare le seguenti norme a cui le Curie devono attenersi.

I.

L'Ordinario ha l'obbligo pastorale di curare la disciplina e correzione dei Chierici da se dipendenti, vigilando sulla loro condotta, ed usando i rimedi canonici

INSTRUCTIO

Pro Ecclesiasticis Curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum.

Die 11 Iunii 1880.

Sacra haec EE. et RR. Congregatio, mature praesenti Ecclesiae conditione perpensâ, quae pene ubique impeditur, quominus externam explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas, et considerato quoque defectu mediorum aptorum pro regulari Curiarum ordinatione, constituit facultatem Ordinariis locorum expresse concedere, ut formas magis oeconomicas adhibere valeant in exercitio suae disciplinaris iurisdictionis super Clericis. Ut autem tota iustitiae ratio sarta tectaque maneat, serveturque processuum canonica regularitas et uniformitas, opportunum censuit sequentes emanare normas, a Curiis servandas.

I.

Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque Clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitae rationem vigilando, remediisque

per antivenire, ed eliminare disordini fra i medesimi.

utendo canonicis ad praecavendas apud eosdem et eliminandas ordinis perturbationes.

II.

Questi rimedi altri sono *preventivi* ed altri *repressivi* e medicinali. I primi sono diretti ad impedire che il male avvenga, a rimuovere gl'incentivi di scandalo, le occasioni volontarie, e le cause prossime a delinquere. I secondi hanno per iscopo richiamare i colpevoli a buon senno, e riparare le conseguenze del loro reato.

II.

Ex his remediis alia praeveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur ut impediant quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariae, causaeque ad delinquendum proximae removeantur. Altera finem habent revocandi delinquentes ut sapiant reparentque admissi criminis consequentias.

III.

Sta alla coscienziosa discrezione dell'Ordinario l'applicar questi rimedi a tenore delle prescrizioni canoniche secondo la gravità dei casi e delle circostanze.

III.

Conscientiae et prudentiae Ordinarii horum remediorum incumbit applicatio, iuxta canonum praescriptiones, et casuum adiunctorumque gravitatem.

IV.

Tra le misure preservative si annoverano principalmente il ritiro spirituale, le ammonizioni, e i precetti.

IV.

Mediis quae praeservant praecipue accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta.

V.

A tali provvedimenti deve precedere una verificazione sommaria del fatto; della quale è d'uopo che l'Ordinario tenga nota per poter procedere, se occorra, *ad ulteriora*, ed anche per darne conto all'Autorità superiore in caso di legittimo ricorso.

V.

Has provisiones praecedere debet summaria facti cognitio quae ab Ordinario notanda est, ut *ad ulteriora* procedere, quatenus opus sit, et certiorem reddere queat superiorem Auctoritatem, in casu legitimi recursus.

VI.

Le canoniche ammonizioni si applicano o in forma paterna e segreta (anche per lettera o per interposta persona), ovvero in forma legale, facendone però sempre risultare da qualche atto la esecuzione.

VI.

Canonicae monitiones fiunt sive in forma paterna et secreta (etiam per epistolam aut per interpositam personam) sive in forma legali, ita tamen ut de earumdem executione constet ex aliquo actu.

VII.

Riuscendo le ammonizioni infruttuose, l'Ordinario prescrive alla Curia che sia ingiunto al delinquente analogo precetto, spiegando in esso quello che il precettato debba fare o non fare, colla comminatoria della corrispondente pena ecclesiastica, nella quale incorrerà in caso di contravvenzione.

VII.

Quatenus infructuosae monitiones evadant, Ordinarius praecipit Curiae, ut delinquenti analogum iniungatur praeceptum, in quo declaretur quid eidem agendum aut omittendum sit, cum respondentis poenae ecclesiasticae comminatione, quam incurret in casu transgressionis.

VIII.

Il precetto viene intimato al prevenuto dal Cancelliere innanzi il Vicario generale; oppure alla presenza di due testimoni ecclesiastici, o laici di provata probità.

§ 1. L'atto si firma dalle parti che sono presenti, ed anche dal precettato, se vuole.

§ 2. Il Vicario generale può imporre ai testimoni il giuramento di conservare il segreto, se la natura del titolo, di cui trattasi, prudentemente lo richieda.

VIII.

Praeceptum intimatur praevento a Cancellario coram Vicario Generali; sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatae integritatis.

§ 1. Actus subsignatur a partibus praesentibus et a praevento quoque, si velit.

§ 2. Vicarius Generalis adiicere valet iuramentum servandi secretum, quatenus id prudenter expetat tituli indoles, de quo agitur.

IX.

In quanto poi alle misure *penali*, avvertano i reverendissimi Ordinari, che con la presente istru-

IX.

Quoad *poenalia* media, animadvertant reverendissimi Ordinarii, praesenti instructione haud

zione non s'intendono derogate le solennità dei giudizi volute dai sacri Canoni, Costituzioni Apostoliche ed altre ecclesiastiche disposizioni, ove queste possano liberamente ed efficacemente applicarsi; ma le forme economiche mirano a provvedere per quei casi e per quelle Curie, in cui non si possa o non si creda espediente attuare i solenni procedimenti. Rimane pure nel suo pieno vigore il rimedio stragiudiziale *ex informata conscientia* pei reati occulti, decretato dal s. Concilio di Trento nel cap. 1. sess. 14. *de Reform.* da adottarsi con quelle regole e riserve, che ha costantemente osservate nella interpretazione di detto capo la s. Congregazioue del Concilio in più risoluzioni, e in specie nella *Bosnien.* e *Sirmien. 20 decembre 1873.*

derogatum esse iudiciorum solemnitatibus, per sacros Canones, per Apostolicas Constitutiones et alias ecclesiasticas dispositiones imperatis, quatenus eaedem libere efficaciterque applicari queant; sed oeconomicae formae consulere intendunt illis casibus Curiisque, in quibus solemnes processus, aut adhiberi nequeant, aut non expedire videantur. Plenam quoque vim servat suam extraiudiciale remedium *ex informata conscientia* pro criminibus occultis, quod decrevit s. Tridentina Synodus in *Sess. 14 cap. 1. de Reform.* adhibendum, cum illis regulis et reservationibus, quas constanter servavit pro dicti capitis interpretatione s. C. Congregatio in pluribus resolutionibus, et praecipue in *Bosnien.* et *Sirmien.* 20 Decembris 1873. (1)

X.

Dovendosi agire criminalmente o per contravvenzione a precetto, o per reati comuni, o per trasgressioni alle leggi della Chiesa, può essere compilato il processo nelle forme sommarie e senza strepito di giudizio, osservate sempre le regole sostanziali di giustizia.

X.

Quum procedi oporteat criminaliter, sive infractionis praecepti, aut criminum communium, vel legum Ecclesiae violationis causâ, processus confici potest formis summariis et absque iudicii strepitu, servatis semper regulis iustitiae substantialibus.

XI.

Il processo s'intraprende *ex officio*, o in seguito d'istanza, di querela, e di notizia in altro modo pervenuta in Curia, e si prosegue fino al termine nello scopo di raggiungere con ogni cautela

XI.

Processus instruitur ex *officio* aut in sequelam supplicis libelli et querelae, aut notitiae, alio modo, a Curia habitae, et ad finem perducitur eo consilio, ut omni studio atque prudentiâ veritas de-

(1) Habes hanc quaestionem Vol. VII. pag. 569 har. ephem.

e riservatezza il discoprimento della verità, e di aver cognizione tanto del delitto, che della reità od innocenza dell'accusato.

tegatur, et cognitio tum criminis, cum reitatis aut innocentiae accusati exurgat.

XII.

La compilazione del processo può commettersi ad un probo ed idoneo Ecclesiastico, assistito dall' Attuario.

XII.

Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo ecclesiastico, adstante Actuario.

XIII.

Ogni Curia è d'uopo che abbia il suo Procuratore fiscale nell' interesse della giustizia e della legge.

XIII.

Unicuique Curiae opus est Procuratore fiscali pro iustitiae et legis tutela.

XIV.

Per le occorrenti intimazioni o notificazioni, se non può aversi l'opera dei cursori della Curia, si supplisce con farle presentare da persona qualificata, che ne dia discarico; ovvero trasmettendole raccomandate per la Posta nei luoghi ove è in uso tale sistema postale, richiedendosene certificato di presentazione, di ricevimento, o rifiuto.

XIV.

Quatenus pro intimationibus aut notificationibus, haud praesto sit opera Apparitorum Curiae, suppletur exhibitione earumdem explendâ per qualificatam personam, quae de facto certioret; sive eas transmittendo, ope commendationis penes tabellariorum officium, illis in locis in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis , receptionis aut repudii.

XV.

La base del fatto delittuoso può essere stabilita dalla esposizione che se n'è avuta in processo convalidata o da informazioni autentiche, o da confessioni stragiudiziali, o da testimoniali deposizioni: ed in quanto al titolo di contravvenzione a precetto, risulta dalla riproduzione del de-

XV.

Basis facti criminosi constitui potest per expositionem in processu habitam, authenticis roboratam informationibus aut confessionibus extraiudicialibus, vel testium depositionibus, et quoad titulum transgressionis praecepti constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis, per-

creto e dell'atto d' intimazione eseguiti ne' modi espressi agli Art. VII. ed VIII.

fectorum modis enuntiatis Art. VII et VIII.

XVI.

A ritenere poi in specie la colpabilità dell'imputato è necessario di averne la prova legale, che deve contenere tali elementi da dimostrare la verità, o almeno da indurre una morale convinzione, rimosso ogni ragionevole dubbio in contrario.

XVI.

Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati opus est probatione legali, quae talia continere debet elementa, ut veritatem evincat, aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio.

XVII.

Le persone che convenga di esaminare, si sentono sempre separatamente.

XVII.

Personae, quas examinare expediat, semper audiuntur separatim.

XVIII.

I testimoni a prova o a difesa, quando non vi si oppongano legali ostacoli, devono essere intesi con giuramento, estendibile, se occorra, anche all'obbligo del segreto.

XVIII.

Testes ad probationem, aut ad defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, sub iuramento audiri debent, quod extendi potest, si opus sit, ad obligationem secreti.

XIX.

I testimoni trovandosi lontani o in altra Diocesi, se ne domanda l'esame in sussidio all'Autorità ecclesiastica del luogo con invio alla medesima di un prospetto di fatto: e l'Autorità requisita corrisponde alla richiesta osservando le norme della presente Istruzione.

XIX.

Testium absentium, aut in aliena Dioecesi morantium exposcitur examen in subsidium ab Ecclesiastica loci auctoritate, eidem transmittendo prospectum facti; et Auctoritas requisita petitioni respondet, servando praesentis instructionis normas.

XX.

Qualora vengano indicati testimoni per fatti e circostanze essenzialmente interessanti al me-

XX.

Quoties indicentur testes ob facta aut adiuncta essentialiter utilia merito Causae, qui examini

rito della Causa, e non possano aversi in esame, perchè non si reputi conveniente d'intimarli, ovvero perchè invitati vi si ricusino, se ne fa menzione in atti, e si procura di supplire alla deficienza di essi con le attestazioni di altri testimoni che *de relato*, o in altro modo, sieno informati di quanto si ricerca.

subiici nequeant, eoquod censeatur haud convenire ut vocentur, aut quia vocati abnuant, mentio eorumdem fit in actibus, et curatur supplere eorum defectui per depositiones aliorum testium, qui de relato aut alia ratione, noverint id quod exquiritur.

XXI.

Riunito tutto ciò che sia necessario a stabilire il fatto e la responsabilità dell'imputato, viene questo intimato all'esame.

XXI.

Quum collectum fuerit quidquid opus sit ad factum et accusati responsabilitatem constituendam, vocatur iste ad examen.

XXII.

Nella intimazione, se la prudenza non lo vieti, gli si espongono per esteso le accuse portate a suo carico, onde possa prepararsi a rispondervi.

XXII.

In indictione, nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum accusationes adversus eum collatae, ut parari valeat ad respondendum.

XXIII.

Quando poi per la qualità delle accuse, o per altre circostanze non sia prudenziale di esprimerle nella intimazione, in questa gli si accenna soltanto che è chiamato all'esame per discolparsi in una Causa che lo riguarda come inquisito.

XXIII.

Quando autem ob accusationum qualitates, aut ob alia adiuncta prudens non sit in actu intimationis eas patefacere, in hac solum innuitur eumdem ad examen vocari ut sese excuset in Causa, quae ipsum respicit uti accusatum.

XXIV.

Rifiutando egli di presentarsi, si rinnova la intimazione, nella quale gli si prefigge un congruo termine perentorio a comparire, e gli si notifica, che rendendosi ancora disubbidiente, si avrà come

XXIV.

Si iudicio sistere abnuat, iteratur indictio, in quo eidem praefigitur congruum peremptorium terminum, eique significatur quod si adhuc obedire renuat, habebitur ceu contumax; et pro tali

contumace: e per tale sarà effettivamente tenuto, posto che senza dar prova di legittimo impedimento, trasgredisse pur questa intimazione.

in facto aestimabitur, quatenus absque probato legitimo impedimento, istam quoque posthaberet intimationem.

XXV.

Presentandosi, si sente in esame: e se fa induzioni valutabili, devono queste, per quanto si può, essere esaurite.

XXV.

Si compareat, auditur in examine; et quatenus inductiones faciat alicuius momenti, debent istae, quantum fieri potest, exhauriri.

XXVI.

Si procede indi alla contestazione del fatto delittuoso, e delle risultanze che se ne sono avute, per credere l' inquisito colpevole, ed incorso nelle relative penalità canoniche.

XXVI.

Proceditur inde ad contestationem facti criminosi, et conclusionum habitarum, ad retinendum accusatum criminosum lapsumque in relativis poenis canonicis.

XXVII.

Avendo in questo modo l'inquisito piena contezza di ciò che esiste in atti a suo carico, oltre al rispondere, può anche valersi del diritto che ha di difendersi da se stesso.

XXVII.

Quum accusatus, tali modo, habeat plenam cognitionem eius quod in actis extat contra se, ultra quod respondere possit, iure se defendendi a semetipso etiam uti valet.

XXVIII.

Può altresì, se lo richiede, ottenere la prefissione di un termine ad esibire la difesa con memoria scritta, specialmente quando pel disposto dell' Art. XXIII. non avesse potuto prepararsi alle risposte in sua discolpa.

XXVII.

Potest quoque, si id expetat, obtinere praefixionem termini ad exhibendam defensionem cum memoria in scriptis, praecipue quando ob dispositionem *Art. XXIII* nequiverit paratus esse ad responsa pró sua excusatione.

XXIX.

Ultimato il processo, il compilatore degli atti, forma il ristretto

XXIX.

Expleto processu , actorum instructor , restrictum conficit

delle essenziali risultanze del medesimo.

essentialium conclusionum eiusdem.

XXX.

Nel giorno che si propone la Causa, l'inquisito è in facoltà di farsi rappresentare e difendere da altro Sacerdote o da laico Patrocinatore preventivamente approvati dall'Ordinario.

XXX.

In die qua Causa proponitur, est in facultate accusati faciendi se repraesentare et defendere ab alio Sacerdote aut laico Patrocinatore, antea approbatis ab Ordinario.

XXXI.

Ove il prevenuto si ricusi di deputare il Difensore, l'Ordinario provvede con destinargliene uno d'officio.

XXXI.

Quatenus praeventus constituere defensorem renuat, Ordinarius consulit constituendo aliquem ex officio.

XXXII.

Il Difensore con la dovuta riservatezza prende cognizione del processo e del ristretto in Cancelleria, onde sia in grado di far la difesa, la quale può essere esibita precedentemente alla proposizione della Causa in fogli manoscritti. È pur esso soggetto all'obbligo giurato del segreto, qualora a giudizio dell'Ordinario la natura della Causa lo esiga.

XXXII.

Defensor caute notitiam haurit processus et restricti in Cancellaria, ut paratus sit ad defensionem peragendam, quae ante propositionem causae exhiberi potest in scriptis. Ipse quoque subiicitur oneri secreti iurati, quatenus Ordinario videatur indolem Causae id expostulare.

XXXIII.

Si trasmette quindi al Procuratore fiscale il processo, ed il ristretto perchè adempia alle sue incombenze di officio: e poi si passa l'uno e l'altro all'Ordinario, il quale presa integra cognizione della Causa, destina il giorno, in cui debba discutersi e decidersi, facendone dare partecipazione all'accusato.

XXXIII.

Transmittitur dein Procuratori fiscali processus et restrictus, ut munere suo *ex officio* fungantr; uterque Ordinario traditur qui plenâ Causae cognitione adeptâ, diem constituit in qua disceptanda et resolvenda sit, curans ut accusatus certior de hoc fiat.

XXXIV.

Nel giorno stabilito si propone la Causa innanzi al Vicario generale con l' intervento del Procuratore fiscale, del Difensore, o del Cancelliere.

XXXIV.

Die constituta proponitur Causa coram Vicario generali, interessentibus Procuratore fiscali, Defensore et Cancellario.

XXXV.

Dopo il parere fiscale, e le deduzioni difensive si pronunzia la sentenza, dettandosi al Cancelliere la dispositiva, con espressa menzione , in caso di condanna, della sanzione canonica applicata contro l'imputato.

XXXV.

Post votum Procuratoris Fisci et deductiones defensionis profertur sententia, dictando dispositivam Cancellario, cum explicita mentione, in casu damnationis, canonicae sanctionis, accusato applicatae.

XXXVI.

La sentenza s'intima al prevenuto, il quale può interporne appello all'Autorità ecclesiastica superiore.

XXXVI.

Sententia indicitur praevento, qui appellationem interponere potest ad Auctoritatem Ecclesiasticam superiorem.

XXXVII.

Per l'appello si osservano le norme stabilite dalla Costituzione *Ad militantes* della sa. me. di Benedetto XIV 30 marzo 1742, e le altre emanate da questa s. Congregazione col Decreto 18 decembre 1835. e colla Circolare 1 agosto 1851.

XXXVII.

Pro appellatione servantur normae statutae a Constitutione *Ad militantes* s. m. Bened. XIV 30 Martii 1742, aliaeque emanatae ab hac s. Congregatione Decreto 18 Decembris 1835 (1) et Littera circulari diei 1 Augusti 1851.

(1) En in commodum lectorum decretum huiusmodi. Haud referimus litteram prolixam diei 1 Augusti 1835, quoniam praecipuae eiusdem praescriptiones in praesenti Instructione relatae nobis videntur.

DECRETUM PRO CAUSIS CRIMINALIBUS. Non ita pridem a s. Congregatione negociis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositae nonnullae regulae praescriptae fuerunt pro recta, et expedita definitione causarum criminalium, quae a Curiis Episcoporum, vel Ordinariorum ad eamdem s. Congregationem in gradu appellationis deferuntur. Quas quidem praescriptiones, quoniam impedimenta sublata sunt, quae aliqua ex parte earum executioni interposita fuerant, visum est Eminentissimis Patribus in Conventu habito XV. Calend. Januar. MDCCCXXXV: uberius explicare, et cum assensu, et approbatione S. D. N. GREGORII XVI. iterum

XXXVIII.

La comparsa per l'appello deve farsi nel termine di giorni dieci dalla notifica della sentenza; scorso inutilmente questo termine, la sentenza stessa è in istato di essere eseguita.

XXXVIII.

Comparitio pro appellatione facienda est infra terminum decem dierum a notificatione sententiae; quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in executionis statu reperitur.

promulgare, ut ab omnibus, ad quos pertinent, accuratissimae serventur. Sunt autem quae sequuntur.

I. Reis a Curiis Episcopalibus criminali iudicio damnatis spatium dierum decem conceditur, quo ad s. Congregationem Episcoporum, et Regularium appellare possint.

II. Decem dies numerari incipient non a die, quo sententia lata est, sed a die, quo reo vel eius defensori per Cursorem denunciata fuit.

III. Eo tempore elapso, quin reus vel eius defensor appellaverit, latam a se sententiam Episcopus exequetur.

IV. Interposita intra decem dies appellatione Curia Episcopalis acta autographa totius causae ad s. Congregationem continuo transmittat, nempe:

1. *Processum* ipsum in Curia confectum.
2. Eius *restrictum*, seu compendiariam expositionem eorum, quae ex eodem processu emergunt.
3. Defensiones pro reo exhibitas.
4. Denique sententiam latam.

V. Ipsa Curia reo, eiusque defensori denunciabit, appellationem coram eadem s. Congregatione prosequendam esse.

VI. Si nemo compareat, aut si appellationis acta negligenter vel malitiose protrahantur, congruens tempus a s. Congregatione praefinietur, quo inutiliter elapso, causa deserta censeatur, et sententia Curiae Episcopalis executioni mandetur.

VII. Reo, aut illi, qui eius defensionem suscepit, tradendus est *restrictus* processus, qui a Judice relatore conficitur.

VIII. Allegationes, seu defensiones Eminentissimis Patribus distribuendas typis non committantur, nisi Iudex relator imprimendi veniam dederit.

IX. Causa definietur stata die ab Eminentissimis Patribus in pleno Auditorio congregatis.

X. Eidem Congregationis Procurator Generalis Fisci, et Iudex relator intererunt.

XI. Iudex relator de toto statu causae ad Eminentissimos Patres refert, et Procurator Generalis Fisci stabit pro Curia Episcopali, suasque conclusiones explanabit.

XII. Post haec Eminentissimi Patres iudicium proferent, sententiam Curiae Episcopalis aut confirmando, aut infirmando aut etiam reformando.

XIII. Prolata Sententia una cum omnibus Actis causae ad eamdem Curiam Episcopalem remittitur, ut eam exequatur.

XIV. *Revisio*, seu recognitio rei iudicatae non conceditur, nisi eius tribuendae potestas a Sanctitate Sua facta fuerit, et subsint gravissimae causae, super quibus cognitio, et iudicium ad plenam Congregationem pertinet.

XV. Sciant denique Curiae Episcopales per novissimas leges, quae ad investiganda, et coercenda crimina pro Tribunalibus laicis promulgatae sunt, nihil detractum esse de formis, et regulis Canonicis, quas proinde sequi omnino debent, non modo in conficiendo processu, ad quem spectant haec verba Edicti die

XXXIX.

Interposto l' appello entro i dieci giorni, la Curia senza ritardo rimette all'Autorità ecclesiastica superiore, innanzi cui si è appellato, tutti gli atti originali della Causa, cioè il processo, il ristretto, le difese, e la sentenza.

XL.

L'Autorità ecclesiastica superiore presa cognizione dell'atto di appello, fa intimare all'appellante, che nel termine di giorni venti deputi il Difensore, che deve essere approvato dalla medesima superiore Autorità.

XLI.

Trascorso l'enunciato termine perentorio senza effetto, si ritiene che l'appellante abbia rinunziato al benefizio dell'appello, e questo viene in conseguenza dall'Autorità superiore dichiarato perento.

XLII.

Producendosi l'appello della sentenza di una Curia vescovile alla Metropolitana, l'Arcivescovo nella cognizione, e decisione della Causa si attiene al metodo di procedura tracciato in questa istruzione.

XXXIX.

Interposita appellatione infra decem dies, Curia absque mora remittit ad Auctoritatem ecclesiasticam superiorem, apud quam appellatio facta est, omnes actus Causae originales, idest processum, restrictum, defensiones et sententiam.

XL.

Auctoritas ecclesiastica superior, captâ cognitione actus appellationis, intimare facit appellanti, ut infra terminum viginti dierum Defensorem constituat, qui approbari debet ab eadem superiori auctoritate.

XLI.

Decurso dicto termino peremptorio absque effectu, censetur appellantem nuncium misisse appellationis beneficio, et haec consequenter perempta declaratur a superiori auctoritate.

XLII.

Quum appellatio producitur a sententia alicuius Curiae episcopalis ad Metropolitanam, Archiepiscopus pro cognitione et decisione Causae sequitur normam procedendi in hac instructione traditam.

5 Novembris 1831 - *Nihil innovetur, quantum ad iudicia ecclesiastica pertinet* - verum etiam in poenis decernendis, quemadmodum in appendice eiusdem Edicti ita cautum est - *Tribunalia iurisdictionis mixtae Clericos, et Personas ecclesiasticas iis poenis mulctabunt, quas secundum Canones. et Constitutianes Apostolicas Tribunal Ecclesiasticum iisdem irrogaret* -.

J. A. Card. Sala Praefectus.

I. Patriarcha Constantinopolitanus Secr.

XLIII.

Se avvenga che un Chierico, in onta al privilegio del foro, sia per reati comuni sottoposto a procedura e giudicato dal Potere laico, l'Ordinario in tal caso prende sommaria informazione del fatto delittuoso, ed esamina se a senso de' sacri canoni esso può dar luogo ad infamia, ad irregolarità o ad altra ecclesiastica sanzione.

§ 1. Finchè pende il giudizio, o l'imputato sia detenuto è cosa prudente, che l'Ordinario si limiti a misure provvisionali.

§ 2. Terminato però il giudizio, e reso libero l'accusato, la Curia, giusta i risultati delle informazioni come sopra assunte, procede analogamente a quanto è disposto nella presente istruzione.

XLIII.

Si contingat quod Clericus, non obstante fori privilegio, ob crimina communia subiiciatur processui et iudicio laicae potestatis, Ordinarius, hoc in casu, summariam sumit criminosi facti cognitionem, atque perpendit an ipsum, ad tradita per sacros canones, locum faciat infamiae, irregularitati, aut alii ecclesiasticae sanctioni.

§ 1. Donec iudicium pendeat, aut accusatus detentus sit, prudens est, quod Ordinarius sese limitet ad media provisoria.

§ 2. Expleto tamen iudicio, et libero reddito accusato, Curia iuxta exitum informationum ceu superius assumptarum, procedit ad tramites dispositionum praesentis instructionis.

XLIV.

Nei casi dubbi, e nelle varie difficoltà pratiche in cui possano incontrarsi, gli Ordinari prendono consiglio da questa s. Congregazione per evitare contese e nullità.

XLIV.

In casibus dubiis, et in variis practicis difficultatibus, quae contingere possint, Ordinarii consulant hanc s. Congregat., ad vitandas contentiones et nullitates.

Ex Aud. SSmi. diei 11 Iunii 1880.

SSmus Dnus Noster LEO div. prov. PP. XIII, audita relatione praesentis Instructionis ab infrascripto Sacr. Congreg. Episcopor. et Regularium Secretario, eam in omnibus approbare et confirmare dignatus est.

Romae die et anno quibus supra.

I. Card. Ferrièri Praef.

I. B. *Agnozzi Secretarius*

LITTERAE SSmi D. N. LEONIS XIII quibus Isidorus Iosephus De Roussaux nominatur Episcopus Tornacensis.

VENERABILI FRATRI ISIDORO-IOSEPHO DE ROUSSAUX,
EPISCOPO EUMENIENSI IN PARTIBUS INFIDELIUM,
ADMINISTRATORI APOSTOLICO ECCLESIAE TORNACENSIS, ETC.

LEO PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini Divina dispositione praesidemus, utiliter exsequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut quum de earumdem Ecclesiarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant, non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem Ecclesiarum omnium nunc vacantium, et in posterum vacaturarum, ordinationi et dispositioni Nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Iamvero, quum per Apostolicas Nostras tertio Idus Octobris, hoc ipso vertente anno, sub plumbo datas Litteras et manu Nostra signatas (1), iurisdictionem omnem, sive in spiritualibus sive in temporalibus, in Dioecesi Tornacensi Praesuli Edmundo Dumont absolute et in perpetuum interdixerimus et revocaverimus, eidemque praesuli titulum Episcopi Ecclesiae Tornacensis per privationem ademerimus et ademptum esse declaraverimus, eumdemque Praesulem a quovis vinculo cum Ecclesia Tornacensi solutum ac relaxatum esse decreverimus, Tornacensis Ecclesia Pastoris solatio destituta sit, Nos ad eiusdem Ecclesiae provisionem, in qua nemo praeter Nos se potuit seu potest immiscere, supradictis reservatione et decreto obsistentibus, paterno ac sollicito studio intendentes, ad Te, Venerabilis Frater, cui iam eiusdem Ecclesiae Tornacensis administrationem in spiritualibus ac temporalibus demandavimus,

(1) Hae litterae relatae fuerunt pag. 289 har. ephem.

oculos mentis nostrae convertimus. Itaque, Te, Venerabilis Frater, a vinculo quo Eumeniensi Ecclesiae adstrictus detineris, de Apostolicae Potestatis Nostrae plenitudine solventes, Episcopali Ecclesiae Tornacensi de persona tua Nobis, ob tuorum meritorum praestantiam, accepta, Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, providemus, Teque illi, tenore praesentium, in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem Ecclesiae eiusdem Tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committendo, in Illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, ut dirigente Domino actus tuos, praefata Ecclesia prospere feliciterque regatur et gubernetur grataque in iisdem spiritualibus ac temporalibus suscipiat incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta animi devotione amplectens, curam, regimen et administrationem praedictas, sic sollicite, fideliter, prudenterque explere studeas, ut Ecclesia Tornacensis provido gubernatori ac fructuoso administratori gaudeat esse commissam, Tuque, praeter aeternae retributionis praemium, Nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, itemque fel. rec. Benedicti XIV Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non eiusdem Ecclesiae Tornacensis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XII Novembris MDCCCLXXX, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Th. Card. MERTEL.

L. ✝ S.

LITTERAE SSmi D. N. LEONIS XIII ad Revmum Canonicum Lebeurier Aurelianensem, praesidem generalem Consociationis Apostolicae (1).

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Non sine magna animi Nostri iucunditate, Dilecte Fili, didicimus e colloquio litterisque tuis, opus revocationis Cleri saecularis ad vitam, qua

(1) Apostolica Consociatio est presbyterorum ad diversas Dioeceses pertinentium Sodalitium, qui suas preces et bona opera conferunt in commune et participant de privilegiis huic institutioni concessis ab Apostolica Sede.

fieri possit, communem, quantumvis arduum, adeo prospere processisse, ut iam triginta pervaserit Galliarum Dioeceses et Belgicas omnes, probantibus Episcopis. Ad haec tempora, adeo Ecclesiae infensa et animabus periculosa, servasse videtur divina providentia instaurationem salutaris istius Instituti, quod antiquis praeceptum canonibus saeculorum lapsus et vicissitudines obliteraverant; quodque, licet invectum iterum et propagatum serius a Venerabili Bartholomaeo Holzhauser, rursum extinxerant praeteritae nostraeque aetatis commotiones. Et sane: sive expectare placeat minus solidam et concordem institutionis indolem, cui perturbationes istae seiunctos levitas obnoxios fecerunt, diversamque inde partam sentiendi, iudicandi, docendi rationem, sive considerentur artes, quibus osores Ecclesiae, unitati catholicae disgregandae intenti, adlaborant Clero vitiando, dissociando, avertendo a propriis Pastoribus et ab hac Apostolica Sede; superno prorsus consilio factum videbitur, ut impetitae unitati tuendae confirmandaeque vetus institutum necessitati accomodatissimum ad novam nunc vitam revocaretur. Uniformis enim vivendi ratio universis proposita; exercitia quae foveant pietatem muniantque virtutem adversus saeculi pericula; gestorum propriorum rationes ultro redditae praepositis eorumque animadversionibus periodice subiectae; menstrui conventus ad spiritualia colloquia de rebus ad ministerium spectantibus, quae mentes non satis concordes ad eamdem sententiam adducant; praestitutus finis, ad quem sub Episcopi moderamine vires omnes iungantur; studium ex ipsa consuetudine et amicitia erumpens invicem sibi subveniendi: haec omnia non modo unum facient ex iis omnibus qui communi gaudebunt contubernio; sed caeteros etiam sodales inde avocatos a proprii officii curis ita spirituali nexu devincient, ut nemo se sentiat a familia divulsum, moderatore privatum, sibi relictum, opportuno fratrum auxilio consilioque carentem. Quamobrem si Decessores Nostri amplissimis commendarunt laudibus utilissimum hoc Institutum; id ultro libenterque, et Nos facimus potissimum in tanta temporum difficultate quae illius opem plane postulare videtur; imo quotquot sunt saeculares sacerdotes hortamur, ut sibi ipsis reique religiosae efficacius prospecturi saluberrimae isti consociationi dent nomen. Moveat eos haud obscurum divinae providentiae placitum quae nunc denuo suscitavit hoc Institutum in Ecclesiae suae laborantis subsidium. Moveant coelestes benedictiones, quibus inter gravissimas difficultates brevi huius operis incrementa mirabiliter provecta fuerunt. Moveant Episcoporum plausus, constantes Apostolicae huius Sedis laudes, fructus iam parti; quos semper uberiores propagatio ipsa consociationis merito spondet. Hos nos amplissimos ipsi omi-

namur in Cleri sanctificationem religionisque Nostrae sanctissimae gloriam; dum superni favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus, Apostolicam Benedictionem, tibi, Dilecte Fili, toti, cui praees, Consociationi, et iis omnibus qui eidem daturi sunt nomen, peramanter impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum die 31 Maii 1880, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

FACULTATIS MISSAS ITERANDI

Die 20 Decembris 1879.

Per Summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Archiepiscopus Mexicanus in relatione status Ecclesiae Mexicanae ad s. Concilii Congregationem transmissa, haec refert circa morem plures Missas uno eodemque die celebrandi: « Praeter amplissimas facultates, quibus per s. Sedis » benignitatem pollet huius Archidioecesis Antistes, quaeque » caeteris Reipublicae Ordinariis sunt communicabiles.....sup- » pliciter postulat relator, sibi a s. Sede facultatem signanter » concedi, et quatenus id fieri nequeat aut non expediat, sal- » tem ex parte s. Sedis connivere, ut certi et determinati Sa- » cerdotes, ab Ordinario designandi, possint, diebus Dominicis » aliisque festivis de praecepto, tres missas celebrare.

» Causae, quae subiiciuntur sunt sequentes; 1 summa » indigentia, qua populi, praesertim indigenarum laborant; » et qua fit ut non possint dare sacerdoti celebranti die festo ali- » quid, praeter consuetam eleemosynam ratione itineris et mo- » lestiarum.

» 2. Inopia virorum ecclesiasticorum, quorum numerus nullam » servat proportionem cum numero populorum; ita ut eorum » non pauci Missae beneficio destituerentur, absque potestate » aliquibus Sacerdotibus tres Missas diebus festivis celebrandi » facta. 3. Quod a Missae auditione abstinerent fideles extra » civitates et oppida degentes, atque in pagos dispersi, esset « valde nocivum, cum auditio Missae sit unica praxis, seu actus » religiosus ab iis positus seu exercitus; et aliunde fideles in- » digenae, actibus religiosis valde addicti, Missae auditione » dempta, facile possent actus idololatricos exercere, utpote qui » a labe superstitionis omnino immunes adhuc non sint. Prae- » terea occasione Missae tantum, species hominum aenei coloris, » qui sunt proprie indigenae, cum hominibus aliis in coetum » conveniens, mutua charitas in eos renovatur: res minime » spernenda his temporibus, quibus bellum specierum (razas » o castas) se profert. 4. Denique, quod hisce luctuosis tem- » poribus Parochi eorumque Vicarii percipiunt, harum Missarum » occasione, confert valde ad eorumdem honestam sustenta- » tionem.

» Quare s. Sedem enixis precibus orat, ut, mature per- » pensis expositis, huic postulationi annuere dignetur..... non » solum quia non datur copia sacerdotum, sed etiam quia mul- » tiplicati sunt populi et praecipue quia irruit ac grassatur » scelestissimorum hominum impietas, atque irreligio mores » omnium ac praesertim Indorum quotidie subvertentium. »

Disceptatio Synoptica.

QUAE PETITIONI ADVERSANTUR. Primis Ecclesiae temporibus parvus Sacerdotum numerus, pro fidelium copia, exigebat ut idem presbyter plura eadem die Missae sacrificia litaret. *Card. Bona rer. liturgicar. lib. 1 cap. 18 §. 5 et seq. Bened. XIV de Syn. Dioeces. lib. 5 cap. 8 §. 8.* Cum autem huiusmodi mos, cui exiguus ministrorum numerus, et christianorum priscae illius aetatis originem praebuerat, coeperit longe lateque augeri, ac aucto Sacerdotum numero corrumpi, et converti in turpis avaritiae ac lucri fomentum, eum moderandi necessitas fuit. Hinc

factum est ut Concilium Salegunstadiense prae omnibus decreverit saeculo XI: *ut unusquisque presbyter in die non amplius, quam tres Missas celebrare praesumat. Thomas. de vet. et nov. Eccles. discipl. part. 1, 3 l. 1 cap. 72* §. *3*. Adaucto deinde abusu pluries Pontifices declararunt in peculiaribus casibus unam tantum Missam quemque Sacerdotem celebrare debere. Tandem Innocentius III *cap. Consuluisti de celebr. Miss. solemniter definivit* quod « *Excepto die nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* »

Hisce breviter expositis circa antiquam et praesentem Ecclesiae praxim quoad Missae iterationem, oratoris petitioni non videtur annuendum. Et sane literis Episcopi attente ponderatis, videtur quod ratio ad obtinendam huiusmodi facultatem desumitur ex inopia fidelium, qui in tanta egestate versantur, ut consuetum stipendium Sacerdoti celebranti elargiri non valeant: ex quo videtur innui, quod si fideles haud tanta paupertate laborarent, non esset necessaria huiusmodi Missae iteratio. At vero egestas fidelium nihil prodest ad hanc facultatem obtinendam, cum Archiepiscopus ex piis oblationibus aliisque Ecclesiae bonis optime valeret consulere stipendiis Missarum, ita ut tali modo alia, quae lamentantur, averterentur mala.

Verum quidem est quod etiam sacerdotum penuria adducitur, quae fortassis ratio sufficiens esse videtur ad indultum concedendum. At si perpendas quod isti in tantum Missam iterant in quantum Missarum emolumenta percipiunt, potentior exurgeret ratio ad indultum denegandum exortumque compescendum abusum. Scitum enim est quod in facultate binandi, quae a S. C. C. conceditur, apertis verbis cavetur ne pro secunda missa eleemosyna recipiatur.

Quae petitioni favent. At vero si rationum momenta ab Archiepiscopo adducta perpendantur, eius preces non videntur respuendae. Habetur enim parvus sacerdotum numerus, qui quotidie minuitur, et est omnino insufficiens pro regimine fidelium. Hinc nisi facultas petita concedatur, est prorsus impossibile quod fideles ecclesiastico praecepto de Missae auditione

satisfaciant. Accedit quod, ut Archiepiscopus refert, fideles extra civitatem et pagos degentes, cum actibus religionis sint valde addicti, nisi celebrationi Missae interessent facile possent in actus idololatricos relabi. Occasione auditionis Missae tantum, hoc aliud bonum consequitur, quod homines aenei coloris convenientes in unum coetum cum aliis albi coloris, inter eos charitas fovetur, et augetur. Quae quidem rationes videntur induere casum necessitatis ab Innocentio III, in sua Constitutione a regula generali exceptum, et quem doctores, inter quos Benedictus XIV, revocant ad statum, in quo fideles Missa carerent, nisi ab eodem pluries celebraretur.

Accedit quod s. C. C. non semel sacrificii iterationem festis quoque suppressis indulsit, ne pia fidelium desideria erga divinum cultum frustrarentur: *Argentinen. 17 Sept. 1859. Lingonen. et Turonen. 24 Aug. 1878 per Summ. prec.* (1) Maiori ergo ratione permittenda videtur trina Missae celebratio diebus festis, quibus fideles praecepto auditionis Missae detinentur.

Neque difficultatem facessit quod sacerdotes Missam iterantes salarium percipiunt: hoc enim minime exprimitur dari pro applicatione secundae vel tertiae Missae, sed tantum intuitu laboris, quod a s. C. C. permissum fuisse constat in *Treviren. Eleemosynae Missarum 23 Martii 1861* inter *Summ. Prec.* relata, in qua responsum fuit - *Posse permitti prudenti arbitrio Episcopi aliquam remunerationem, intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae.*

Quibus praenotatis Eñorum Patrum prudentiae remissum fuit decernere, quomodo Archiepiscopi Mexicani preces dimittendae essent.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re discussa, sub die 20 Decembris 1879 censuit respondere:

Pro gratia ad quinquennium, facto verbo cum SSmo.

Ex quibus colliges:

I. Causas canonicas, quibus Missa iterari potest ad hoc cohiberi; quod nempe aliâ ratione consuli nequeat Christifide-

(1) Habes eiusmodi quaestionem Vol. XII pag. 232. Confer etiam Vol. IX pag. 230, Vol. VI pag. 526 et 546.

libus, qui ius et officium habent audiendi Missam diebus festis.

II. Causas in themate expositas induere videri casum necessitatis a sua regula generali ab Innocentio III exceptum, nam si plura haud litarentur sacra, fideles Missâ carerent.

III. Pro Missis iteratis indubium esse, nil recipi posse ab easdem iterantibus, nisi Apostolicâ auctoritate id permittatur: concedi autem aliquando, solere ob laborem Missae celebrationi extrinsecum et ob grave incommodum.

IV. In themate parvum sacerdotum numerum maximis subiici incommodis tum itineris, tum horae progressae causâ, ut spiritualem praebeat cibum populis inter se dissitis et ut inter eos caritatem foveat; ideoque rite indultum fuisse ut plura litari possint sacra et oblatas eleemosynas recipi, uti pretium laboris.

EXECUTIONIS TRANSACTIONIS

Die 31 Ianuarii 1880.

Compendium Facti. Renuente Archiepiscopo institutionem (1) dare Sacerdoti Vincentio G. a patronis praesentato ad vacantem Paroeciam ss. Martyrum Stephani et Gregorii in civitate N., atque habito ad S. C. C. hac super re recursu, in Congregatione diei 4 Septembris 1875 quaesitum fuit - I. *An constet de legitimitate et efficacia praesentationis in casu.* II. *An et a quo sit danda institutio in casu.* - responsum paruit: - *Ad I et II - Praevio examine, iuxta formam Concilii Tridentini, institutionem spectare ad Archiepiscopum* -.

Facto itaque experimento, et ab Examinatoribus tamquam inidoneo ad gubernandam paroeciam reprobato Vincentio, hic ad S. C. C. appellationem interposuit, quoad relationem Examinatorum Synodalium, et Archiepiscopi iudicium, una petens institutionem ad vacantem paroeciam. Accepta actorum copia, peracti ex-

(1) Adeat lector originem huius causae relatae Vol. IX pag. 99 har. eph. ut intelligat quomodo certamen, strenue ab Antistite et presbytero dimicatum, ad praesentem pervenerit statum.

perimenti, exquisitoque voto consultoris, quaestio ventilata fuit in comitiis diei *3 Martii 1877*, sequenti sub dubio a partium patronis de consensu concinnato – *An constet de mala relatione Examinatorum synodalium et de irrationabili iudicio Episcopi, ita ut sacerdos G. sit instituendus ad paroeciam vacantem in casu* - Cui responsum fuit - *Dilata et scribatur Archiepiscopo ad mentem.* - Mens autem fuit ut Archiepiscopus ad tramites literarum diei 28 Martii 1876, quas ad S. C. C. dederat, documenta transmitteret super defectu idoneitatis praedicti Sacerdotis, et quoad reliquas qualitates, praeter scientiam.

Res ita sese habebant, cum partes ad omnem obtruncandam controversiam, studuerunt inire concordiam, quae, plures post habitos tractatus, fuit tandem obfirmata die 11 Iunii anni 1878. Articulus tertius huius concordiae ita se habet: Archiepiscopus concedit sacerdoti G. facultatem, absque ulla conditione, optandi, sine novo examine aut formalitate, quodlibet paroeciale beneficium liberae collationis, vacaturum extra urbem N. ab hac die. Sub die 1 Iulii 1878 Apostolica Sedes probavit dictam concordiam his verbis: *Attentis etc. pro gratia approbationis et confirmationis enunciatae concordiae, arbitrio et conscientiae Archiepiscopi, contrariis etc.*

Die 10 dicti mensis et anni viduata suo pastore mansit Ecclesia parochialis s. Mariae Maioris loci P. quam optare non semel, in vim articuli tertii transactionis, Curiae Archiepiscopali manifestavit Vincentius. Incassum sed vero, quandoquidem opposuit Archiepiscopus in sua facultate non esse vacantem Paroeciam conferre, utpote s. Sedi ratione mensium revervatam (1);

(1) Ex iure communi seu ex *Cap. 2. tit. 4. lib. 3. Decretalium in sexto, et Cap. 34 de Praebendis* decretalium in sexto, reservatur R. Pontifici collatio paroeciarum vacantium in Curia Romana. Beneficium vacat in Curia Romana quando beneficiatus moritur ubi residet romana Curia, seu Romae. Ex regula autem IX Cancellariae reservatur eidem Pontifici collatio Paroeciarum vacantium extra curiam Romanam pro mensibus Ianuarii, Februarii, Aprilis, Maii, Iunii, Augusti, Octobris et Novembris. Episcopis autem qui vere ac personaliter resident conceditur, si petant, gratia alternativae; pro qua conferre possunt beneficia liberae collationis, in mensibus Februarii Aprilis, Iulii, Augusti, Octobris et Novembris. Nisi Episcopus alternativam acceperit, confert eadem beneficia in solis quatuor mensibus Martii, Iulii, Septembris et Decembris,

ideoque indicendum esse concursum. Eapropter Vincentius G. et *nihil transeat* apposuit, et penes S. C. C. institit, ut excitare vellet Archiepiscopi iurisdictionem ad effectum praesentationis et commendationis apud s. Sedem, pro obtinenda dicta Paroecia; seu revocare omnem iurisdictionem, ita ut ad effectum amandetur concordia. Vi enim articuli 5 posset orator praepedire collationem Paroeciae ss. Martyrum, in civitate N. erectae et causam reassumere.

Archiepiscopus de more rogatus respondit: 1. Se obligationem suscepisse in transactione conferendi praefato sacerdoti quaevis beneficia, quorum collatio ad ipsum et minime ad Pontificem pertinebat, prouti erat Paroecia in themate, quae in mensibus reservatis vacavit; 2. Summum Pontificem approbando concordiam nullam obbligationem pariter cum dicto Sacerdote suscepisse, ita ut ipse aliquod ius super eam portendere posset. Ait quoque, sacerdotem G. tot inter suae dioecesis Sacerdotes, nedum digniorem non esse, sed etiam *coram Deo* asseverare posse, urget, non esse idoneum *ad regendam paroeciam tam numerosam (sex mille animas) tam conspicuam, tanti momenti, cuiusmodi est Paroecia s. Mariae Maioris P.* Conclusit autem sacerdotem G. nullum habere ius optandi ad memoratam Paroeciam; ius tamen illi integrum manere optandi ad Paroeciam, quae sit vacatura et cuius libera collatio spectat ad Archiepiscopum. *Ipse vero non habet cur doleat de sorte sua. Eius honori consuluit Archiepiscopus eum creando Canonicum* etc. *et eius lucra pecunaria tuta sunt,* nam, detractis taxis et ullo absque onere, quousque vivet sibi comparavit annuum reditum libellarum 1230.

Disceptatio synoptica.

Iura Sacerdotis G. Istius defensor quinque in capita allegationem distribuit. In primo capite demonstrandum assumit, casum vacationis paroeciae de mense Iulii 1879, habendum esse uti existentem a die initae conventionis; idque ex iuris communis dispositione. Quandoquidem vix perlecto ar-

ticulo tertio initae transactionis, manifesto erumpere tenet stipulationem, suum inter clientem et Archiepiscopum, initam fuisse ad incertum diem, qui conditionem facit.

Omnis autem conditionis vim esse, subsumit, ut ea verificata, perinde habetur ac si ab initio pure debitum fuisset, cum tempus omne suspensionis atque expectationis eventus, ministerio iuris subducatur. Ita Gaius in *L.* 11 *ff. Qui potiores in pignore* §. 1 - ibi - « *Cum enim semel conditio exstitit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* Concinit *L.* 26 *ff. de condit. instit., et l. 8 ff. De pericul. et commod. rei vindicatae.* Cum igitur Paroecia s. Mariae Maioris neque patronata sit neque electiva, sed liberae collationis, cumque vigore iuris ipsiusmet vacatio, quocumque tempore contigisset, retrotrahenda erat ad diem initae conventionis, ad mensem nempe Iunium, in quo Archiepiscopo facultas data est vacantia beneficia conferre, prono veluti alveo fluere concludit, paroeciam in themate sacerdoti G. conferendam esse.

Quin dici valeat casum vacationis, iuris ministerio, retrotrahi non posse a mense reservato ad non reservatum cum laesione iurium s. Sedis. Cum enim Apostolica Sedes concordiam inter partes initam approbaverit atque confirmaverit, idcirco non poterat non agnoscere, atque non comprobare singulos iuris effectus, a confirmata conventione procedentes, et praecipue ut eveniente vacatione in mensibus reservatis, casus fuisset retrotrahendus ad diem initae concordiae.

Sed rem in secundo capite urgens, sustinet sub nomine paroeciarum liberae collationis venire etiam paroecias vacantes intra octo menses s. Sedi reservatos. Summus namque Pontifex, suprema qua gaudet potestate in universa Ecclesia, omnium beneficiorum ordinarius collator est, et huius tantum auctoritate Ordinarii sunt beneficiorum collatores *Can. 20 quaest. 3 caus. 9, De Luca de benefic. discurs. 12 num. 23, Devoti Instit. can. lib. 1 tit. 1 sect. 3 num. 30.* Cum ergo sacerdoti G. facultas data fuerit in transactione, optandi ad paroecias quascumque liberae collationis, cumque transactio ipsa a Summo Pontifice, qui omnium beneficiorum liberae collationis universalis collator est, approbata, atque con-

firmata fuerit, consequi descendit quod ab optione exercenda, paroeciae vacantes intra octo menses, Apostolicae Sedi reservatos, haud eximi valent. Eo vel magis quia data est sponsio ad paroecias optandi *absque examine aut alia formalitate*, quod unice ad Supremum Principem pertinet: dum Archiepiscopus, quocumque tempore obtigisset paroeciae vacatio, de ea libere disponere nequibat, sed coactus erat Tridentinas servare leges (1). Iuris subinde necessitate, transactio in articulo tertio debuit considerare solum Pontificem Maximum, utpote collatorem Paroeciae atque a lege Tridentini solutum. Cum igitur relatus articulus ulla sine exceptione approbatus fuerit a Summo Pontifice adiicendo clausulam, limitationem quamvis repellentem, ceu perhibent verba in confirmatione transactionis expressa, *contrariis quibuscumque non obstantibus*, et neque de mensibus reservatis mentio habita fuerit, nullimode ambigi posse concludit, de Pontificis consensu includendi paroeciam vacaturam in aliquo mense ex octo reservatis. Si enim scientia, praesentia, et taciturnitas consensum inducunt ex *L. 1 Cod. Quod cum eo, L. 2 ff. Ad municip., L. 12 ff. de Sponsal.* a fortiori consensus habebitur quando intervenit persona, declarat approbare et confirmare contractum, non facto verbo de praeservando suo iure.

Quo perventus Orator propugnat in tertio capite, Archiepiscopum, in perdita hypothesi, esse obligatione devinctum, optantem Sedi Apostolicae commendandi, ut nominationem ad vacantem paroeciam obtineret. Iuris namque compertissimi est, etiam facti alieni promissorem fieri obligatum, se ex sua parte curaturum, penes alterum quod conventio impleatur, ad ea quae tradit textus in *L. 52, 83, 87 ff. de verb. signif., L. 14 ff.* §. *2 De const. prec.. L.* 9 *ff. de pret. stipul.* Haud profecto liberari subdit, si negligentiâ aut culpâ eius probetur, pactum conventum non habuisse locum. Imo teneri, urget; ad id quod

(1) Tridentinum sess. 24 cap. 18 de ref. loquens de forma, qua providendum est paroeciis vacantibus ait: « *transacto constituto tempore* (pro concursu indicto), *omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, sive eo impedito, ab eius Vicario generali, atque ab aliis examinatoribus, non paucioribus quam tribus....* » Hinc sine Apostolicae Sedis indultu, Archiepiscopus ab examine dispensare nequivisset.

interest nisi probaverit, se penes tertium, a quo pendet stipulationis exequutio, omnem diligentiam incassum adhibuisse; quia id omnino promisisse intelligitur, veluti communiter docent *Bartolus* in *consil.* *286; Boer. decis num. 16, Fabrus ad cod. tit. De contract. Bronch. assert. 40, Schueff. cons. 15 decis. 1.* Magis autem in praesenti casu diligentia ab Episcopo exercenda foret penes Apostolicam Datariam, quia non frustranea, sed valde perutilis erat pro contractus exequutione: cum Sedes Apostolica plurimi faciat Ordinariorum vota, et commendatis ab ipsis beneficia conferre soleat.

In themate autem nedum haec praestitit favore sacerdotis G. Archiepiscopus, ait Orator; sed reservationem opposuit, omnemque vim adhibuit ut sacerdos idem ab optanda memorata paroecia arceri posset; dum alioquin benevisus populo ille esset, ceu ex testimoniis quamplurimis eruitur probatum fuisse.

Totum caput quartum insumit Orator ad evincendam Sacerdotis G. idoneitatem pro regimine paroeciae. Ait enim, praeter Archiepiscoporum laudabilia testimonia de eius idoneitate in paroeciis regendis fidem facientia, stat votum Consultoris s. Congregationis idem testantis, stant ipsius pariter favore vota trium Theologorum Urbis in praecedenti causa exhibita, stat demum ipsius Archiepiscopi confessio transactionem ineuntis, in qua aperte sacerdoti G. concessit facultatem optandi quodlibet beneficium paroeciale, liberae collationis, extra urbem N. vacaturum, absque ulla conditione et absque examine.

Aequitatis demum semitam in quinto capite sectando propugnat, in damnatissima hypothesi omnia concurrere extrema suadentia, ut ex indulgentia Summi Principis, de S. C. C. consilio, enunciata Paroecia suo clienti conferatur. Revera de ipsius idoneitate ad regendas paroecias ex dictis nefas est dubitare, adeo ut ipsa Sedes Apostolica eumdem dignum atque idoneum ad paroecias regendas iudicaverit, confirmando transactionem, in qua facultas concedebatur eidem, ullo absque experimento, optandi quodlibet beneficium paroeciale. Subest causa, ne secus in aevum lis producatur, neve inita concordia a s. Sede confirmata in irritum cedat, quae ex reservatione tantum *acciden-*

tali, suum non valuit effectum sortiri, maxime quia agitur de Presbytero, ex deductis, populo beneviso.

Iura Archiepiscopi. Contra sed vero defensor Archiepiscopi, in facti specie exponenda totus est, ut odium et animi praeventionem ab eodem amoveat; atque ostendere satagit omnem curam ab Archiepiscopo adhibitam fuisse, ut idonei parochi animarum regimini praeficiantur. Ad causae meritum quod spectat praemittit: 1. iniuriâ controversiam promoveri quia, cum paroecia s. M. Maioris, mense Iulio s. Sedi reservato vacaverit, in manu et potestate eiusdem non erat eam conferendi; quippe quae non absolute, sed subordinate liberae collationi *in art. 3 transaction.* designata fuerat, nam uti definiunt Canonistae, *Collatio est actus Superioris conferentis beneficium Ecclesiasticum: Passerin. de elect. c. 7 n. 2.* Sed Papa plenâ, ceteri vero Episcopi semiplenâ iurisdictione fruuntur. 2. Cum sit incontroversum factum, quoad paroeciam vacantem in mense reservato, talem quaestionem resolvi ex iure statuto super *Regula IX Apost.* Cancellariae, late discussa per celebres Auctores Gonzalez et Rigantium, unde de quaestione, iure resolvenda documentorum seriem non exigi. 3. Demum quaestionem modo restringi ad mensem s. Sedi reservatum; plenum autem effectum sortiri tenet praefatum *art. 3*, quando ad turnum Archiepiscopi libera collatio pertinuerit, scilicet cum *cesserit*, et *venerit dies;* nec interea impedit Ordinarius ut sacerdos G. suetae legi concursus obtemperet, quem omnino praecipiunt Bullae, praxisque Archidioecesis N.

Hisce praemissis *primo* loco revincit, Archiepiscopum nec voluisse, nec potuisse sese immiscere in beneficiis Papae reservatis. Sane vero regula 9, non modo revocat quaecumque privilegia, concessa quibuscumque personis disponendi de beneficiis reservatis, sed *omnia Beneficia Ecclesiastica cum cura, et sine cura animarum dispositioni suae generaliter reservavit.* Reservatio siquidem ex *Gonz. Gloss. 31* ad. d. reg. est provisionis ecclesiasticae beneficiorum in certis mensibus per Papam ad se facta avocatio, atque *est tam* potentis naturae, *quod quid invenit, destruit ac secum ducit; Gomez in rec. annal. q. 23 n. 4, Menoch. de recup. poss. tit. 16 num. 144.* Hocce posito, clarum esse subdit, Ar-

chiepiscopum iure meritoque noluisse sese obligare ad beneficium, cuius *collatio ad summum Pontificem spectat:* cum alioquin scitissimum sit beneficia curata in Archidioecesi N. quae vacant in mensibus reservatis, a Summo Pontifice, non autem ab Archiepiscopo conferri.

Quod autem Archiepiscopo non potuerit palam esse, addit, non modo quia praefatum beneficium omnimodae s. Sedis dispositioni erat reservatum *clausulâ sublatâ,* et *decreto irritanti,* sed etiam quia inferiores Collatores usu et beneficio privantur, si quomodolibet in beneficiis *reservatis, affectisque se intromiserint, aut quominus provisiones et gratiae Sanctitatis suae de illis debitum effectum consequantur* ceu late explicat Gonzalez, *gloss. 54* ad text. in *cap. ubi 74 de pr.* nec enim sunt sua iura servanda ei, qui ius aliorum violare non metuit. Ac Rigantius ad cit. Regul 54 n. 27 tenet quod « Per huiusmodi abusum *amittitur alternativa, ipso iure, absque ulla Papae declaratione.* »

Argumentum porro interdictionis excresci adurget ex regul. 15 ubi revocantur omnia indulta et conventiones vigore pacti, et concordiae approbatae, teste *Rigant. in cit. Reg. n. 27;* ubi loquens de conventionibus initis inter personas privatas, docet quod sicuti hae « facultatem non habent disponendi, et con- » trahendi in praeiudicium Apostolicarum reservationum, ita » *Apostolica confirmatio superveniens* non potest ipsis communi- » care vim concordiae initae cum s. Sede. »

Secundo loco declarat ex praemissis, Summum Pontificem lege generali insolitisque clausulis, dictae Regulae appositis, tantummodo privatam inter partes conventionem approbavisse, nec ipse ullam cum presbytero G. obligationem de speciali favore sumpsisse. Tantum enim censeri ex reg. 11 *Interp.* ait *Reiff.* de priori lege mutatum, quantum est expressum in posteriori. At vero Summus Pontifex ratam habuit collationem, quae pertinebat ad Archiepiscopum ex indulto alternativae, non autem collationem quae pleno iure eidem pertinet in mense reservato, de quo non meminit, nec mentionem fecerunt transigentes. Non enim sufficere clausulam generalem, *contrariis quibuscumque non*

obstantibus, revincit auctoritate Ferrari *v. Claus. num. 47* - ibi - « Clausula non obstantibus *quibusc. non derogat Regulis Cancellariae, nec Conciliis generalibus*. Concinit Barbosa in *claus. 82 num. 13* ubi notat generalem clausulam *Non obstantibus* etc. non sufficere ubi lex Canonica, vel Civilis habet clausulam derogatoriam etc. »

Tertio loco animadvertit Orator quod in qualibet perabsurda hypothesi, post petitionem Municipii et Cleri loci illius, qua exorarunt ut Paroecia conferretur per concursum, nunquam expediret concedere paroeciam hanc presbytero G. etsi collatio ad Ordinarium pertineret. Demum adnotat non modo ob scientiae meritum, sed etiam ob alias facti circumstantias exoriri posse, ut una persona sit habilis ac idonea ad unam parochiam et non ad alteram, quod revincit auctoritate De Luca *Disc. 8 De Parocho* etc.

Quibus praemissis, resolvendum propositum fuit

Dubium

An sit locus executioni articuli tertii transactionis quoad Paroeciam s. Mariae Maioris in casu. (1)

RESOLUTIO. Sacra C. C. re mature discussâ, sub die 31 Ianuarii 1881, respondere censuit:

Negative et ad mentem: nempe attentis peculiaribus circumstantiis, supplicandum SSm̃um pro collatione paroeciae S. Mariae maioris, favore sacerdotis Vincentii G. et suspendatur Orator eiusdem sacerdotis ab exercitio penes s. Congregationem ad tres menses. (2)

(1) Ex qua resolutione nil esse colligendum quisquis videt; nam S. C. C. videtur posthabuisse rationum momenta, ex iure deducta, ab utraque parte, et solummodo maluisse quaestionem obtruncare, ne lis in aevum produceretur, cum scandalo et detrimento animarum. Nam dum Antistes omni studio et de industria curat a beneficiis paroecialibus propellere presbyterum G. hic innixus tum scientiae propriae, per concursum abunde probatae, tum aliis qualitatibus ad paroecias regendas aptis, nil aliud quam paroeciale beneficium exposcit quod tandem ex benignitate Apostolicae Sedis obtinuit.

(2) Tali perculsus fuit poenâ advocatus defensor, quia in sua defensione minus reverenter sese habuit erga Archiepiscopum, partem adversam; quod tamen haud constat ex castigata nostra relatione.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 20 Martii 1880

Per Summaria precum

Compendium Facti. Franciscus Xaverius piae et religiosae familiae Vicariatus Apostolici Geneviensis, philosophicis expletis, dum theologicis studiis incumbebat, tonsuram et quatuor ordines minores legitime recepit. Anno 1872 cum quartum theologici cursus annum in Universitate Oenipontana in Austria prosequeretur, oculorum usum ferme amisit, adeo ut *rerum quemdam generalem et nebulosum conspectum habeat*. Animo haud fractus ex hoc infortunio pius hic iuvenis, qui ardenter sese Ecclesiae militiae addicere cupiebat, nec destitit publicas lectiones in Catholicis Universitatibus audire, nec privatim aliorum opere uti, ut in theologicis disciplinis esset instructus. Qua de re anno 1876 Vicarius Apostolicus Genevensis, obtenta vivae vocis oraculo a s. m. Pio Papa IX facultate, Franciscum, tali minime obstante defectu, ad sacros ordines Subdiaconatus et Diaconatus promovendi, eumdem ad memoratos ordines promovit, et ex tunc tum in publicis suae patriae templis, tum in aliis Dioecesibus verbum Dei, prout Diaconum decet, de sui Episcopi licentia evangelizavit.

Nunc Romae degens, ut magis magisque in disciplinae Theologicae studio se perficiat, supplicem SSmo obtulit libellum ut ad sacrum Presbyteratus ordinem ascendere queat, una exemplum indigitans de gratia aliter a sancta Sede elargita, cuidam Nicasio De Vaud, a teneris annis coecutienti, cum assistentia tamen alterius sacerdotis.

Disceptatio synoptica.

Quae petitioni adversantur. Divino praecepto in veteri testamento, corpore vitiati et praesertim coeci a ministerio altaris arcebantur *Levit. 21, 18 « nec accedet ad ministerium, si coecus*

fuerit, si claudus...... si albuginem habens in oculo »; quae lex, utpote caeremonialis, abrogata Christi morte, a RR. Pontificibus quoad substantiam instaurata est, uti *ex can. Illiteratos distinct. 16 et toto titulo decretalium, De corpore vitiatis ordinandis vel non* et latius disputant *Pyringh ad eumdem tit. Reiffenstuel lib. 5 tit. 37 num. 80* et communiter *Doct.* Coecos autem irregulares esse etiam ad primam tonsuram, post *text. in cap. Hinc est dist. 49, cap. final. dist. 55* tenent *Praeposit. in dictum cap. final. 55 vers. Oppono quod imo. Fagnan. Caput cum Contingat. De aetate et qualit. etc. n. 116. Pignatel. cons. 146 n. 7 tom. 8.* Unde Xaverium a s. Presbyteratus Ordine excludendum esse, utpote irregularem non est dubium. Quin ulla ei spes dispensationis ab hac irregularitate obtinendae affulgeat; nam teste *Bened. XIV Instit. Eccl. 34* §. *2* « Hoc impedimento neminem solvere umquam Apostolica Sedes consuevit; cum coecutientibus vero, ex morbo suscepto post habitos Ordines, tantum sub conditione, quod non sit omnino coecus et quod Missam memoriter non recitet. »

Nec desunt reapse resolutiones S. C. C. denegatae dispensationis in similibus casibus ceu in *Pampilonensi 8 Martii 1733.* Luculentiora vero exempla denegatae gratiae adsunt *in Neapolitana 17 Septembris 1814, et Vercellen. 28 Iulii 1860.* Ita pariter responsum est in *Colonien. Dispensat. 13 Septembris 1862,* et recentius in *Carcassonen. Dispensationis ab Irregularitate 27 Febr. 1869.*

Nec valeret adduci exemplum cuiusdam Roberti Scoti, cui quamvis coeco a puerili aetate, concessa fuit facultas, nedum ad Sacerdotium, sed etiam ad Episcopatum ascendendi, uti tenent *Maiol. De Irregularit. lib. 1 cap. 20, et Barbos. de Offic. Episcopi alleg. 42. num. 28:* respondet enim Bened. XIV. quod « *reliqui scriptores, quibus maior fides habenda est, Robertum non oculis captum, sed infirmum fuisse dicunt.* »

Quae petitioni favent. Contra sed vero animadvertendum occurrit, praesenti in themate minime agi de initiando ad primam tonsuram vel ad ordines sacros promovendo, de quibus specifice agunt auctoritates et decisiones supra relatae, sed de

legitime promoto ad sacrum Diaconatus Ordinem, subindeque canonum rigor relaxandus esset. Cum enim in tali statu promotus ex dispensatione fuit, videtur Orator aliquod ius exhibere posse pro petita dispensatione obtinenda. Scitum enim est quod Principis beneficia plenissime interpretare debemus *Leg. 3 Cod. de constit. Princ., L. Quod vero ff. De leg., L. Si quando Cod. de inoff. testam.* Cum igitur ex beneficio Principis ad Diaconatus usque ordinem fuerit Franciscus promotus, cumque ordines isti ad suscipiendum Presbyteratum ordinentur, videretur quod implicite iam ipse fuerit dispensatus, sin minus spe allectus, in posterum de facili petitam dispensationem obtinendi. Secus vero illud verificaretur absurdum quod Principis beneficium esset infelici iuveni damnosum: cum nulli laicali officio amplius posset incumbere, resistentibus ordinibus sacris iam susceptis.

Quibus hucusque adductis adiici possunt optimae qualitates Oratoris et eius familiae merita erga Catholicam Ecclesiam, nec non penuria Sacerdotum, qua laborat urbs Genevae et magnum bonum animarum quod possit obtineri, si concedatur expetita gratia Oratori. Difficultatem autem minime facessere videtur periculum imminens sive effusionis calicis consecrati, sive remotionis hostiae a corporali aut dispersionis fragmentorum, dum haud prorsus luminibus careat et cum adsistentia alterius Sacerdotis aut Diaconi celebrare possit.

Hisce itaque utrinque notatis, sapientiae EE. PP. diiudicare remissum fuit, utrum exoptata gratia elargienda esset.

Resolutio. Sacra C. Congr. re ponderata, sub die 20 Martii 1880 respondit:

Attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia cum facultate Oratori celebrandi Missam votivam B. M. V. et obligatione adsistentiae alterius Sacerdotis vel Diaconi, facto verbo cum Sanctissimo.

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM SUPER PERTINENTIA ECCLESIAE S. ANTONII

Die 9 Iulii 1880.

COMPENDIUM FACTI. Iam a saeculo nuper elapso in Dioecesi S. a fundamentis aere proprio excitaverant, et usque ad annum 1810 retinuerant Patres Conventuales Ecclesiam et Coenobium, titulo s. Antonii. Quo tempore, cum dira saeviret gallica seditio, Patres propria derelinquere coacti sunt, statutâ per legem eorumdem suppressione. Tunc Parochus s. Mariae Gratiarum, legitimo Principe in Siciliam exulante, a Ioachimo Murat veniam obtinuit Paroeciam transferendi in Ecclesiam s. Antonii, ampliorem sacrisque bene praeditam indumentis. Huiusmodi habuit Ecclesiam saecularis Parochus ad annum 1841, quo tempore Municipium, Apostolica Sede legitimoque rege probantibus, eamdem Minoritis concessit; paroecia autem in propriam relata fuit ecclesiam.

Hac etiam nostra aetate, quum suppressio Ordinum religiosorum constituta fuisset etiam in Italia, per fatiosos homines, Galliae rebellionem aemulantes, Parochus s. Mariae Gratiarum iterum in Ecclesiam s. Antonii paroeciam transtulit, Antistite non improbante. Minister Provincialis Patrum Observantium, ex quo Antistes plus aequo favere parocho videretur, ad Apostolicam sedem recursum habuit quaeritans, ut Ecclesia et Coenobium Minoritis restitueretur.

Disceptatio Synoptica

IURA PAROCHI. Antistes parochi operam protuens, ait: Observantes indebite usos fuisse Coenobio et Ecclesiâ s. Antonii per aliquod tempus; ast nunquam sibi ius ea possidendi quae-

sivisse, quum implere neglexerint conditionem quoad regulas Recessus strictioris observantiae. Nam iussu Regis anno 1841 s. Antonii Ecclesia concessa fuit Minoribus Observantibus, hisce tamen sub conditionibus, quas Episcopus illius temporis ratas habuit:

1° Quod religiosa familia ibi constituatur cum regulis Recessus strictioris observantiae.

2° Quod usque dum Communitas constet sex Sacerdotibus totidemque conversis et tertiariis, paroecia permanere posset in Ecclesia Coenobii, qua uti poterunt etiam Religiosi.

3° Quod etiam cum paroecia restituta fuerit in Ecclesiam s. Mariae Gratiarum, parochus facultatem habeat celebrandi in Ecclesia s. Antonii, pro opportunitate, solemnitatem *Corporis* Domini, s. Protectoris, et Feriae V in coena Domini, absque praeiudicio quoad religiosorum functiones.

Praeterea haud veritati niti, ait Episcopus, Patres Conventuales, aere proprio, Ecclesiam et Coenobium s. Antonii condidisse. Nam pluries Municipium asseruit vindicavitque iura propria super utroque; quae iura, aliquo modo, probata fuere cum legitimus Princeps anno 1838 permitteret, ut Municipium Observantibus Fratribus Ecclesiam concederet et Conventum.

Perperam a Minoritis obiici, Ordinarium *pro tempore* haud potuisse conditionis implementum, quoad regulas strictioris observantiae, curare. Id enim pugnat contra dispositum a *Trid. Sess. 25 cap. 1 et 22 de Regul. et Monialib.* et a summis Pontificibus Clemente VIII, Urbano VIII, Innocentio X, Alexandro VII et Innocentio XII, qui Decretum confirmavit s. Congregationis super disciplina regulari die 18 Iulii 1695 §. 9: « Porro ne regularis » disciplina, dum in conventis iam erectis statuitur, relaxetur » in erigendis, et quod una ex parte construitur simul ex altera » destruatur, s. Congregatio, Sanctitate Sua similiter approbante, » statuit atque decernit, nulla in posterum Monasteria, Collegia, » domos, conventus, aut alia Religiosorum virorum loca fundari, erigi aut quovis modo institui debere, nisi sub expressa » obligatione exactae vitae communis, ab omnibus Religiosis ibi » commorantibus perpetuo et inviolate servanda etc. » Et s. Con-

gregatio anno 1841, rata nihil ex his deficere, opportunas concessit facultates Ministro Generali Observantium « dummodo in » enunciato conventu s. Antonii concurrant omnia et singula » requisita, quae circa recessus erectionem in Constitutionibus » Apostolicis Ordinis et s. Congregationis praescripta sunt ». Quamobrem Antistes huius conditionis implementum curans, nullimode religiosorum ordinum exemptioni attentare censuit. Nam id curavit etiam Archiepiscopus praedecessor, scribens Ministro Generali Ordinis eiusdem, quod populus ille haud consecutus fuisset spirituale bonum, quod erat in spe, seseque tolerare amplius non posse neglectum conditionis, quoad Recessum constituendum.

Neque obiicere iuvat, parochum protestare debuisse quum a legitimo Principe, Apostolica Sede consentiente, anno 1841 Ecclesia et Coenobium traderentur Patribus ab observantia nuncupatis. Nam Parochus, quamvis libenter sese subiecerit Regis et Pontificis voluntati, tamen haud omisit animadvertere quod Ecclesia illa, utpote propriâ amplior, maximam afferret utilitatem bono spirituali populi, sibi concrediti. Quamobrem Fratribus Observantibus concessa fuit relatis sub conditionibus.

Iura Ordinis Religiosi. Iura Municipii super Ecclesia et Coenobio, nullo fulciri documento referunt Patres. Hinc quum a Napoleone I Ordines supprimerentur religiosi, et ex illo Coenobio Patres Conventuales foras eiicerentur, Municipium nullum movit lapidem pro suis tuendis iuribus. Anno insuper 1841 quum Municipium ad bonum animarum provehendum, Religiosos expetiverit ab Episcopo et a Rege, donavit iste Ecclesiam et Coenobium Patribus Observantiae, et hac in re Municipium partem executoris tantum egit, ceu eruitur a rescripto s. Congregationis diei 25 Iunii 1841. A qua cum Patres exposcerent facultatem accipiendi a Regis munificentia Ecclesiam et Coenobium, facultas concessa fuit, et operâ Municipii, Ecclesia et Coenobium tradita fuerunt eisdem Patribus. Quinimo etiamsi, uti donator, quod non concedimus, Municipium tribuerit Patribus Ecclesiam et Coenobium, nunc omni dominio careret super eisdem, quoniam donavit.

Neque confundere licet dispositiones Tridentini, quoad Monasteriorum erectionem, cum eo quod Pontificiae Constitutiones iubent quoad Recessuum institutionem, quorum *unus* tantum vel *duo* in qualibet Provincia designantur. Ideo Ordinarius exposcere poterat, ut novus Conventus ad normam Tridentini et Constitutionum Apostolicarum erigeretur, minime vero ut in eodem Recessus strictioris observantiae constitueretur. Et re quidem vera, ne verbum quidem fecit s. Congregatio de hac re, quum per cit. rescriptum concessit, ut nomine s. Sedis Ecclesia et Conventus a Rege exciperentur. Hisce tamen non obstantibus, autumant Patres, Recessum huiusmodi ab anno 1855 erectum fuisse; cum nempe id amplius non praepedirent causae a Patribus independentes.

Autumant praeterea conditiones appositas ab Ordinario illius temporis impletas esse; tertiam autem et quartam ex eisdem, haud destruere proprietatis iura Religiosorum, sed imponere tantum servitutem favore Parochi. Et re quidem vera dum s. Sedes saepe saepius indulgeat, ut clerus saecularis funera peragat et elatâ cruce Regularium Ecclesias ingrediatur, nemo censuit tamen quod Ecclesiae, quae huiusmodi subiiciuntur servitutibus, transeant in dominium saecularium presbyterorum.

Animadvertunt tandem Ecclesiae s. Mariae Gratiarum parvitatem, numquam ius tribuere posse Parocho possessionem sibi vindicandi Ecclesiae s. Antonii. Huiusmodi pretensa ius proprietatis laedit; quod ius exorant Patres Observantes, ut in Religiosorum favore confirmetur a s. Congregatione; quae ad iuris quaestionem tantummodo resolvendam vocatur in themate. Ex officio tandem opportunum visum est prae oculis Eñorum Iudicum ponere 8 et 9 postulatum cum suis responsis iuridicis a s. Poenitentiaria datis (1) circa relationem inter Regulares iniuriâ in Italia suppressos ab incompetenti auctoritate, et locorum Ordinarios.

Quibus aliisque animadversis, duo enodanda proposita fuere

(1) Dubia haec et responsa reperies Vol. VII pag. 147, 48 har. eph.

Dubia

I. An et ad quem pertineat Ecclesia s. Antonii in casu.

Et quatenus affirmative favore Fratrum Minorum Observantium

II. An et quomodo eisdem restituenda sit Ecclesia s. Antonii in casu?

Resolutio. Sacra Congr. Ep. et Reg. re ponderata, sub die 9 Iulii 1880 censuit respondere:

Ad I. Affirmative favore Fratrum de Observantia.

Ad II. Toleranda est praesentia Parochi in Ecclesia s. Antonii, donec in eadem redintegrari poterunt Fratres de Observantia.

Ex quibus colliges. I. In themate agi de quaestione iuris enodanda; ita ut esset tantum ponderandum an Parochus vel Patres Observantes sibi ius proprietatis quaesivissent super Coenobio et Ecclesia s. Antonii.

II. Ex parte Parochi iuris originem promanare videtur tantum ex facto occupationis, assentiente illegitimâ auctoritate; ex parte vero Fratrum ius hoc enasci ex legitimâ donatione eisdem facta ab eo, qui rite eamdem facere poterat, cum assensu Apostolicae Sedis.

III. Verumtamen ex solo occupationis facto, deficiente titulo bonâque fide, nullum acquiri ius, neque praescriptionem currere, eo quod non *firmatur tractu temporis, quod iure ab initio non subsistit.*

IV. Coenobia rite constituta communiter subtrahi omnino Episcoporum auctoritati; et irritam facere nequire coenobiorum institutionem conditiones ab Episcopis adiectas, praeter illas a s. Sede impositas, in eorumdem Conventuum erectionem.

V. Locorum Ordinarios et Parochos ad suum beneplacitum uti non posse ecclesiis vel domibus, sibi ab usurpatoribus concessis, neque in eisdem paroecias erigere easque providere independenter a Superiore Regulari, a s. Poenitentiaria resolutum fuisse. (1)

(1) Vide Vol. VII har. eph. pag. 147.

EX S CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM

ROMANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

IOANNIS ANDREAE PARISI

E COETU SACERDOTUM SANCTAE GALLAE

SUPER DUBIO

« *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* »

Benignus Deus, qui ad excolendam vineam suam quovis tempore impigros mittit operarios, elapso saeculo in hac Alma Urbe excitavit servum suum Ioannem Andream Parisi, angelicis ornatum moribus atque animarum zelo conspicuum. Hic Romae natus anno MDCC, atque inter Cappellanos qui Toletani nuncupantur ad sanctae Mariae Maioris cooptatus, ad sacerdotalem dignitatem a sa. me. Benedicto XIII evectus fuit. Interea coetui Presbyterorum sanctae Gallae nomen dedit, in quo seipsum praebuit exemplum praeclarissimorum operum, praesertim in pauperibus evangelizandis, prout pii illius coetus instituta ferunt. De cuius eximia morum innocentia, deque ferventissima charitate, qua pueros fidei rudimenta edocuit, qua devios ad rectum christianae vitae tramitem reduxit, splendidum sane tradidit testimonium beatus Ioannes Baptista De Rossi, qui Dei Famulum sacri ministerii socium habuerat. De eo autem, qui *amabat nesciri et pro nihilo reputari,* ipsemet Beatus quamplura potuisse referre professus est, si tantae virtutis altitudinem introspiciendi divinitus sibi par datum fuisset lumen.

Neque diversum ab eiusmodi b. Ioannis Baptistae testimonio de hoc innocentissimo iuvene tulere iudicium, quotquot eius conversatione et alloquio perfrui potuerunt. Quapropter nedum magnam sanctitatis opinionem adhuc vivens Ioannes Andreas sibi comparavit, sed haec post eius obitum, supervenientibus prodigiis, uti ferebatur, a Deo servi sui intercessione patratis, nobilitata succrevit. Quae Sanctitatis fama veluti a patribus in filios derivata, ac potissimum penes Sacerdotes Coetus sanctae Gallae vivida permanens, ad hanc nostram aetatem integra perseveravit.

Hinc factum est, ut Rmus Dominus Petrus Villanova Castellacci Patriarcha Antiochenus, huius Causae Postulator constitutus, fervidissimis Sacerdotum sanctae Gallae votis satisfaciens, sedulam navarit operam, ut novae adornandae Ordinariae Inquisitioni super eiusmodi Servi Dei fama Sanctitatis vitae, Virtutum et Miraculorum manus apponeretur, cum prior Inquisitio usque ab anno MDCCCXLI coepta, amplius reperiri non potuerit.

Itaque altera hac Inquisitione rite expleta, a sa. me. Pio Papa IX indultum fuit, ut Dubium signaturae Commissionis Introductionis Causae praedicti Ioannis Andreae Parisi ageretur in Congregatione sacrorum Rituum Ordinaria, absque interventu et voto Consultorum, etsi nondum elapso decennio a praesentatione Processus Ordinarii in Actis eiusdem sacrae Congregationis, neque adhuc ipsius Servi Dei scriptis de more perquisitis atque examinatis. Eapropter Emus et Rmus Dominus Cardinalis Miecislaus Ledochowski, huius Causae Relator, ad instantiam praefati Rmi Postulatoris, attentis postulatoriis litteris plurimorum Emorum et Revmorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Rmorum Antistitum sacrorum, nec non aliorum Virorum tam ecclesiastica quam civili dignitate praestantium; in Ordinariis sacrorum Rituum Congregationis comitiis, hodierna die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium expendendum proposuit; nimirum: *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?*

Emi porro et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 12 Iunii 1880.

De quibus omnibus facta postmodum per infrascriptum Secreta-

rium sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit; propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae ven. Servi Ioannis Andreae Parisi praedicti die 24 iisdem mense et anno.

D. Card. BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus

Loco ✠ Sigilli.

Placidus Ralli S. R. C. Secretarius.

Disceptatio Synoptica.

Compendium vitae servi Dei. Dies 21 Novembris anni millesimi septingentesimi, qua B. Mariae Virginis in templum praesentationis memoria recolitur, Dei Famuli natalis fuit. Romae in hac civitate totius religionis principe exortus, parentes habuit magis christiana pietate quam opibus illustres, Caesarem Parisi et Mariam Locatelli, qui tertio calendas Decembris infantem baptismali lavacro ablui curarunt in insigni s. Mariae ad Transtyberim Basilica, Ioannis Mariae Andreae nominibus impositis; ut ei sacer esset qui primus inter Christi asseclas virginitatem coluit, et ipsa appellatione memoraret tum Beatae Virginis festum quo in lucem editus erat, tum Apostoli illius solemnitatem, cuius pervigilio salutaris pueruli regeneratio contigerat. Optimam a piis genitoribus educationem natis omnibus ab ineunte aetate traditam uberes coelestis benedictionis fructus subsequuti sunt. Tres enim fratres ac totidem sorores, christianarum virtutum flores nitidissimos, Dei Servus adnumeravit; ex quibus foeminae paterna domo monialium more degentes, virginalem puritatem ad obitum usque illibatam servarunt; ex masculis autem natu maior Ioanni Andreae fuit in sacerdotali ministerio comes; tertius genitus religiosa claustra ingressus inter s. Francisci strictioris observantiae filios poenitentissimam vitam egit, qui autem reliquus erat piissimam mulierem sibi uxorem adiungens coniugalis honestatis fulgore thalamum illustravit. Totius autem familiae adeo effusus erat sanctitatis odor, ut ipsi mire aptarentur Ecclesiastici verba « *Illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona, haereditas sancta nepotes eorum* ». (Cap. XLIV v. 10, 11).

Verum caeteris praeclarissimum sanctorum operum incitamentum atque illibatae vitae exemplar Andreas noster erat. Siquidem ab ipsa infantia pietatis studio ac religionis amore enituit. Ab innocuis quoque solatiis alienus, queis puerorum animus inclinat, nil antiquius habebat quam adire templa, preces fundere, ante B. Mariae Virginis aras filialis affectus dulcissimos sensus expromere. Tantam pueri pietatem atque egregium animi candorem piissimus Andreae genitor demiratus, cum in votis haberet quemdam ex natis in ferventi Religiosorum s. Francisci familia adscisci, hanc sibi opinionem ingesserat, Ioannem Andream ad pium paterni animi desiderium obsecundandum aptissimum fore. Hinc constituit ut inter discipulos recenseretur scholarum quas Patres e christiana Doctrina penes s. Agathae frequentissimas tunc temporis habebant. Attamen licet acceptum haberet Dominus pientissimi genitoris votum, permisit tamen ut alteri ex Andreae fratribus seraphici Ordinis claustra panderentur: illibatum autem iuvenem elegit ut sacerdotalium virtutum nitore atque eximiae puritatis flagrantia, almae huius urbis cleri et decus esset et exemplar.

Hinc vix primis latinae linguae rudimentis adolescentulus mentem imbuerat, cum misere evenit, ut eius genitor qui in ipsa humili sua conditione (utpote Ecclesiae s. Caeciliae custos) filiis christianae pietatis fuerat incitamentum, lethali morbo correptus, vitam meritis plenam pretioso iustorum obitu coronaverit. Quanto id luctus esset universae familiae, facile quisque mente percipiet. Vidua praesertim fortunae bonis expers atque ingenti filiorum pondere gravata, secum cogitans quomodo posset tanto infortunio occurrere, aegro quidem animo, rerum tamen angustiis compulsa, putavit tutius domesticis negotiis consultum iri, si Ioannes Andreas incoeptum humaniorum litterarum curriculum, quod pressus inopia metiri non posse videbatur, abrumperet: atque breviori aritmeticae discendae cursui se dederet, ut inter officiales qui in s. Pietatis Monte a rationibus essent, quamprimum adnumeraretur.

Paruit maternis placitis obsequentissimus adolescens, licet moerenti animo perciperet praeclusam sibi religiosae professionis viam, ac penes Clericos regulares Matris Dei ad arithmeticas exercitiones incubuit. Nec dicam quo pietatis ardore ac singulari modestia condiscipulos antecelleret, qua diligentia in studiis progressum faceret, egregium catholicae iuventuti tum religiosae observantiae, tum eximiae sedulitatis praebens exemplum.

Cum ferventem Sacerdotem D. Vaselli Laurentianae in Urbe Basilicae Canonicum et Vicarium Parochum de divinis mysteriis evangelica unctione sermocinantem pluries excepisset: Domino ita disponente, eum illibatae suae conscientiae moderatorem elegit. Agnovit pius Minister agi de iuvene, cuius anima suavissimo sanctitatis odore fragraret: hinc in eam animi persuasionem devenit, ipsum aptissimum fore, qui ad ecclesiasticam militiam disponeretur. Optimam autem nactus occasionem adolescentis Moderator, quod iamdudum mente conceperat, obtinendi; pientissimo iuveni suasit optimum fore si ecclesiasticae militiae suscipiendae mentem disponeret, siquidem indubia, in ipso divinae vocationis argumenta perspexerat. Gestiens excepit Andreas pii sacerdotis vota, quae suipsius animi erant, praesertim postquam suae genitricis in ipsa rerum familiarum inopia, coelesti voluntati obsequentissimae, assensum obtinuit. Verum renuit ultra publicas scholas frequentare, memor sibi obtigisse ut inter condiscipulos quosdam inveniret, qui intemerati candoris obliti, non sine optimorum iuvenum scandalo atque animarum detrimento, liberiora verba proferre non erubescerent.

Hinc non modo in primis studiorum rudimentis, sed in christianae perfectionis semita a Canonico Vaselli sanctissime directus, pius adolescens redolentibus heroicarum virtutum floribus angelicum pectus exornabat. Quis enim referet extases, queis in Dominum rapiebatur, ferventissimas, diutinas orationes, inextinguibilem coelestia meditandi fervorem? Quis, absque intima cordis commotione dulcissimisque lacrymis, conspicere potuisset pium adolescentem ante domesticam B. Mariae Virginis effigiem, quam ardentibus cereis liliisque fragrantibus exornaverat, fratres germanasque colligere, fundere preces, coelestia meditari?

Crevit pietatis ardor cum clericalibus indutus vestibus, minoribusque susceptis ordinibus, totum se mancipavit charitatis operibus. Tunc s. Gallae templum frequentius adire, sacerdotibus in laboribus ad animarum salutem exantlatis adiutorem fieri in deliciis habebat. Hinc sedulus erat in pauperibus christianam catechesim edocendis, erudiendis pueris catholicae fidei mysteriis, fidelibus idoneis exemplis, prout religiosus piae unionis mos est, ad B. Mariae Virginis amorem alliciendis.

Emenso studiorum cursu, nil antiquius habebat quam Maiores Ordines suscipere ac tandem ad sacerdotii dignitatem provehi. Quum bonis paternis expers esset, non defuit pia quae-

dam divesque familia, quae de conscientiae moderatoris consilio patrimonium Dei Famulo constitueret. Poterat tunc iuvenis fervida tot annorum vota satisfacere, et sacrorum Ordinum susceptione integram vitam evangelicus operarius indefessus in animarum salutem impendere. Quis verbis exprimere posset quo studio ac ferventi oratione ad sacerdotium suscipiendum purissimus adolescens sese disposuerit? Quo pietatis ardore Sacrum primo litaverit, atque Dominum in quem ferventissima ferebatur charitatis flamma sub mysticis speciebus manu gestaverit, insonti pectore susceperit? Tanto incendebatur lumine vultus, tanta fulgebat coelesti pulchritudine aspectus, ut qui aderant sibi viderentur videre non hominem sed quemdam ex supernis spiritibus praeclara nivei decoris venustate divinas aeterni Sacerdotis laudes personantibus. Nec prima tantum vice, sed qui eum quotidie ad aras accedentem cernerent, quasi angelicum intuerentur aspectum, eximia Dei Famuli modestia ac suavissima pietate commoti, in dulces lacrymas erumpebant.

Quid dicam, quo studio sacerdotali dignitate insignitus, susceptos iampridem sacri ministerii labores, reliquos perbrevis vitae annos, prosequutus fuerit? Quo impenso pietatis ardore christianam cathechesim ignaros edocuerit; peccatores e vitiorum coeno, verbis christianam suavitatem redolentibus, ad rectam virtutum semitam perduxerit; iustis christianae religionis aditum aperuerit? Quid referam quo paterno affectu ac coelesti vultus hilaritate puerorum circumdatus coronâ, studuerit teneras eorum mentes optimis praeceptis imbuere, atque animas mundi illecebrarum inexpertas ad divini amoris iucundissimam suavitatem pertrahere? Quid memorem vehementem pectoris sollicitudinem, quo miseris se parentem praebere, alienis indigentiis pauper et ipse, quousque vires sufficerent, opitulari, aegros vehementissimis angoribus cruciatus solari, obeuntes ad proximam necem disponere in deliciis habebat?

Ita meritis cumulatus egregiis ac sanctimoniae nomine splendidissimus transegit perbreve suae vitae curriculum, donec ipso iuventutis flore, iam coelo maturus iustorum obitu terrenum hoc exilium cum aeterna beatitate commutavit.

De heroicis servi Dei virtutibus.

Illibatam virtutum fragrantiam Dei Famulum, dum vitam ageret, effudisse unanimi consensione deponunt testes referentes,

iuvenem ornatissimum omnibus suis officiis, praeclarâ religionis diligentiaeque laude satisfecisse. Hinc eum exhibent fide ac spe firmissimum, tum in Deum tum in proximum eximia charitate ferventem; memorant intemeratum adolescentis candorem; puritatem ad obitum usque illibatam, humilitatem egregiam, studium christianae mortificationis ardentissimum. Cum autem his meritis praeclarissimis Andream effulsisse testentur acceptum non modo ex traditis in s. Gallae regestis indubiis documentis, sed etiam ex constanti maiorum traditione; patet sanctimoniae memoriam qua Dei Famulus eluxit, transactae generationis limites praetergressam, nostris hisce temporibus adhuc integram perseverare.

Verum praeclarissimum documentum quo dèmonstratur angelicum iuvenem egregiis virtutibus enituisse, ex B. Ioannis Baptistae de Rubeis attestatione exurgit. Quid autem illustrius de purissimi iuvenis virtutibus dici, excogitarique potest sermone quo Beatus de Rubeis editam attestationem exorditur, fatendo se Dei Famulum utpote angelicae vitae adolescentem ac s. Aloysio Gonzaga simillimum, semper veneratum fuisse, meritisque laudibus commendasse? Hinc refert, vix iuvenem novit, statim in eo perspexisse assiduum orationis studium servandaeque puritatis curam indefessam.

Nec satis: siquidem eximia sunt, quae in eadem attestatione leguntur de egregia modestia, qua divinis officiis astans omnibus esset exemplo; de heroica charitate, qua in animarum salutem exardens, Hebraeorum filios in s. Gallicani nosocomio receptos, in christianae Ecclesiae gremium reducere, eisque aeternae salutis aditum aperire curaverit; de angelica puritate, qua iuvenis os, oculi, aspectus redolebant. Hanc autem attestationem confirmant praeclarissimorum hominum Andreae coaevorum gravissima documenta, quae ex processualibus actis excerpta, Summarii tabulas exornant: quorum extollunt alia angelicam morum pietatem, alia eximium animi fervorem, quo aegris in s. Gallicani nosocomio receptis, paternae charitatis officia contulerit.

De pretioso Dei Famuli obitu et humatione.

At cum angelicam vitam duxisset Andreas, licet roseo iuventutis flore decorus, eximiis tamen meritis, virtutibusque exornatus egregiis, aethereos inter coelitum choros ad coruscantem

coelestibus gemmis coronam vocatus est. Annum agebat aetatis trigesimum quartum cum funesta phthisis symptomata, quae lento gradu iuvenilem vitam consumebant, graviora apparuere.

Dies 12 Maii, qua beati adolescentis s. Pancratii Martyris felix memoria recolitur, postrema fuit insontis iuvenis vitae. Ita beata iuvenis sacerdotis anima inter supernos beatorum spirituum choros recepta, aureâ praeclarissimarum virtutum coronâ refulgens, aeternae coelestium gaudiorum beatitate iucundatur. Tunc autem patuit quam egregiâ sanctitatis existimatione ipsa iuvenis humilis ac abdita vita penes frequentissimam hanc Urbem frueretur. Siquidem vix pretiosissimi eius obitus fama evulgatur, universi illibatum iuvenis candorem, merita illustria, angelicam pietatem commendare. Hinc inter stipatam populi multitudinem, ac undique personantes intemerati sacerdotis laudes, mortales eius exuviae ad s. Caeciliae templum, veluti triumphali pompa translatae, splendidissima funebria habuere.

De fama sanctitatis in vita et post obitum.

Crevit praeclarum intemeratae sanctimoniae nomen post pretiosum iuvenis obitum, cum heroicarum eius virtutum laudibus non modo latissimae urbis viae, sed extra Romuleos fines ipsae finitimae Provinciae personarunt. Hinc assiduus ad eius tumulum fidelium concursus ac numquam intermissum intemerato Sacerdoti privatae venerationis obsequium. Ad inclytam hanc sanctitatis famam augendam, egregiis iuvenis gestis exortam, plurimum contulere eximia portenta quae a Divina Omnipotentia, validissima sui famuli intercessione, patrata omni aevo praeclaram eius memoriam illustrarunt.

Animadversiones Promotoris Fidei.

Pius sacerdotum Coetus, cuius ad s. Gallae aedes spiritualis pauperum cultura est, inter perinsignes caritate viros, hunc etiam protulit S. D. Ioannem Andream Parisi de quo agimus. Hic Urbem, in qua incunabula pariter ac sepulchrum habuit, adeo suis illustrasse virtutibus fertur, ut iuvenis Angelicus, alterque Aloisius Gonzaga a beato Ioanne Baptista de Rossi consodali suo appellari meruerit. Quapropter ab eius obitu sextum post annum iudiciales tabulae super vitae ac sanctitatis fama Ordinaria auctoritate institui coeptae sunt, quamvis, vix inchoato tertii testis examine, intermissae ac numquam

ad exitum deinde perductae. Cur id accidit, latet: illud sane dolendum, etiam inchoatum Processum deperditum fuisse, quin diligentissimis Postulatorum curis eum reperire contigerit. Nostra itaque aetate, cum nullus amplius nec de visu, nec de auditu a videntibus testis sperari poterat, novae adornandae Inquisitioni manus est apposita; qua tamen utilitate et boni exitus spe, breviter dicam.

Decem a Causae Postulatore, tres insuper ex officio testes inducti sunt, quorum ea conditio est, ut vel ad eumdem pertineant pium Coetum, cui Dei Famulus adscriptus erat, vel sint Sanctimoniales Virgines s. Caeciliae, in cuius templo illius corpus requiescit, et aeditui munus eiusdem parentes exercuerunt. Non equidem hos ceu nimiae affectionis suspectos a iudicio repellendos contendam: at cum in hac iudicii sede de fama sanctitatis sit inquirendum, quae longe lateque diffusa fuerit, censendi ne erunt idonei *universitatis* testes, qui ad duos tantum coetus pertineant? Neque tamen Ioannes Andreas aliquid in occulto egit, non in claustris vitam duxit; ideoque eius consuetudines, mores, agendique ratio omnibus perspecta et explorata fuere. At de hoc inferius.

Interim, ne coniecturis delectari videamur, praestat diligentius inquirere qua tandem scientia hi testes praediti sunt. Ast omnem scientiae et cognitionis suae causam, ex quadam vita, a Confessario S. D., seu potius a D. Ioanne Sotio conscripta et typis edita, vel ex attestatione beati Ioannis Baptistae De Rossi repetunt.

Quid ergo dicendum? Est ne hic modus legitimus, iuridicus, sufficiens probandi virtutum et sanctitatis famam? Erunt ne vere ac proprie dicta testimonia, quae unica constant unius aut alterius privati scriptoris auctoritate, et ad hanc tantummodo sese referunt? Itaque probationi per testes faciendae omnino valedicendum est. Restaret dumtaxat probatio per documenta: at haec, *subsidiaria* cum sit, nonnisi in antiquis ex quadam benigna iuris concessione admittitur: cum ceteroquin per documenta manuscripta, vel per historicos neque plena, neque directa probatio iuridice exhiberi possit. (Benedictus XIV lib. II c. 8 n. 5). Atqui in Causa documenta haec universum probationis onus sustinerent. De vita a Vasellio et a Sotio conscripta, deque attestatione b. Ioannis Baptistae De Rossi, iam tetigi. Sed enim et alia pariter extraiudicialia, vitae scriptori praesto fuerunt,

et quibus Processus ipse magna ex parte constat. Hinc factum, ut Summarii diligentissimus Auctor brevibus ac plerumque nullius frugis testimoniorum laciniis, integras paginas ex hisce documentis attexere coactus fuerit.

De quibus documentis ut pauca innuam: primo animadvertere est, ex Actis nullam apparere adhibitam sive ab Iudice, sive a Fisci Promotore diligentiam; qua genuina, authentica, nullâque in parte vitiata haberi iuridice valeant. Nulla siquidem occurrit veterum characterum peritia, nulla manus recognitio, seu cum aliis indubiis documentis collatio. Quin immo Commentarius a Vasellio conscriptus adeo informis, mutilus, et mendis plurimis respersus apparet, ut opus exhibeat ab auctore relictum, multo labore et industria adhuc expoliendum ac perficiendum. Ceterum ius nostrum absolute vetat extraiudiciales attestationes vel exquirere vel in processum inserere: quin etiam insertis nullam probandi vim tribuit. (Benedict. XIV Lib. II c. 49 n. 2 etc.) Nihil addam de vita a Sotio exarata, cum in ea, ceu monui, fere ad verbum Vasellii et aliorum attestationes relatae fuerint.

Novi quidem, iuxta Benedicti XIV doctrinam, etiam ex vita alicuius Servi Dei legitimam famae originem duci posse, si antiqua haec fuerit: verum advertamus oportet quot quantaque praeterea concurrere debeant ut admitti haec sententia possit; scilicet id valet: *si nihil in ea vita reperiatur quod conforme non esset adductis et comprobatis in processibus; item si viri graves electi non solum opus approbassent, sed etiam id cum processibus diligenter contulissent.*

Exemplo rem firmat ex vita s. Aloysii Gonzaga a P. Virgilio Cepario conscripta: *Sex etenim theologi ante eius editionem, quorum tres erant aliorum Ordinum religiosorum, eam contulerunt cum processibus, et dixerunt eam esse desumptam ex testibus in ipsis processibus examinatis, ideoque esse typico praelo dignam. Horum sex theologorum iudicia exhibita fuerunt Cardinalibus Hieronymo Bernerio Episcopo Asculano ex ordine Praedicatorum, Roberto Cardinali Bellarminio e Societate Iesu, et Hieronymo Cardinali Pamphilio tunc Urbis Vicario, qui fuerunt a Summo Pontifice Paulo V selecti pro operis examine. Iudicio Theologorum concors fuit iudicium horum trium Cardinalium, tum vero memoratus Pontifex Paulus V in suis litteris Apostolicis expeditis in forma Brevis diei 19 Octobris 1605 facultatem*

impertitus est edendi in lucem ad Christifidelium aedificationem et utilitatem opus praedictum etc. *His siquidem positis difficile admodum esset famam reprobare, de qua testes deponerent, asserendo se ita a maiori parte populi dici audivisse et sic dicentes fundamentum dicendi habuisse in vita Servi Dei tot examinibus et solemnitatibus praeviis a viro gravi in lucem edita.* (Ben. XIV lib. II. c. 11. n. 8).

Quid horum, quaeso, in causa nostra? Quandonam cum vix inchoatis processus tabulis, documenta superius memorata collata sunt? Ubinam Theologorum examina? Ubi S. R. E. Cardinalium, vel Summi Pontificis iudicium et confirmatio? Ubi saltem aliqua hisce similia? De cetero hoc maximum discrimen; licet in re nostra uti vidimus, non tantum de adminiculo probationis agitur, extantibus ex processu idoneis probationibus, sed de ipsa iudicii substantia. Plane si valida, legitima, et plena esset probatio virtutum et sanctitatis famae ex vita memorata et ex attestationibus extraiudicialibus desumpta, ad quid Processus Ordinarii confectio, solemnis apparatus examinis, tresdecim testium rogatio et inductio? Nonne prorsus inutilia et inania haec fuisse viderentur? Satis enim abundeque fuisset vitam Ioannis Andreae nostri conscriptam et attestationem ipsam b. Ioannis De Rossi in actis referre.

Cui quidem attestationi a b. Ioanne Baptista De Rossi exaratae cum praecipue omnes innitantur, operae pretium duco paucissima de illo documento singillatim dicere. Omitto quod vir Beatus iuvenilibus annis illud exaraverit, et citra iuramenti fidem. Attamen valde scire oportebat, num in processu deinde, in quo examen subiit, illud confirmaverit, vel forte emendaverit. Praeterea licet quaedam ecclesiastico digna viro in hoc documento praedicentur, haud tamen ita amplam ac numeris omnibus absolutam viri sanctitate conspicui imaginem exhibent, ut praesens iudicium per illud absolvi possit. Praesertim vero de fama post obitum nullatenus agit, neque agere poterat, quia anno ipsius obitus exaratum.

Haec talia sunt, quae nos ab ulteriori qualibet disquisitione eximant. Quid enim aliunde quaerimus de hac sanctitatis fama, cuius in casu omnis idonea probatio deficit? Ea namque famae probatio quaeritur, quae in existimatione et communi opinione consistit - *de puritate et integritate vitae, et de virtutibus non utcumque, sed per continuatos actus data occasione exercitos*

supra communem operandi modum aliorum proborum virorum aut mulierum. (Benedict. XIV Lib. II c. 29 n. 7). — Requiritur scilicet ut opinio haec sanctitatis Servi Dei *communis* sit, vigeat nempe in probis honestisque viris, et in maiori parte populi, cum secus *rumoris* non famae nomen mereretur (Benedict. XIV l. c.). At si nostros audias testes, non solum existimatio isthaec et opinio non fuit communis et universalis, sed adeo angustis coarctata finibus, ut, ceu iam praemisi, vix apud aliquot Sodales unius Piae Societatis, et Moniales s. Caeciliae Urbis viguerit. Praeter hos, nonnisi quaedam familia ex oppido Roviani memoratur, quae ideo Parisii aliqualem memoriam retinet, quia consanguinitatis, sive affinitatis foedere se cum eo devinctam esse putat.

Adde quod ad obtinendam signaturam commissionis *non sufficit ut haec fama sanctitatis viguerit apud maiorem partem populi, nisi eadem orta fuerit ex probabilibus causis, idest quod fundetur praecipue in virtutum heroicarum exercitio.* » Sed de hisce interrogati testes nostri responderunt: aut nescire, aut aliquid scire ex attestatione b. Ioannes de Rossi.

Licet autem inter amicas sodalium testificationes vix praesumi valeat aliquid reperiri quod in censuram verti possit, nihilominus hae Parisium exhibent veluti tardioris, timidi ac morosioris ingenii. Eum sui moderatoris lateri perpetuo adhaerentem vides, minutis quibusdam pietatis exercitiis ita deditum, ut ne hilum quidem ab iis dimoveri se pateretur. Haec ingenuum et pium quidem, sed ultra modum, produnt iuvenem, ac longe a perfecta virtute, eaque animi virilitate, quae fortes efficit, et ad ardua capessenda disponit. Nescio autem an simplicitati, vel sibi insitae potius suae existimationi sint referenda, quae olim suo confessario respondit, scilicet quaesitus coram eodem, an propria cum eo mutare vellet peccata, respondit, nolo: quia numerosiora esse possent, cum Confessarius sit senior. Alias autem serio dixit: si sanari vellem sufficeret ut Iesum Christum orarem; ast nulla est mihi voluntas. Quae verba praesumptionis et cupidinis vanae captandae gloriolae labem redolent.

Iuxta praescripta in Decretis Urbani VIII inquirendum est praecipue de Servi Dei obitu. In re autem nostra invenimus S. D. sui agendi ratione mortem sibi accelerasse. Nedum enim noluit abstinere ab illis laboribus qui ipsi detrimento erant, sed et videtur reiecisse pharmaca, sprevisse sollicita medicorum et

parentum consilia aiens: *medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui, sed habeo Dominum Iesum Christum.* Porro si haec ita intelligi debeant, ut medicinam omnino respuerit, non leviter peccasse dicendus esset S. D. Etenim *peccat qui respuit medicinas, nisi faciat ad se mortificandum, modo absit periculum mortis.* (s. Alphonsus Op. Moral. lib. III. Tract. I Cap. II dubium II n. 32). Verumtamen nedum ista neglexit Dei Famulus, sed ita praeterea suo velificatus ingenio est, ut Missam celebrare statuisset ipsa die qua medicus Viaticum eidem praeceperit. Quae a culpa, nisi forte per summam simplicitatem, nullatenus excusari posse videntur.

Responsio ad animadversiones R. P. D. Promotoris Fidei.

In ipso defensionis exordio praetereundum non est, ex iis quae Censor in animadversionum suarum limine commemorat, iam probe deduci, quam eximium sanctimoniae nomen intemeratus sacerdos reliquerit; cum in ipso iuvenilis aetatis flore meritis cumulatus egregiis ad superos evolavit. Vix enim sextus ab eius obitu transegerat annus, cum ipso Censore fatente, *iudiciales tabulae super vitae et sanctitatis fama Ordinaria auctoritate institui coeptae sunt.* Iamvero nonne hoc perpaucis quidem contigit? Nonne constituit splendidissimum illius venerationis argumentum, quam haec ipsa urbs catholicae doctrinae centrum, cleri populique religione insignis, illibatae iuvenis memoriae tribuebat?

Verum est antiquitus suscepta Ordinariae Inquisitionis acta inchoato forte tertii testis examine, interrupta sunt, eaque miserrimo quodam fato posteriori tempore interierunt. At quid exinde? Huic tam lacrimabili infortunio forsan extraneus non fuit ipse Actuarius Andreas Sellini, in cuius tabulario acta inchoati processus servabantur, qui prodigi hominis famam reliquit. Non desunt enim qui memorent eum iocis deperditum, suum quoque officium cum omnibus documentis vendidisse. Insuper infaustus hic eventus tribui quoque potest infortunatis iis rerum perturbationibus, quae praeterito saeculo ad exitum vergente usque ad nostrae aetatis exordium, cum integra Europa eximiam hanc civitatem totius religionis centrum, tanta malorum colluvie funestarunt; cum scilicet omnia humana insimul ac divina impio conatu susdeque versa fuerunt.

Ast nimis fidenti animo s. Fidei Vindex asseruit nobis incertum esse, cur id acciderit. Etenim ex processualibus actis constat tantummodo necessariae pecuniae defectu hanc causam fuisse intermissam, animo tamen eam ad exitum perducendi vix uberiora media postulatorum solertiâ colligerentur.

Etenim certum est, nullum umquam impedimentum, nullam haesitationem in Causae actoribus insurrexisse, quin imo tantum succrevisse angelici iuvenis sanctimoniae famam, ut inter ipsas temporum difficultates civilesque perturbationes, numquam spectatissimi sacerdotes in causae huius iuribus tuendis defecerint. Quapropter, amissis misero infortunio incaeptae inquisitionis actis, animo non desponderunt, sed nullis laboribus ignoscentes, obtinuerunt ut nova ordinaria inquisitio perageretur. Verum subdit Censor, tunc novas processuales tabulas exordium habuisse, cum nullus *neque de visu, neque de auditu a videntibus testis sperari poterat;* at quomodo nobis culpae vertere potest si subsidiariis probationibus utimur, postquam deperdita sunt acta quae in Curia asservabantur, et opus fuit, ut post tam diuturnum tempus altera Ordinaria Inquisitio susciperetur?

Verum in re nostra obiurgat Censor tum Postulatoris, tum Iudicum agendi rationem, qui inter vel inductos, vel ex officio accitos testes non alios viros elegerint, nisi aut Sacerdotes ad eumdem pium coetum pertinentes, cui Dei Famulus adscriptus erat; aut *Sanctimoniales Virgines s. Caeciliae, in cuius templo eius corpus requiescit et aeditui munus eiusdem parentes exercuerunt.* At frustra conatus fuisset praeclarissimos hos viros in suspicionis crimen adducere. Siquidem optime vir expertissimus noscit iuxta Magistri nostri normas ac receptam huius fori consuetudinem, eos, qui cum Dei Famulo de quo iudicium agitur vel necessitudinis vel familiaritatis vinculo coniuncti erant, nedum a testimonio ferendo non impediri, quin immo primos ordine admitti. Etenim hae duae tantummodo conditiones in testibus requiruntur; probitas et scientia. Qui vero inter testes scientiae dotibus commendabiliores, quam qui eadem cum Servo Dei charitatis opera communia habuere, vel ipsius domi finitimi sacros eiusdem cineres possident?

Et quoad moniales quaenam melius poterunt traditionis anteactae aetatis testes esse, quam Virgines illae, in quarum ecclesia adolescens noster inter roseos pueritiae flores prima dedit angelicae pietatis exempla, primas extulit preces, ante virgineas

aras primas illibati cordis delicias effudit? Quam virgines illae sub cuius umbra coenobii, quasi prope electissimum virtutum coelestium viridarium, Dei Famulus nitidissima sanctimoniae luce refulsit, transegit intemeratum suae vitae curriculum, terrenum hoc exilium cum aeternis coelestis beatitatis gaudiis commutavit? Virgines denique illae, quae insontis iuvenis reliquiarum custodes optime intueri poterant, quot inter fideles ad veneratum tumulum accederent, ante pretiosos cineres in rerum humanarum angustiis, in corporum languoribus fidentes preces funderent, voti compotes effecti grata cordis vota depromerent? Desinat itaque Censor Sanctimonialium testimonium uti minus idoneum impetere!

Remanent Sacerdotes ad s. Gallae coetum pertinentes. At miror quidem s. Fidei Vindicem subdere: « Neque tamen Andreas aliquid in occulto egit, non in claustris vitam duxit, ideoque eius consuetudines, mores, agendique ratio omnibus perspecta et explorata fuere. » Etenim liceat me virum expertissimum ita compellare, eiusque retorquere argumentum. Num, Censor optime, Sacerdotes e coetu s. Gallae, qui huius Urbis beneficio sedulam piis operibus operam navant, in occulto aliquid agunt, vel in claustris vitam degunt, ut non possint alicuius servi Dei consuetudines, mores, agendique rationem agnoscere, ac de eius sanctitatis fama testari? Nonne universae civitatis viae notae sunt, atque ex proprii officii rationibus cum omnibus cuiuscumque coetus, conditionis, sexus, hominibus conversantur; ad permultas easque clarissimas urbis familias pertinent? Quin imo iidem Sacerdotes, qui, donec piis sanctae Gallae operibus interveniunt, unum coetum constituunt, iis absolutis, pro munerum diversitate hinc inde alias aliasque aggregationes efformant, ad alias societates attinent, distinctis muneribus satisfaciunt.

Tandem non tam facile Censori concederem, quotquot examinati sunt testes, eos, nemine excepto, vel ad Sanctimoniales monasterii s. Caeciliae, vel ad Sacerdotes e pio s. Gallae coetu pertinere cum alii quamplures adsint testes. Verum converso agmine ad collectarum depositionum pondus transit solers Fidei Vindex, ac quod, fere nil prorsus testes deposuerint, poetico quodam imaginationis impetu abreptus autumat. Non quidem ii sumus, qui dicimus, examinatos in hac causa testes plenam ac numeris omnibus absolutam probationem constitue-

re. Quin imo apprime fatemur eos, quoad intemeratam iuvenis vitam virtutumque nitorem non multa potuisse deponere, nec omnia peculiaria facta referre. Nec aliud expectari poterat, si advertatur haud exiguum annorum cursum Dei Famuli obitum ab alterius huius Ordinariae inquisitionis exordio seiungere. Hinc, ne probationis vis haud ulla ex parte deficeret, adiecimus inclyta facta a veteribus documentis, ab antiquiis commentariis ac edita Dei Famuli vita deprompta.

Verum etsi testes dicant se praefata documenta legisse, tamen non hanc unam scientiae causam afferunt; sed, uti ex primo summarii titulo descendit, traditionem praesertim appellant, quae a patribus in filios haud interrupta tam diuturni temporis serie fulgentior propagata est. Quamobrem testes non vitam a Ioanne Sotio conscriptam, aut vulgatam b. Ioannis Baptistae De Rubeis testificationem, uti unicum scientiae fontem exhibent, sed ad veterem praesertim traditionem, eamque haud interrupto annorum cursu a patribus in filios usque vigentem appellant.

Ex testibus ad documenta pertransit Censor solertissimus. Prae primis autem non inficiamur, ea utpote antiquitate et pondere praestantissima, nisi unicam, quam maximam tamen probationis nostrae partem constituere. Verum eorumdem auctoritatem haud uno ex capite impetit s. Fidei Vindex; primo autem observat, eam, subsidiaria cum sit, nonnisi in antiquis causis ex benigna quadam iuris concessione admitti *cum coeteroquin per documenta manuscripta, vel per historias, neque plena, neque directa probatio iuridice exhiberi possit*. Verum ad primum quod attinet, si haec probatio in antiquis causis admittitur, iam iure agimus; neque intelligere datum est, qua ratione Censor eam in themate excludat. Utimur enim benigna concessione, quam nobis ius concedit et s. Fidei Vindex auferre nequit. Forsan contendet hanc causam antiquam non esse? Verum iuxta Praeceptoris nostri doctrinam in iis causis subsidiaria haec probatio admittitur *in quibus propter temporis antiquitatem testes de visu haberi non potuerant*. Quomodo autem testes de visu haberi potuissent in re nostra, in qua iam alterius saeculi dimidium a pretioso Dei Famuli obitu nos dividit?

Ad alterum autem quod spectat, Praeceptoris nostri auctoritati innixus subdit Censor, per documenta manuscripta, vel per historicos neque plenam, neque directam probationem iuridice exhiberi posse. At Benedictus XIV cum tradit documenta

manuscripta, et historicos directae probationis partes non substinere, loquitur de causis coaevis, quae procedunt per viam non cultus; in iis enim directae probationis onus testes substinent; documenta autem historica testificationesque extraiudiciales nonnisi adminiculi vim praeferunt (1).

At alia est Magistri nostri mens, cum sermo sit de casu excepto, vel de antiquis causis per viam non cultus procedentibus. Siquidem tantummodo miracula nequeunt per historica documenta demonstrari; in virtutum autem aut sanctimoniae nomine nil vetat quominus historiae ad plenam probationem adducantur. En praeceptoris nostri verba « Regula generalis sit » in nullo casu miracula probari posse per solas historias et » chronicas; item virtutes et martyrium iuxta modum mox » explicandum consimilibus monumentis probari posse in causis » procedentibus per viam casus excepti vel in causis in quibus » propter temporis antiquitatem testes de visu haberi non po- » tuerunt et locus est probationi subsidiariae (2). » Etenim subdit: « In causis quippe praedictis fit locus probationi subsidia- » riae, et in linea probationis subsidiariae suum sibi locum vi- » dentur vindicare debere historiae et historica documenta (3)».

Quoad difficultatem a Censore motam circa valorem vitae Servi Dei typis editae, multa respondit defensor. Tandem ait: ita summarie perstringi potest Benedicti XIV doctrina, uti scilicet vita antiqua, dummodo a probato auctore edita, idonea sit ad sanctitatis famae originem demonstrandam, non autem ad id obtinendum sufficiat vita a recenti scriptore exarata: excepto tamen casu, in quo, uti in vita s. Aloysii Gonzaga, haec nedum ab eximiae probitatis auctore sit edita, sed a gravissimis viris examinata et cum venia summi Pontificis ad fidelium aedificationem typis edita. Quapropter quae Censor ex Benedicto XIV profert non ad antiquam, sed ad recentem vitam referuntur, et exceptionem constituunt, qua posita, etiam vita haec a gravi viro edita ad probandam famae originem rite possit adduci.

Iamvero, huius historiae scriptor est Sacerdos Ioannes Sotius, qui eximia morum integritate egregiisque virtutibus exornatus, indefessis sacri Ministerii laboribus intentus, optimam pietatis

(1) Bened. XIV. L. II. C. VIII.
(2) Ibid. loc. cit. §. 1.
(3) Ibid. §. 3.

famam reliquit. Verum non haec satis. Etenim iam innui Censorem optimum immerito de examinis theologorum defectu questus movere. Etenim qui primas editi operis facies evolvat, advertit non prius hanc vitam in lucem venisse, quam duo religiosi viri theologica scientia praestantes eius revisionem peregerint, atque praecesserit de more ecclesiasticae auctoritatis probatio.

Relate ad testationem beati de Rubeis cui innituntur testes complures, defensor Censori respondit: cum Beatus de Rubeis ante Ioannis Andreae Parisii nativitatis diem ortus sit, ac longe post iuvenis sacerdotis obitum vitam protraxerit, testatio haec est documentum Beati, qui de alterius Servi Dei sibi aetate coaevi, atque iisdem sacri ministerii laboribus comitis indefessi, heroicis virtutibus testimonium dicit. Quanta itaque attestationis dignitas ac fides, cum sanctus de sancto testetur!

Attamen quae beatus de Rubeis in hoc documento posterorum memoriae mandavit non sufficiunt Censori optimo, qui subsequitur. « Licet quaedam Ecclesiastico digna viro in hoc » documento praedicentur, haud tamen ita amplam ac numeris » omnibus absolutam viri imaginem exhibent, ut praesens iu- » dicium per illud absolvi possit. » Verum primo advertendum, nos non unum hoc documentum ad iudicium absolvendum attulisse. Adsunt enim testium examina, adsunt virorum scientia ac pietate illustrium testificationes, adsunt commentarii Vasellii manu exarati, ac tandem vita a clarissimo Sotio typis edita. Hinc si de fama sanctitatis post obitum in documento b. de Rubeis sermo non est: de ea loquuntur praecitata monumenta, eamque numquam interruptam ad nos usque pervenisse demonstrant. Quin imo haec eadem Beati de Rubeis testificatio, post Dei Famuli obitum exarata praeclarissimum ex se ipsa argumentum est, pium iuvenem ad superos evectum, eximium virtutum sanctimoniaeque nomen reliquisse.

At verum ne est, quae in hoc documento leguntur eiusmodi esse, ut quaedam tantummodo ecclesiastico viro digna praedicent? Recolendum est beatum Ioannem Baptistam de Rubeis attestationem reliquisse, non historiam; hinc frustra quis in ea requireret adeo graphicam explicitamque singularum vitae actionum descriptionem, prout biographorum est; ac in commentariis Vasellii vel Sotii typis edita vita reperitur. Qui testificationem emittit super cuiusdam Dei Famuli gestis egregiis, nonnisi quaedam ad heroicas eius virtutes pertinentia complectitur.

Attamen quam eximia sunt, quae de iuvene intemerato in hac atiestatione leguntur! Sat est in eam oculos convertere, ut pateat quanta inibi, nedum ecclesiastici, sed sancti viri dignissima in ipso sermonis compendio descripta inveniuntur. Etenim ad heroicas integerrimi iuvenis virtutes exornandas, quomodo nitidioribus verbis beatus de Rubeis exordiri potuisset, nisi memorans Dei Famulum, uti iuvenem angelicae puritatis, alterum s. Aloysium Gonzaga et admiratum esse, et caeteris praedicasse?

Ex iis quae huc usque disseruimus nitide descendit omni prorsus fundamento destitutam esse Censoriam adversionem, qua s. Fidei Vindex contendit idoneam probationem in themate deficere. Probe enim novimus Praeceptoris nostri doctrinam esse, eam famae probationem exigi, quae in existimatione et hominum opinione constituitur « de puritate et integritate vitae » et de virtutibus, non utcumque sed per continuatos actus « data occasione exercitos supra communem operandi modum » aliorum proborum virorum aut mulierum » Quin imo prosequitur laudatus Pontifex: ita ut concepta in uno vel pluribus » locis erga eos devotione a plerisque in suis necessitatibus » invocentur et plurium gravissimorum virorum iudicio digni » existimentur, ut per Sedem Apostolicam referantur in album » Beatorum vel Sanctorum (1) ».

His positis, sat est Summarii tabulas evolvere, ut pateat quam eximia sit sanctitatis fama, qua pius iuvenis refulget quaeque ex testibus haud angustis continetur limitibus sed ample patet. Et insuper constat iuvenis nostri Sanctitatis famam, fulgentissimam dum adhuc vitam duceret, auctam fuisse post pretiosum eius obitum, eamque florentem esse nedum penes pium coetum Sacerdotum, qui s. Gallae piis operibus intersunt, sed etiam penes omnes Ecclesiasticos. Hinc nil mirum si pretiosi eius obitus nuntio tota urbs commota fuerit, si abdito egenoque iuveni cum ingenti populi clerique concursu splendida parentalia persoluta fuerint, si omnium una esset vox angelicum quemdam sacerdotem obiisse. Huius autem splendidae famae motores erant quotquot Dei Famulum noverant, vel de egregiis eius virtutibus sermonem acceperant.

Atque ita inclyta angelici iuvenis sanctimoniae fama tot annorum decursu, haud interrupta traditione ab integerrima eius

(1) Lib. II. Cap. XXXIX. §. 7.

vita ad nos usque descendit, ac tam diuturnam aetatem integra complectitur. Cum enim homines senio iam graves qui attestationes ediderunt, roseis adolescentiae floribus ornarentur ; adhuc superstites erant beatus Ioannes Baptista De Rubeis , Sotius, Vasellius aliique , qui Dei Famuli coaevi eximias eius virtutes scriptis ornatissimis posterorum memoriae commiserunt.

Verum quaerit etiam Censor utrum hoc sanctitatis nomen ortum sit ex probabilibus causis ; idest fundetur praecipue in virtutum heroicarum exercitio. Id autem ut impetat , advertit ex testibus, qui coram iudicibus deposuere, alios hanc quaestionem praetermisisse ; alios professos esse se nihil ad rem cognoscere, quod testarentur. Si qui vero quaedam facta ad rem pertinentia explanaverint, se retulisse tantummodo ad ea, quae in beati Ioannis Baptistae de Rubeis attestatione exornata inveniuntur. Verum eadem redit defensionis ratio. Concedimus enim quosdam ex testibus nullum hac in re emisisse iudicium. Num omnibus eadem fuit testandi causa ? Num testibus in themate praecipuum demonstrationis pondus commissum est ? Quin imo, ipsa attestatio b. Ioannis Baptistae de Rubeis, ad quam, Censore fatente, quidam ex testibus appellant, non sat est ad legitimam famae originem demostrandam ? Haec iam censoriam adversionem penitus everterent ; attamen multa quae in re testes edicunt , multa quae ex caeteris documentis exurgunt , clare evincunt, non scientiae laudem aut humanae alicuius virtutis excellentiam, sed intemeratae sanctimoniae splendorem, tantam pio iuveni hominum celebritatem comparavisse. Ex quo factum est, ut probe in hac fama eluxerit, quod postremo loco requirit iuris nostri Praeceptor , uti scilicet Dei Famuli *a fidelibus in suis necessitatibus invocentur , et plurium graviorum virorum iudicio digni existimentur, ut per Sedem Apostolicam referantur in Album Beatorum vel Sanctorum*. Quid enim ? Id probant egregiae laudes, quas Andreae virtutibus viri gravissimi omni aetate tribuerunt, id imagines ac reliquiae summo ardore a fidelibus expetitae , uti pretiosa sanctorum lipsana domibus asservatae, id frequentia populi ad invisendos pretiosos iuvenis cineres , id concepta validissimae ipsius intercessionis fiducia ; id demum innumerae gratiae quae Dei Famulo adprecatore a Domino referuntur acceptae.

Ut dilueretur obiectio promotoris Fidei exhibens Dei Famulum veluti iuvenem timidi ac tardioris ingenii ; sui mode-

ratoris lateri perpetuo adhaerentem, ingenuum quidem et pium; sed expertem perfecta virtute, eâque animi virilitate quae fortes efficit, et ad ardua capessenda disponit ait: sat est in angelicam iuvenis vitam attentos oculos convertere, ut appareat iuvenem egregiis mentis ingeniique dotibus exornatum fuisse. Quapropter dum veluti filius amantissimus moderatoris sui mandatis consiliisque obsequebatur, et propriae veluti voluntatis expers, alienae subditus erat; eximium praebuit heroicae illius humilitatis exemplum, qua ut memorat b. Ioannes Baptista de Rubeis, *amabat nesciri et pro nihilo reputari*. At sacerdotio initiatus, quodnam ingenii acumen heroicae charitati coniunctum ostendit, dum tam uberrimo aeternae salutis fructu concreditis sibi ecclesiastici ministerii partibus satisfecit? Quid dicam de aegris puerisque, qui in s. Gallicani nosocomio degebant?

Nullam redolere labem praesumptionis et vanae captandae gloriae verba Servi Dei certum est. Nam etiam cum dicit se nolle peccata propria cum illis confessoris mutare, quis non videt quantam animi simplicitatem ac morum innocentiam haec verba redoleant? Quis poterat, quaeso, meliori ratione humillimam pii iuvenis animam agnoscere, quam qui eius spiritualis pater atque illibati candoris custos fuerat? At quod factum conscientiae moderator uti angelicae simplicitatis argumentum posterorum memoriae transmittit, in eo Censor insitae existimationis iudicium invenit?

In obiectione, quae heroicam S. D. spem respicit, notat defensor, censorem adiecisse verbum *serio* dum pii iuvenis verba referret dicentis *si sanari vellem*..... Quisquis autem videt quanta inter utramque locutionem reperiatur dissimilitudo, abraso enim illo adverbio *serio* quaevis praesumptionis species, si quae aderat, vanescit. Quid itaque Dei Famulus his verbis expressit, nisi se fiduciam habere sanitatem obtinendi, si coelestem Patrem de hac gratia rogaret; tamen propter impensam charitatem qua in Deum ferebatur, se malle dissolvi et esse cum Christo? Malebat pius iuvenis vitam amittere, ne vel levissima culpa macularetur; hoc autem desiderium tam caelesti dilectione fragrans, tam perfecta sanctitate fulgens, veluti praesumptionis labe redolens a Censore incusatur?

Tandem censor advertit servum Dei sua agendi ratione sibi mortem accelerasse, nolens *abstinere ab illis laboribus qui ipsi*

detrimento erant, reiecisse pharmaca, et sprevisse sollicita medicorum et parentum consilia! At quoad primum haec est catholicae sanctitatis gloria, ut, qui viri christianae perfectionis semitam percurrunt, ii assiduis poenitentiis carnem macerent impervios suscipiant labores, ut proximorum necessitatibus opitulentur, et mortem ipsam oppetere pro animarum bono alacres hilaresque non dubitent. Qui excelsa hac charitate permotus inclyta gesta aggreditur, vitam ipsam aspernatur; illum nedum quavis vel levissima culpa expertem, sed iure meritoque catholicae fortitudinis heroem omnium saeculorum veneratione prosequimur.

Quapropter iuris nostri Magister probe distinguit inter labores poenitentisque vitae rationem, quam quisque directe suscipit ut mortem acceleret vitaeque suae iacturam faciat, ac eam qua Sanctitatis atletae alterum nobilissimum finem intendunt, vel proprium scilicet, vel aliorum sanctificationem. Qui primam sectantur merita censura redarguit; qui vero alteram, uti heroica virtute exornatos inclytis laudibus commendat. Quaerit enim « An seclusa intentione sibi mortem inferendi aut vitam abbre» viandi, possit quis licite asperum vitae genus amplecti ob » fidem supernaturalem, ut Deo videlicet inserviat, ut concu» piscentiam fraenet; etsi praevideat illud sibi esse mortem » acceeraturum: » subdit autem « et in hoc vera est theolo» gorum sententia, ea *licite* et *cum merito* fieri posse (1) ».

Verum subdit Censor: videtur ipse *reiecisse pharmaca, sprevisse sollicita medicorum et parentum consilia.* Verbum ipsum *videtur* quo s. Fidei Vindex usus est, plane ostendit quanta sit animadversionis debilitas. Etenim si acta evolvimus, advertimus Dei Famulum medicis praescriptionibus se obsequentissimum exhibuisse, omnia tacens audivit, neque oppositionem fecit. Verum cum accepit ad illud adhibendum sibi opus esse, ut a Sacro litando abstineret; tunc in ea verba prorupit, quae eius amoris fragrantiam ostendunt. Siquidem ipsi dulcius erat Dominum, caeleste hoc pharmacum, suo pectore excipere; quam indictam medicinae methodum cum tanto animae suae detrimento adhibere.

Quis non videt quam eximiam charitatem haec verba redoleant? Hinc si iuxta s. Alphonsi doctrinam, sicuti in hoc ani-

(1) Lib. III. Cap. XXIX. n. 6.

madversionis capite legitur, abeunte mortis periculo (nec tum aderat in dei Famulo: qui cum conscientiae moderatore ipsam Antecessoris domum petivit) non peccat qui ad se mortificandum respuit medicinas; qualis sublimis virtutis actus continetur in adolescente, qui mavult salutari pharmaco privari, quam Panis Coelestis suavissima dape carere?



EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria II die 14 Februarii 1881

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habità in Palatio apostolico vaticano die 14 Februarii 1881 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.

MAMIANI TERENZIO. Confessioni di un Metafisico. Vol. 2. Firenze, G. Barbèra editore, 1865.

— Le Meditazioni Cartesiane rinnovate nel secolo XIX. Vol. 1. Firenze, Successori le Monnier, 1869.

— Compendio e Sintesi della propria Filosofia, ossia Nuovi Prolegomeni ad ogni presente e futura Metafisica. Libro Uno. Stamperia Reale di Torino di G. B. Paravia e Comp., 1876.

TIBERGHIEN G. Professeur à l'Université libre de Bruxelles. Enseignement et Philosophie. Mission de la Philosophie à notre époque. Doctrine de Krause. Le Positivisme et la Méthode d'observation. La Théologie et l'origine du Langage etc. Bruxelles, 1873.

— Psychologie Élémentaire. La Science de l'âme dans les limites de l'observation. Bruxelles, 1879.

Le Boulenger-Vauquelin. Fin de la crise religieuse moderne, ou l'Église Catholique-Romaine adaptée parallèlement aux besoins des âmes viriles et à ceux des âmes-enfants ou mineures. 2.tomes. Vichy, 1879.

La Genesi della Chiesa per Geremia Fiore. Napoli, Stabilimento tipografico Perrotti, 1879. *Decr. S. Off. Fer. IV. die 9 Februarii 1881.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 18 Februarii 1881.

FR. THOMAS Mᴬ. CARD. MARTINELLI Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 22 Februarii 1881 ego infrascriptus Cursor testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Curs. Apost.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS EXTRAORDINARIUM IUBILAEUM INDICITUR

VENERABILIBUS FRATRIBUS

Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis cum Apostolica Sede pacem et communionem habentibus, et dilectis Filiis universis Christi Fidelibus Salutem et Apostolicam Benedictionem.

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres, et dilecti Filii

Militans Iesu Christi Ecclesia, quae hominum generi maxime potest salutem incolumitatemque praestare, tam graviter in hac calamitate temporum exercetur, ut in novas quotidie procellas incurrat, vere comparanda cum Genesarethana illa navicula, quae, dum Christum Dominum eiusque discipulos olim veheret, maximis turbinibus ac fluctibus quatiebatur. Revera qui cum catholico nomine gerunt inimicitias, ii nunc numero, viribus, consiliorum audacia praeter modum insolescunt; neque satis habent doctrinas caelestes palam abdicare, sed summa vi impetuque contendunt, ut Ecclesiam aut omnino a civili hominum consociatione repellant, aut saltem in publica populorum vita nihil posse cogant. Ex quo fit, ut illa in fungendo munere, quod ab Auctore suo divinitus accepit, magnis undique se difficultatibus implicatam ac retardatam sentiat.

Nefariae huius coniurationis acerbissimi fructus in Pontificem Romanum maxime redundant; cui quidem, legitimis iuribus suis deiecto atque in exercendis maximis muneribus multimodis impedito, figura quaedam regiae maiestatis, quasi per ludibrium, relinquitur. Quapropter Nos, divinae providentiae consilio in hoc sacrae pote-

statis fastigio collocati, Ecclesiaeque universae procuratione districti, et iamdiu sentimus et saepe diximus, quantum haec, in quam Nos temporum vices compulerunt, aspera sit et calamitosa conditio. Commemorare singula nolumus: verumtamen manifesta sunt omnibus quae in hac Urbe Nostra plures iam annos geruntur. — Hic enim in ipso catholicae veritatis centro sanctitati religionis illuditur, et dignitas Apostolicae Sedis laeditur, et in crebras profligatorum hominum iniurias pontificia maiestas obiicitur. — Erepta potestati Nostrae plura sunt, quae Decessores Nostri pie liberaliterque instituerant, ac successoribus suis inviolate servanda transmiserant; neque temperatum est, quin iura laederentur sacri *Instituti christiano nomini propagando*: quod quidem non de religione solum, sed etiam de humanitate gentium praeclare meritum, nulla unquam vis superiorum temporum violaverat. — Templa catholici ritus clausa vel profanata non pauca, haeretici ritus multiplicata: doctrinarum pravitas scribendo agendoque impune diffusa. — Qui rerum summa potiti sunt, dant saepe operam constituendis legibus in Ecclesiam nomenque catholicum iniuriosis: idque in conspectu Nostro, quorum curae omnes ex Dei ipsius mandato vigilare in eo debent, ut christiana res incolumis et Ecclesiae iura salva sint. — Nullo autem respectu ad illam, quae est in Romano Pontifice, docendi potestatem, ab ipsa institutione iuventutis auctoritatem Nostram intercludunt: ac si Nobis est permissum, quod nulli privatorum interdicitur, in institutionem adolescentium scholas sumptibus Nostris aperire, in eas ipsas legum civilium vis et severitas invadit. — Quarum rerum funesto spectaculo multo vehementius commovemur, quod succurrendi facultas, quam maxime optaremus, Nobis non suppetit. In potestate enim sumus verius inimicorum quam Nostra: atque illa ipsa, quae Nobis conceditur, usura libertatis, cum eripi aut imminui alieno possit arbitrio, certum non habet stabilitatis constantiaeque firmamentum.

Interea quotidiano rerum usu manifestum est, malorum contagionem [illegible] christianae reipublicae corpus, et ad plures propagari. [illegible] Ecclesia gentes in miseriis [illegible] extincta aut [illegible] quidam [illegible] Dei vi[illegible] contempta, per[illegible] iam vali[illegible] aut ar-

dorem dementis libertatis in multitudine coercere. — Atque his de causis civilis hominum societas, etsi magnas iam calamitates suscepit, maiorum tamen periculorum suspicione terretur.

Quo igitur Ecclesia queat inimicorum conatus refutare, suumque munus, utilitatis omnium caussa, perficere, multum laboret necesse est, multumque contendat. In hoc autem certamine vehementi et vario, in quo et divina agitur gloria, et de salute animorum sempiterna dimicatur, frustra esset omnis hominum virtus et industria, nisi caelestia adiumenta suppeditarentur opportuna temporibus. — Quare in trepidis afflictisque christiani nominis rebus, hoc semper laborum ac sollicitudinum perfugium esse consuevit, summis precibus a Deo postulare, ut opitularetur laboranti Ecclesiae suae, impertiretque depugnandi virtutem, triumphandi potestatem.—Hunc igitur Nos praeclarum morem disciplinamque maiorum imitati, cum probe intelligamus, tanto Deum magis esse exorabilem, quanto in hominibus maior est vis poenitendi, gratiaeque cum eo reconciliandae voluntas, idcirco, caelestis praesidii impetrandi atque animorum iuvandorum caussa, sacrum Iubilaeum extra ordinem catholico orbi per has Litteras Nostras indicimus.

Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis et singulis utriusque sexus Christifidelibus plenissimam peccatorum omnium indulgentiam, ad instar generalis Iubilaei, concedimus, si modo effecerint, qui in Europa agunt, a proximo die 19 huius mensis Martii, sacro ob memoriam sancti Iosephi beatae Mariae Virginis Sponsi, ad diem primum Novembris, solemnem ob memoriam caelitum universorum inclusive; qui vero extra Europam, ab eodem proximo die 19 huius mensis Martii usque ad postremum diem labentis anni MDCCCLXXXI inclusive, quae infra praecepta sunt: scilicet quotquot sunt Romae cives vel hospites Basilicam Lateranensem, item Vaticanam et Liberianam bis adeant, ibique per aliquod temporis spatium pro catholicae Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro extirpatione haeresum omniumque errantium conversione, pro christianorum Principum concordia ac totius fidelis populi pace et unitate, secundum mentem Nostram pias ad Deum preces effundant; iidem uno die esurialibus tantum cibis utentes ieiunent, praeter dies in quadragesimali indulto non comprehensos, aut alias simili stricti iuris ieiunio ex praecepto Ecclesiae consecratos, praeterea peccata sua rite confessi sanctissimum

Eucharistiae sacramentum suscipiant, atque eleemosynae nomine in pium aliquod opus quidquam conferant. Qua de re ea Instituta nominatim commemoramus, quorum tuitionem charitati Christianorum haud ita pridem per Litteras commendavimus, nimirum *Propagationem Fidei, sacram Iesu Christi Infantiam* et *Scholas Orientis*: quas quidem in remotis etiam et silvestribus plagis instituere et provehere, ut pares necessitatibus sint, optatissimum Nobis destinatumque in animo est. — Ceteri vero omnes extra Urbem ubicumque degentes tria templa ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis seu Officialibus, aut de eorum mandato et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent designanda, his, vel si duo tantum sint templa, ter, aut si unum, sexies, dicto temporis intervallo, adeant: item alia opera, quae supra commemorata sunt, peragant. — Quam indulgentiam etiam animabus, quae Deo in charitate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari posse volumus. — Praeterea locorum Ordinariis indulgemus, ut Capitulis et Congregationibus tam saecularium quam regularium, sodalitatibus, confraternitatibus, universitatibus, seu collegiis quibuscumque memoratas Ecelesias processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum pro suo prudenti arbitrio reducere queant.

Concedimus vero, ut navigantes et iter agentes, ubi ad sua domicilia, seu alio ad certam stationem sese receperint, visitata sexies Ecclesia maiore aut parochiali, ceterisque operibus, quae supra praescripta sunt, rite peractis, eamdem indulgentiam consequi possint. — Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis, saecularibus vel regularibus, qui carcere, infirmitate corporis, aut alia qualibet iusta caussa impediantur quominus memorata opera, vel eorum aliqua praestent, concedimus atque indulgemus, ut ea Confessarius in alia pietatis opera commutare possit, vel in aliud proximum tempus prorogare, facta etiam potestate dispensandi super Communione cum pueris nondum ad primam Communionem admissis.

Insuper universis et singulis Christifidelibus, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus ac regularibus cuiusvis Ordinis et Instituti etiam specialiter nominandi, facultatem concedimus, ut sibi ad h[illegible] eligere possint quemcumque presbyterum Confessa[illegible]ularem quam regularem ex actu approbatis; qua fa[illegible]nt etiam Moniales, Novitiae, aliaeque mulieres in

tra claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus sit pro Monialibus. — Confessarius autem, hac occasione et durante huius Iubilaei tempore tantum, omnes illas ipsissimas facultates largimur, quae a Nobis tributae fuere in alio Iubilaeo concesso per Nostras Litteras Apostolicas datas die xv mensis Februarii anno MDCCCLXXIX, quae incipiunt « *Pontifices Maximi* », iis tamen omnibus semper exceptis, quae in iisdem litteris a Nobis excepta fuere.

Quo autem fructus salutares, qui Nobis propositi sunt, ex hoc sacro Iubilaeo tutius atque uberius percipiantur, hoc magnopere studeant universi, ut magnam Dei Matrem praecipuo per id tempus obsequio cultuque demereantur. — Ipsum autem sacrum Iubilaeum in tutelam fidemque tradimus ac commendamus sancto Iosepho, castissimo beatae Virginis Mariae Sponso, quem gloriosae recordationis Pius IX P. M. totius Ecclesiae Patronum declaravit, et cuius opem suppliciter quotidie implorari ab omnibus Christi fidelibus optamus. — Praeterea cunctos hortamur, ut peregrinationes suscipere pietatis caussa velint ad sanctorum caelitum aedes, quae peculiari religione in variis regionibus sanctae ac venerabiles haberi consueverint: quas inter in Italia praestat sacrosancta Virginis Mariae Lauretanae domus, quam altissimorum mysteriorum memoria commendat.

Quapropter in virtute sanctae obedientiae praecipimus atque mandamus omnibus et singulis Ordinariis locorum, eorumque Vicariis et Officialibus, vel ipsis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum praesentium Litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa in sua quisque ditione publicanda curent, populisque etiam verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis, Ecclesiam seu Ecclesias visitandas ut supra designent.

Ut autem praesentes Litterae, quae ad singula loca deferri nequeunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut praesentium transumptis vel exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo munitis personae in dignitate ecclesiastica constitutae, ubicumque locorum eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris die XII Martii A. MDCCCLXXXI, Pontificatus Nostri anno Quarto.

LEO PP. XIII.

vita ad nos usque descendit, ac tam diuturnam aetatem integra complectitur. Cum enim homines senio iam graves qui attestationes ediderunt, roseis adolescentiae floribus ornarentur ; adhuc superstites erant beatus Ioannes Baptista De Rubeis , Sotius, Vasellius aliique , qui Dei Famuli coaevi eximias eius virtutes scriptis ornatissimis posterorum memoriae commiserunt.

Verum quaerit etiam Censor utrum hoc sanctitatis nomen ortum sit ex probabilibus causis ; idest fundetur praecipue in virtutum heroicarum exercitio. Id autem ut impetat , advertit ex testibus, qui coram iudicibus deposuere , alios hanc quaestionem praetermisisse ; alios professos esse se nihil ad rem cognoscere, quod testarentur. Si qui vero quaedam facta ad rem pertinentia explanaverint, se retulisse tantummodo ad ea, quae in beati Ioannis Baptistae de Rubeis attestatione exornata inveniuntur. Verum eadem redit defensionis ratio. Concedimus enim quosdam ex testibus nullum hac in re emisisse iudicium. Num omnibus eadem fuit testandi causa ? Num testibus in themate praecipuum demonstrationis pondus commissum est ? Quin imo, ipsa attestatio b. Ioannis Baptistae de Rubeis, ad quam, Censore fatente, quidam ex testibus appellant, non sat est ad legitimam famae originem demostrandam ? Haec iam censoriam adversionem penitus everterent ; attamen multa quae in re testes edicunt , multa quae ex caeteris documentis exurgunt , clare evincunt, non scientiae laudem aut humanae alicuius virtutis excellentiam, sed intemeratae sanctimoniae splendorem, tantam pio iuveni hominum celebritatem comparavisse. Ex quo factum est, ut probe in hac fama eluxerit, quod postremo loco requirit iuris nostri Praeceptor , uti scilicet Dei Famuli *a fidelibus in suis necessitatibus invocentur , et plurium graviorum virorum iudicio digni existimentur, ut per Sedem Apostolicam referantur in Album Beatorum vel Sanctorum*. Quid enim ? Id probant egregiae laudes, quas Andreae virtutibus viri gravissimi omni aetate tribuerunt, id imagines ac reliquiae summo ardore a fidelibus expetitae , uti pretiosa sanctorum lipsana domibus asservatae, id frequentia populi ad invisendos pretiosos iuvenis cineres , id concepta validissimae ipsius intercessionis fiducia ; id demum innumerae gratiae quae Dei Famulo adprecatore a Domino referuntur acceptae.

Ut dilueretur obiectio promotoris Fidei exhibens Dei Famulum veluti iuvenem timidi ac tardioris ingenii ; sui mode-

ratoris lateri perpetuo adhaerentem, ingenuum quidem et pium; sed expertem perfecta virtute, eâque animi virilitate quae fortes efficit, et ad ardua capessenda disponit ait: sat est in angelicam iuvenis vitam attentos oculos convertere, ut appareat iuvenem egregiis mentis ingeniique dotibus exornatum fuisse. Quapropter dum veluti filius amantissimus moderatoris sui mandatis consiliisque obsequebatur, et propriae veluti voluntatis expers, alienae subditus erat; eximium praebuit heroicae illius humilitatis exemplum, qua ut memorat b. Ioannes Baptista de Rubeis, *amabat nesciri et pro nihilo reputari*. At sacerdotio initiatus, quodnam ingenii acumen heroicae charitati coniunctum ostendit, dum tam uberrimo aeternae salutis fructu concreditis sibi ecclesiastici ministerii partibus satisfecit? Quid dicam de aegris puerisque, qui in s. Gallicani nosocomio degebant?

Nullam redolere labem praesumptionis et vanae captandae gloriae verba Servi Dei certum est. Nam etiam cum dicit se nolle peccata propria cum illis confessoris mutare, quis non videt quantam animi simplicitatem ac morum innocentiam haec verba redoleant? Quis poterat, quaeso, meliori ratione humillimam pii iuvenis animam agnoscere, quam qui eius spiritualis pater atque illibati candoris custos fuerat? At quod factum conscientiae moderator uti angelicae simplicitatis argumentum posterorum memoriae transmittit, in eo Censor insitae existimationis iudicium invenit?

In obiectione, quae heroicam S. D. spem respicit, notat defensor, censorem adiecisse verbum *serio* dum pii iuvenis verba referret dicentis *si sanari vellem*..... Quisquis autem videt quanta inter utramque locutionem reperiatur dissimilitudo, abraso enim illo adverbio *serio* quaevis praesumptionis species, si quae aderat, vanescit. Quid itaque Dei Famulus his verbis expressit, nisi se fiduciam habere sanitatem obtinendi, si coelestem Patrem de hac gratia rogaret; tamen propter impensam charitatem qua in Deum ferebatur, se malle dissolvi et esse cum Christo? Malebat pius iuvenis vitam amittere, ne vel levissima culpa macularetur; hoc autem desiderium tam caelesti dilectione fragrans, tam perfecta sanctitate fulgens, veluti praesumptionis labe redolens a Censore incusatur?

Tandem censor advertit servum Dei sua agendi ratione sibi mortem accelerasse, nolens *abstinere ab illis laboribus qui ipsi*

detrimento erant, reiecisse pharmaca, et sprevisse sollicita medicorum et parentum consilia! At quoad primum haec est catholicae sanctitatis gloria, ut, qui viri christianae perfectionis semitam percurrunt, ii assiduis poenitentiis carnem macerent impervios suscipiant labores, ut proximorum necessitatibus opitulentur, et mortem ipsam oppetere pro animarum bono alacres hilaresque non dubitent. Qui excelsa hac charitate permotus inclyta gesta aggreditur, vitam ipsam aspernatur; illum nedum quavis vel levissima culpa expertem, sed iure meritoque catholicae fortitudinis heroem omnium saeculorum veneratione prosequimur.

Quapropter iuris nostri Magister probe distinguit inter labores poenitentisque vitae rationem, quam quisque directe suscipit ut mortem acceleret vitaeque suae iacturam faciat, ac eam qua Sanctitatis atletae alterum nobilissimum finem intendunt, vel proprium scilicet, vel aliorum sanctificationem. Qui primam sectantur merita censura redarguit; qui vero alteram, uti heroica virtute exornatos inclytis laudibus commendat. Quaerit enim « An seclusa intentione sibi mortem inferendi aut vitam abbre-» viandi, possit quis licite asperum vitae genus amplecti ob » fidem supernaturalem, ut Deo videlicet inserviat, ut concu-» piscentiam fraenet; etsi praevideat illud sibi esse mortem » acceeraturum: » subdit autem « et in hoc vera est theolo-» gorum sententia, ea *licite* et *cum merito* fieri posse (1) ».

Verum subdit Censor: videtur ipse *reiecisse pharmaca, sprevisse sollicita medicorum et parentum consilia.* Verbum ipsum *videtur* quo s. Fidei Vindex usus est, plane ostendit quanta sit animadversionis debilitas. Etenim si acta evolvimus, advertimus Dei Famulum medicis praescriptionibus se obsequentissimum exhibuisse, omnia tacens audivit, neque oppositionem fecit. Verum cum accepit ad illud adhibendum sibi opus esse, ut a Sacro litando abstineret; tunc in ea verba prorupit, quae eius amoris fragrantiam ostendunt. Siquidem ipsi dulcius erat Dominum, caeleste hoc pharmacum, suo pectore excipere; quam indictam medicinae methodum cum tanto animae suae detrimento adhibere.

Quis non videt quam eximiam charitatem haec verba redoleant? Hinc si iuxta s. Alphonsi doctrinam, sicuti in hoc ani-

(1) Lib. III. Cap. XXIX. n. 6.

madversionis capite legitur, abeunte mortis periculo (nec tum aderat in dei Famulo: qui cum conscientiae moderatore ipsam Antecessoris domum petivit) non peccat qui ad se mortificandum respuit medicinas; qualis sublimis virtutis actus continetur in adolescente, qui mavult salutari pharmaco privari, quam Panis Coelestis suavissima dape carere?



EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria II die 14 Februarii 1881

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habitâ in Palatio apostolico vaticano die 14 Februarii 1881 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.

MAMIANI TERENZIO. Confessioni di un Metafisico. Vol. 2. Firenze, G. Barbèra editore, 1865.

— Le Meditazioni Cartesiane rinnovate nel secolo XIX. Vol. 1. Firenze, Successori le Monnier, 1869.

— Compendio e Sintesi della propria Filosofia, ossia Nuovi Prolegomeni ad ogni presente e futura Metafisica. Libro Uno. Stamperia Reale di Torino di G. B. Paravia e Comp., 1876.

TIBERGHIEN G. Professeur à l'Université libre de Bruxelles. Enseignement et Philosophie. Mission de la Philosophie à notre époque. Doctrine de Krause. Le Positivisme et la Méthode d'observation. La Théologie et l'origine du Langage etc. Bruxelles, 1873.

— Psychologie Élémentaire. La Science de l'âme dans les limites de l'observation. Bruxelles, 1879.

Ast nimis fidenti animo s. Fidei Vindex asseruit nobis incertum esse, cur id acciderit. Etenim ex processualibus actis constat tantummodo necessariae pecuniae defectu hanc causam fuisse intermissam, animo tamen eam ad exitum perducendi vix uberiora media postulatorum solertiâ colligerentur.

Etenim certum est, nullum umquam impedimentum, nullam haesitationem in Causae actoribus insurrexisse, quin imo tantum succrevisse angelici iuvenis sanctimoniae famam, ut inter ipsas temporum difficultates civilesque perturbationes, numquam spectatissimi sacerdotes in causae huius iuribus tuendis defecerint. Quapropter, amissis misero infortunio incaeptae inquisitionis actis, animo non desponderunt, sed nullis laboribus ignoscentes, obtinuerunt ut nova ordinaria inquisitio perageretur. Verum subdit Censor, tunc novas processuales tabulas exordium habuisse, cum nullus *neque de visu, neque de auditu a videntibus testis sperari poterat;* at quomodo nobis culpae vertere potest si subsidiariis probationibus utimur, postquam deperdita sunt acta quae in Curia asservabantur, et opus fuit, ut post tam diuturnum tempus altera Ordinaria Inquisitio susciperetur?

Verum in re nostra obiurgat Censor tum Postulatoris, tum Iudicum agendi rationem, qui inter vel inductos, vel ex officio accitos testes non alios viros elegerint, nisi aut Sacerdotes ad eumdem pium coetum pertinentes, cui Dei Famulus adscriptus erat; aut *Sanctimoniales Virgines s. Caeciliae, in cuius templo eius corpus requiescit et aeditui munus eiusdem parentes exercuerunt.* At frustra conatus fuisset praeclarissimos hos viros in suspicionis crimen adducere. Siquidem optime vir expertissimus noscit iuxta Magistri nostri normas ac receptam huius fori consuetudinem, eos, qui cum Dei Famulo de quo iudicium agitur vel necessitudinis vel familiaritatis vinculo coniuncti erant, nedum a testimonio ferendo non impediri, quin immo primos ordine admitti. Etenim hae duae tantummodo conditiones in testibus requiruntur; probitas et scientia. Qui vero inter testes scientiae dotibus commendabiliores, quam qui eadem cum Servo Dei charitatis opera communia habuere, vel ipsius domi finitimi sacros eiusdem cineres possident?

Et quoad moniales quaenam melius poterunt traditionis anteactae aetatis testes esse, quam Virgines illae, in quarum ecclesia adolescens noster inter roseos pueritiae flores prima dedit angelicae pietatis exempla, primas extulit preces, ante virgineas

aras primas illibati cordis delicias effudit? Quam virgines illae sub cuius umbra coenobii, quasi prope electissimum virtutum coelestium viridarium, Dei Famulus nitidissima sanctimoniae luce refulsit, transegit intemeratum suae vitae curriculum, terrenum hoc exilium cum aeternis coelestis beatitatis gaudiis commutavit? Virgines denique illae, quae insontis iuvenis reliquiarum custodes optime intueri poterant, quot inter fideles ad veneratum tumulum accederent, ante pretiosos cineres in rerum humanarum angustiis, in corporum languoribus fidentes preces funderent, voti compotes effecti grata cordis vota depromerent? Desinat itaque Censor Sanctimonialium testimonium uti minus idoneum impetere!

Remanent Sacerdotes ad s. Gallae coetum pertinentes. At miror quidem s. Fidei Vindicem subdere: « Neque tamen Andreas aliquid in occulto egit, non in claustris vitam duxit, » ideoque eius consuetudines, mores, agendique ratio omnibus » perspecta et explorata fuere. » Etenim liceat me virum expertissimum ita compellare, eiusque retorquere argumentum. Num, Censor optime, Sacerdotes e coetu s. Gallae, qui huius Urbis beneficio sedulam piis operibus operam navant, in occulto aliquid agunt, vel in claustris vitam degunt, ut non possint alicuius servi Dei consuetudines, mores, agendique rationem agnoscere, ac de eius sanctitatis fama testari? Nonne universae civitatis viae notae sunt, atque ex proprii officii rationibus cum omnibus cuiuscumque coetus, conditionis, sexus, hominibus conversantur; ad permultas easque clarissimas urbis familias pertinent? Quin imo iidem Sacerdotes, qui, donec piis sanctae Gallae operibus interveniunt, unum coetum constituunt, iis absolutis, pro munerum diversitate hinc inde alias aliasque aggregationes efformant, ad alias societates attinent, distinctis muneribus satisfaciunt.

Tandem non tam facile Censori concederem, quotquot examinati sunt testes, eos, nemine excepto, vel ad Sanctimoniales monasterii s. Caeciliae, vel ad Sacerdotes e pio s. Gallae coetu pertinere cum alii quamplures adsint testes. Verum converso agmine ad collectarum depositionum pondus transit solers Fidei Vindex, ac quod, fere nil prorsus testes deposuerint, poetico quodam imaginationis impetu abreptus autumat. Non quidem ii sumus, qui dicimus, examinatos in hac causa testes plenam ac numeris omnibus absolutam probationem constitue-

re. Quin imo apprime fatemur eos, quoad intemeratam iuvenis vitam virtutumque nitorem non multa potuisse deponere, nec omnia peculiaria facta referre. Nec aliud expectari poterat, si advertatur haud exiguum annorum cursum Dei Famuli obitum ab alterius huius Ordinariae inquisitionis exordio seiungere. Hinc, ne probationis vis haud ulla ex parte deficeret, adiecimus inclyta facta a veteribus documentis, ab antiquiis commentariis ac edita Dei Famuli vita deprompta.

Verum etsi testes dicant se praefata documenta legisse, tamen non hanc unam scientiae causam afferunt; sed, uti ex primo summarii titulo descendit, traditionem praesertim appellant, quae a patribus in filios haud interrupta tam diuturni temporis serie fulgentior propagata est. Quamobrem testes non vitam a Ioanne Sotio conscriptam, aut vulgatam b. Ioannis Baptistae De Rubeis testificationem, uti unicum scientiae fontem exhibent, sed ad veterem praesertim traditionem, eamque haud interrupto annorum cursu a patribus in filios usque vigentem appellant.

Ex testibus ad documenta pertransit Censor solertissimus. Prae primis autem non inficiamur, ea utpote antiquitate et pondere praestantissima, nisi unicam, quam maximam tamen probationis nostrae partem constituere. Verum eorumdem auctoritatem haud uno ex capite impetit s. Fidei Vindex; primo autem observat, eam, subsidiaria cum sit, nonnisi in antiquis causis ex benigna quadam iuris concessione admitti *cum coeteroquin per documenta manuscripta, vel per historias, neque plena, neque directa probatio iuridice exhiberi possit.* Verum ad primum quod attinet, si haec probatio in antiquis causis admittitur, iam iure agimus; neque intelligere datum est, qua ratione Censor eam in themate excludat. Utimur enim benigna concessione, quam nobis ius concedit et s. Fidei Vindex auferre nequit. Forsan contendet hanc causam antiquam non esse? Verum iuxta Praeceptoris nostri doctrinam in iis causis subsidiaria haec probatio admittitur *in quibus propter temporis antiquitatem testes de visu haberi non potuerant.* Quomodo autem testes de visu haberi potuissent in re nostra, in qua iam alterius saeculi dimidium a pretioso Dei Famuli obitu nos dividit?

Ad alterum autem quod spectat, Praeceptoris nostri auctoritati innixus subdit Censor, per documenta manuscripta, vel per historicos neque plenam, neque directam probationem iuridice exhiberi posse. At Benedictus XIV cum tradit documenta

manuscripta, et historicos directae probationis partes non substinere, loquitur de causis coaevis, quae procedunt per viam non cultus; in iis enim directae probationis onus testes substinent; documenta autem historica testificationesque extraiudiciales nonnisi adminiculi vim praeferunt (1).

At alia est Magistri nostri mens, cum sermo sit de casu excepto, vel de antiquis causis per viam non cultus procedentibus. Siquidem tantummodo miracula nequeunt per historica documenta demonstrari; in virtutum autem aut sanctimoniae nomine nil vetat quominus historiae ad plenam probationem adducantur. En praeceptoris nostri verba « Regula generalis sit » in nullo casu miracula probari posse per solas historias et » chronicas; item virtutes et martyrium iuxta modum mox » explicandum consimilibus monumentis probari posse in causis » procedentibus per viam casus excepti vel in causis in quibus » propter temporis antiquitatem testes de visu haberi non po- » tuerunt et locus est probationi subsidiariae (2). » Etenim subdit: « In causis quippe praedictis fit locus probationi subsidia- » riae, et in linea probationis subsidiariae suum sibi locum vi- » dentur vindicare debere historiae et historica documenta (3)».

Quoad difficultatem a Censore motam circa valorem vitae Servi Dei typis editae, multa respondit defensor. Tandem ait: ita summarie perstringi potest Benedicti XIV doctrina, uti scilicet vita antiqua, dummodo a probato auctore edita, idonea sit ad sanctitatis famae originem demonstrandam, non autem ad id obtinendum sufficiat vita a recenti scriptore exarata: excepto tamen casu, in quo, uti in vita s. Aloysii Gonzaga, haec nedum ab eximiae probitatis auctore sit edita, sed a gravissimis viris examinata et cum venia summi Pontificis ad fidelium aedificationem typis edita. Quapropter quae Censor ex Benedicto XIV profert non ad antiquam, sed ad recentem vitam referuntur, et exceptionem constituunt, qua posita, etiam vita haec a gravi viro edita ad probandam famae originem rite possit adduci.

Iamvero, huius historiae scriptor est Sacerdos Ioannes Sotius, qui eximia morum integritate egregiisque virtutibus exornatus, indefessis sacri Ministerii laboribus intentus, optimam pietatis

(1) Bened. XIV. L. II. C. VIII.
(2) Ibid. loc. cit. §. 1.
(3) Ibid. §. 3.

famam reliquit. Verum non haec satis. Etenim iam innui Censorem optimum immerito de examinis theologorum defectu questus movere. Etenim qui primas editi operis facies evolvat, advertit non prius hanc vitam in lucem venisse, quam duo religiosi viri theologica scientia praestantes eius revisionem peregerint, atque praecesserit de more ecclesiasticae auctoritatis probatio.

Relate ad testationem beati de Rubeis cui innituntur testes complures, defensor Censori respondit: cum Beatus de Rubeis ante Ioannis Andreae Parisii nativitatis diem ortus sit, ac longe post iuvenis sacerdotis obitum vitam protraxerit, testatio haec est documentum Beati, qui de alterius Servi Dei sibi aetate coaevi, atque iisdem sacri ministerii laboribus comitis indefessi, heroicis virtutibus testimonium dicit. Quanta itaque attestationis dignitas ac fides, cum sanctus de sancto testetur!

Attamen quae beatus de Rubeis in hoc documento posterorum memoriae mandavit non sufficiunt Censori optimo, qui subsequitur. « Licet quaedam Ecclesiastico digna viro in hoc » documento praedicentur, haud tamen ita amplam ac numeris » omnibus absolutam viri imaginem exhibent, ut praesens iu- » dicium per illud absolvi possit. » Verum primo advertendum, nos non unum hoc documentum ad iudicium absolvendum attulisse. Adsunt enim testium examina, adsunt virorum scientia ac pietate illustrium testificationes, adsunt commentarii Vasellii manu exarati, ac tandem vita a clarissimo Sotio typis edita. Hinc si de fama sanctitatis post obitum in documento b. de Rubeis sermo non est: de ea loquuntur praecitata monumenta, eamque numquam interruptam ad nos usque pervenisse demonstrant. Quin imo haec eadem Beati de Rubeis testificatio, post Dei Famuli obitum exarata praeclarissimum ex se ipsa argumentum est, pium iuvenem ad superos evectum, eximium virtutum sanctimoniaeque nomen reliquisse.

At verum ne est, quae in hoc documento leguntur eiusmodi esse, ut quaedam tantummodo ecclesiastico viro digna praedicent? Recolendum est beatum Ioannem Baptistam de Rubeis attestationem reliquisse, non historiam; hinc frustra quis in ea requireret adeo graphicam explicitamque singularum vitae actionum descriptionem, prout biographorum est; ac in commentariis Vasellii vel Sotii typis edita vita reperitur. Qui testificationem emittit super cuiusdam Dei Famuli gestis egregiis, nonnisi quaedam ad heroicas eius virtutes pertinentia complectitur.

Attamen quam eximia sunt, quae de iuvene intemerato in hac attestatione leguntur! Sat est in eam oculos convertere, ut pateat quanta inibi, nedum ecclesiastici, sed sancti viri dignissima in ipso sermonis compendio descripta inveniuntur. Etenim ad heroicas integerrimi iuvenis virtutes exornandas, quomodo nitidioribus verbis beatus de Rubeis exordiri potuisset, nisi memorans Dei Famulum, uti iuvenem angelicae puritatis, alterum s. Aloysium Gonzaga et admiratum esse, et caeteris praedicasse?

Ex iis quae huc usque disseruimus nitide descendit omni prorsus fundamento destitutam esse Censoriam adversionem, qua s. Fidei Vindex contendit idoneam probationem in themate deficere. Probe enim novimus Praeceptoris nostri doctrinam esse, eam famae probationem exigi, quae in existimatione et hominum opinione constituitur « de puritate et integritate vitae » et de virtutibus, non utcumque sed per continuatos actus « data occasione exercitos supra communem operandi modum » aliorum proborum virorum aut mulierum » Quin imo prosequitur laudatus Pontifex: ita ut concepta in uno vel pluribus » locis erga eos devotione a plerisque in suis necessitatibus » invocentur et plurium gravissimorum virorum iudicio digni » existimentur, ut per Sedem Apostolicam referantur in album » Beatorum vel Sanctorum (1) ».

His positis, sat est Summarii tabulas evolvere, ut pateat quam eximia sit sanctitatis fama, qua pius iuvenis refulget quaeque ex testibus haud angustis continetur limitibus sed ample patet. Et insuper constat iuvenis nostri Sanctitatis famam, fulgentissimam dum adhuc vitam duceret, auctam fuisse post pretiosum eius obitum, eamque florentem esse nedum penes pium coetum Sacerdotum, qui s. Gallae piis operibus intersunt, sed etiam penes omnes Ecclesiasticos. Hinc nil mirum si pretiosi eius obitus nuntio tota urbs commota fuerit, si abdito egenoque iuveni cum ingenti populi clerique concursu splendida parentalia persoluta fuerint, si omnium una esset vox angelicum quemdam sacerdotem obiisse. Huius autem splendidae famae motores erant quotquot Dei Famulum noverant, vel de egregiis eius virtutibus sermonem acceperant.

Atque ita inclyta angelici iuvenis sanctimoniae fama tot annorum decursu, haud interrupta traditione ab integerrima eius

(1) Lib. II. Cap. XXXIX. §. 7.

vita ad nos usque descendit, ac tam diuturnam aetatem integra complectitur. Cum enim homines senio iam graves qui attestationes ediderunt, roseis adolescentiae floribus ornarentur ; adhuc superstites erant beatus Ioannes Baptista De Rubeis , Sotius, Vasellius aliique , qui Dei Famuli coaevi eximias eius virtutes scriptis ornatissimis posterorum memoriae commiserunt.

Verum quaerit etiam Censor utrum hoc sanctitatis nomen ortum sit ex probabilibus causis ; idest fundetur praecipue in virtutum heroicarum exercitio. Id autem ut impetat , advertit ex testibus, qui coram iudicibus deposuere, alios hanc quaestionem praetermisisse ; alios professos esse se nihil ad rem cognoscere, quod testarentur. Si qui vero quaedam facta ad rem pertinentia explanaverint, se retulisse tantummodo ad ea, quae in beati Ioannis Baptistae de Rubeis attestatione exornata inveniuntur. Verum eadem redit defensionis ratio. Concedimus enim quosdam ex testibus nullum hac in re emisisse iudicium. Num omnibus eadem fuit testandi causa ? Num testibus in themate praecipuum demonstrationis pondus commissum est ? Quin imo, ipsa attestatio b. Ioannis Baptistae de Rubeis, ad quam, Censore fatente, quidam ex testibus appellant, non sat est ad legitimam famae originem demostrandam ? Haec iam censoriam adversionem penitus everterent ; attamen multa quae in re testes edicunt , multa quae ex caeteris documentis exurgunt , clare evincunt, non scientiae laudem aut humanae alicuius virtutis excellentiam, sed intemeratae sanctimoniae splendorem, tantam pio iuveni hominum celebritatem comparavisse. Ex quo factum est, ut probe in hac fama eluxerit, quod postremo loco requirit iuris nostri Praeceptor , uti scilicet Dei Famuli *a fidelibus in suis necessitatibus invocentur , et plurium graviorum virorum iudicio digni existimentur, ut per Sedem Apostolicam referantur in Album Beatorum vel Sanctorum*. Quid enim ? Id probant egregiae laudes, quas Andreae virtutibus viri gravissimi omni aetate tribuerunt, id imagines ac reliquiae summo ardore a fidelibus expetitae , uti pretiosa sanctorum lipsana domibus asservatae, id frequentia populi ad invisendos pretiosos iuvenis cineres , id concepta validissimae ipsius intercessionis fiducia ; id demum innumerae gratiae quae Dei Famulo adprecatore a Domino referuntur acceptae.

Ut dilueretur obiectio promotoris Fidei exhibens Dei Famulum veluti iuvenem timidi ac tardioris ingenii ; sui mode-

ratoris lateri perpetuo adhaerentem, ingenuum quidem et pium; sed expertem perfecta virtute, eâque animi virilitate quae fortes efficit, et ad ardua capessenda disponit ait: sat est in angelicam iuvenis vitam attentos oculos convertere, ut appareat iuvenem egregiis mentis ingeniique dotibus exornatum fuisse. Quapropter dum veluti filius amantissimus moderatoris sui mandatis consiliisque obsequebatur, et propriae veluti voluntatis expers, alienae subditus erat; eximium praebuit heroicae illius humilitatis exemplum, qua ut memorat b. Ioannes Baptista de Rubeis, *amabat nesciri et pro nihilo reputari*. At sacerdotio initiatus, quodnam ingenii acumen heroicae charitati coniunctum ostendit, dum tam uberrimo aeternae salutis fructu concreditis sibi ecclesiastici ministerii partibus satisfecit? Quid dicam de aegris puerisque, qui in s. Gallicani nosocomio degebant?

Nullam redolere labem praesumptionis et vanae captandae gloriae verba Servi Dei certum est. Nam etiam cum dicit se nolle peccata propria cum illis confessoris mutare, quis non videt quantam animi simplicitatem ac morum innocentiam haec verba redoleant? Quis poterat, quaeso, meliori ratione humillimam pii iuvenis animam agnoscere, quam qui eius spiritualis pater atque illibati candoris custos fuerat? At quod factum conscientiae moderator uti angelicae simplicitatis argumentum posterorum memoriae transmittit, in eo Censor insitae existimationis iudicium invenit?

In obiectione, quae heroicam S. D. spem respicit, notat defensor, censorem adiecisse verbum *serio* dum pii iuvenis verba referret dicentis *si sanari vellem.....* Quisquis autem videt quanta inter utramque locutionem reperiatur dissimilitudo, abraso enim illo adverbio *serio* quaevis praesumptionis species, si quae aderat, vanescit. Quid itaque Dei Famulus his verbis expressit, nisi se fiduciam habere sanitatem obtinendi, si coelestem Patrem de hac gratia rogaret; tamen propter impensam charitatem qua in Deum ferebatur, se malle dissolvi et esse cum Christo? Malebat pius iuvenis vitam amittere, ne vel levissima culpa macularetur; hoc autem desiderium tam caelesti dilectione fragrans, tam perfecta sanctitate fulgens, veluti praesumptionis labe redolens a Censore incusatur?

Tandem censor advertit servum Dei sua agendi ratione sibi mortem accelerasse, nolens *abstinere ab illis laboribus qui ipsi*

detrimento erant, reiecisse pharmaca, et sprevisse sollicita medicorum et parentum consilia! At quoad primum haec est catholicae sanctitatis gloria, ut, qui viri christianae perfectionis semitam percurrunt, ii assiduis poenitentiis carnem macerent impervios suscipiant labores, ut proximorum necessitatibus opitulentur, et mortem ipsam oppetere pro animarum bono alacres hilaresque non dubitent. Qui excelsa hac charitate permotus inclyta gesta aggreditur, vitam ipsam aspernatur; illum nedum quavis vel levissima culpa expertem, sed iure meritoque catholicae fortitudinis heroem omnium saeculorum veneratione prosequimur.

Quapropter iuris nostri Magister probe distinguit inter labores poenitentisque vitae rationem, quam quisque directe suscipit ut mortem acceleret vitaeque suae iacturam faciat, ac eam qua Sanctitatis atletae alterum nobilissimum finem intendunt, vel proprium scilicet, vel aliorum sanctificationem. Qui primam sectantur merita censura redarguit; qui vero alteram, uti heroica virtute exornatos inclytis laudibus commendat. Quaerit enim « An seclusa intentione sibi mortem inferendi aut vitam abbre» viandi, possit quis licite asperum vitae genus amplecti ob » fidem supernaturalem, ut Deo videlicet inserviat, ut concu» piscentiam fraenet; etsi praevideat illud sibi esse mortem » acceeraturum: » subdit autem « et in hoc vera est theolo» gorum sententia, ea *licite* et *cum merito* fieri posse (1) ».

Verum subdit Censor: videtur ipse *reiecisse pharmaca, sprevisse sollicita medicorum et parentum consilia.* Verbum ipsum *videtur* quo s. Fidei Vindex usus est, plane ostendit quanta sit animadversionis debilitas. Etenim si acta evolvimus, advertimus Dei Famulum medicis praescriptionibus se obsequentissimum exhibuisse, omnia tacens audivit, neque oppositionem fecit. Verum cum accepit ad illud adhibendum sibi opus esse, ut a Sacro litando abstineret; tunc in ea verba prorupit, quae eius amoris fragrantiam ostendunt. Siquidem ipsi dulcius erat Dominum, caeleste hoc pharmacum, suo pectore excipere; quam indictam medicinae methodum cum tanto animae suae detrimento adhibere.

Quis non videt quam eximiam charitatem haec verba redoleant? Hinc si iuxta s. Alphonsi doctrinam, sicuti in hoc ani-

(1) Lib. III. Cap. XXIX. n. 6.

madversionis capite legitur, abeunte mortis periculo (nec tum aderat in dei Famulo: qui cum conscientiae moderatore ipsam Antecessoris domum petivit) non peccat qui ad se mortificandum respuit medicinas; qualis sublimis virtutis actus continetur in adolescente, qui mavult salutari pharmaco privari, quam Panis Coelestis suavissima dape carere?



EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria II die 14 Februarii 1881

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 14 Februarii 1881 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.

MAMIANI TERENZIO. Confessioni di un Metafisico. Vol. 2. Firenze, G. Barbèra editore, 1865.

— Le Meditazioni Cartesiane rinnovate nel secolo XIX. Vol. 1. Firenze, Successori le Monnier, 1869.

— Compendio e Sintesi della propria Filosofia, ossia Nuovi Prolegomeni ad ogni presente e futura Metafisica. Libro Uno. Stamperia Reale di Torino di G. B. Paravia e Comp., 1876.

TIBERGHIEN G. Professeur à l'Université libre de Bruxelles. Enseignement et Philosophie. Mission de la Philosophie à notre époque. Doctrine de Krause. Le Positivisme et la Méthode d'observation. La Théologie et l'origine du Langage etc. Bruxelles, 1873.

— Psychologie Élémentaire. La Science de l'âme dans les limites de l'observation. Bruxelles, 1879.

LE BOULENGER-VAUQUELIN. Fin de la crise religieuse moderne, ou l'Église Catholique-Romaine adaptée parallèlement aux besoins des âmes viriles et à ceux des âmes-enfants ou mineures. 2.tomes. Vichy, 1879.

La Genesi della Chiesa per Geremia Fiore. Napoli, Stabilimento tipografico Perrotti, 1879. *Decr. S. Off. Fer. IV. die 9 Februarii 1881.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 18 Februarii 1881.

FR. THOMAS Mᴬ. CARD. MARTINELLI Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 22 Februarii 1881 ego infrascriptus Cursor testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Curs. Apost.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS EXTRAORDINARIUM IUBILAEUM INDICITUR

VENERABILIBUS FRATRIBUS

Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis cum Apostolica Sede pacem et communionem habentibus, et dilectis Filiis universis Christi Fidelibus Salutem et Apostolicam Benedictionem.

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres, et dilecti Filii

Militans Iesu Christi Ecclesia, quae hominum generi maxime potest salutem incolumitatemque praestare, tam graviter in hac calamitate temporum exercetur, ut in novas quotidie procellas incurrat, vere comparanda cum Genesarethana illa navicula, quae, dum Christum Dominum eiusque discipulos olim veheret, maximis turbinibus ac fluctibus quatiebatur. Revera qui cum catholico nomine gerunt inimicitias, ii nunc numero, viribus, consiliorum audacia praeter modum insolescunt; neque satis habent doctrinas caelestes palam abdicare, sed summa vi impetuque contendunt, ut Ecclesiam aut omnino a civili hominum consociatione repellant, aut saltem in publica populorum vita nihil posse cogant. Ex quo fit, ut illa in fungendo munere, quod ab Auctore suo divinitus accepit, magnis undique se difficultatibus implicatam ac retardatam sentiat.

Nefariae huius coniurationis acerbissimi fructus in Pontificem Romanum maxime redundant; cui quidem, legitimis iuribus suis deiecto atque in exercendis maximis muneribus multimodis impedito, figura quaedam regiae maiestatis, quasi per ludibrium, relinquitur. Quapropter Nos, divinae providentiae consilio in hoc sacrae pote-

statis fastigio collocati, Ecclesiaeque universae procuratione districti, et iamdiu sentimus et saepe diximus, quantum haec, in quam Nos temporum vices compulerunt, aspera sit et calamitosa conditio. Commemorare singula nolumus: verumtamen manifesta sunt omnibus quae in hac Urbe Nostra plures iam annos geruntur. — Hic enim in ipso catholicae veritatis centro sanctitati religionis illuditur, et dignitas Apostolicae Sedis laeditur, et in crebras profligatorum hominum iniurias pontificia maiestas obiicitur. — Erepta potestati Nostrae plura sunt, quae Decessores Nostri pie liberaliterque instituerant, ac successoribus suis inviolate servanda transmiserant; neque temperatum est, quin iura laederentur sacri *Instituti christiano nomini propagando:* quod quidem non de religione solum, sed etiam de humanitate gentium praeclare meritum, nulla unquam vis superiorum temporum violaverat. — Templa catholici ritus clausa vel profanata non pauca, haeretici ritus multiplicata; doctrinarum pravitas scribendo agendoque impune diffusa. — Qui rerum summa potiti sunt, dant saepe operam constituendis legibus in Ecclesiam nomenque catholicum iniuriosis: idque in conspectu Nostro, quorum curae omnes ex Dei ipsius mandato vigilare in eo debent, ut christiana res incolumis et Ecclesiae iura salva sint. — Nullo autem respectu ad illam, quae est in Romano Pontifice, docendi potestatem, ab ipsa institutione iuventutis auctoritatem Nostram intercludunt; ac si Nobis est permissum, quod nulli privatorum interdicitur, in institutionem adolescentium scholas sumptibus Nostris aperire, in eas ipsas legum civilium vis et severitas invadit. — Quarum rerum funesto spectaculo multo vehementius commovemur, quod succurrendi facultas, quam maxime optaremus, Nobis non suppetit. In potestate enim sumus verius inimicorum quam Nostra; atque illa ipsa, quae Nobis conceditur, usura libertatis, cum eripi aut imminui alieno possit arbitrio, certum non habet stabilitatis constantiaeque firmamentum.

Interea quotidiano rerum usu manifestum est, malorum contagionem magis magisque serpere per reliquum christianae reipublicae corpus, et ad plures propagari. Etenim aversae ab Ecclesia gentes in miserias incidunt quotidie maiores; atque ubi semel extincta aut debilitata fides catholica sit, finitimum est iter ad opinionum insaniam rerumque novarum cupiditatem. Eius autem, qui Dei vices in terris gerit, maxima et nobilissima potestate contempta, perspicuum est, nullos hominum auctoritati frenos superesse tam validos, qui possint indomitos perduellium spiritus compescere, aut ar-

dorem dementis libertatis in multitudine coercere. — Atque his de causis civilis hominum societas, etsi magnas iam calamitates suscepit, maiorum tamen periculorum suspicione terretur.

Quo igitur Ecclesia queat inimicorum conatus refutare, suumque munus, utilitatis omnium caussa, perficere, multum laboret necesse est, multumque contendat. In hoc autem certamine vehementi et vario, in quo et divina agitur gloria, et de salute animorum sempiterna dimicatur, frustra esset omnis hominum virtus et industria, nisi caelestia adiumenta suppeditarentur opportuna temporibus. — Quare in trepidis afflictisque christiani nominis rebus, hoc semper laborum ac sollicitudinum perfugium esse consuevit, summis precibus a Deo postulare, ut opitularetur laboranti Ecclesiae suae, impertiretque depugnandi virtutem, triumphandi potestatem.—Hunc igitur Nos praeclarum morem disciplinamque maiorum imitati, cum probe intelligamus, tanto Deum magis esse exorabilem, quanto in hominibus maior est vis poenitendi, gratiaeque cum eo reconciliandae voluntas, idcirco, caelestis praesidii impetrandi atque animorum iuvandorum caussa, sacrum Iubilaeum extra ordinem catholico orbi per has Litteras Nostras indicimus.

Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis et singulis utriusque sexus Christifidelibus plenissimam peccatorum omnium indulgentiam, ad instar generalis Iubilaei, concedimus, si modo effecerint, qui in Europa agunt, a proximo die 19 huius mensis Martii, sacro ob memoriam sancti Iosephi beatae Mariae Virginis Sponsi, ad diem primum Novembris, solemnem ob memoriam caelitum universorum inclusive; qui vero extra Europam, ab eodem proximo die 19 huius mensis Martii usque ad postremum diem labentis anni MDCCCLXXXI inclusive, quae infra praecepta sunt: scilicet quotquot sunt Romae cives vel hospites Basilicam Lateranensem, item Vaticanam et Liberianam bis adeant, ibique per aliquod temporis spatium pro catholicae Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro extirpatione haeresum omniumque errantium conversione, pro christianorum Principum concordia ac totius fidelis populi pace et unitate, secundum mentem Nostram pias ad Deum preces effundant; iidem uno die esurialibus tantum cibis utentes ieiunent, praeter dies in quadragesimali indulto non comprehensos, aut alias simili stricti iuris ieiunio ex praecepto Ecclesiae consecratos, praeterea peccata sua rite confessi sanctissimum

Eucharistiae sacramentum suscipiant, atque eleemosynae nomine in pium aliquod opus quidquam conferant. Qua de re ea Instituta nominatim commemoramus, quorum tuitionem charitati Christianorum haud ita pridem per Litteras commendavimas, nimirum *Propagationem Fidei, sacram Iesu Christi Infantiam* et *Scholas Orientis;* quas quidem in remotis etiam et silvestribus plagis instituere et provehere, ut pares necessitatibus sint, optatissimum Nobis destinatumque in animo est. — Ceteri vero omnes extra Urbem ubicumque degentes tria templa ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis seu Officialibus, aut de eorum mandato et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent designanda, bis, vel si duo tantum sint templa, ter, aut si unum, sexies, dicto temporis intervallo, adeant; item alia opera, quae supra commemorata sunt, peragant. — Quam indulgentiam etiam animabus, quae Deo in charitate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari posse volumus. — Praeterea locorum Ordinariis indulgemus, ut Capitulis et Congregationibus tam saecularium quam regularium, sodalitatibus, confraternitatibus, universitatibus, seu collegiis quibuscumque memoratas Ecelesias processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum pro suo prudenti arbitrio reducere queant.

Concedimus vero, ut navigantes et iter agentes, ubi ad sua domicilia, seu alio ad certam stationem sese receperint, visitata sexies Ecclesia maiore aut parochiali, ceterisque operibus, quae supra praescripta sunt, rite peractis, eamdem indulgentiam consequi possint. — Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis, saecularibus vel regularibus, qui carcere, infirmitate corporis, aut alia qualibet iusta caussa impediantur quominus memorata opera, vel eorum aliqua praestent, concedimus atque indulgemus, ut ea Confessarius in alia pietatis opera commutare possit, vel in aliud proximum tempus prorogare, facta etiam potestate dispensandi super Communione cum pueris nondum ad primam Communionem admissis.

Insuper universis et singulis Christifidelibus, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus ac regularibus cuiusvis Ordinis et Instituti etiam specialiter nominandi, facultatem concedimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum Confessarium tam saecularem quam regularem ex actu approbatis; qua facultate uti possint etiam Moniales, Novitiae, aliaeque mulieres in

tra claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus sit pro Monialibus. — Confessarius autem, hac occasione et durante huius Iubilaei tempore tantum, omnes illas ipsissimas facultates largimur, quae a Nobis tributae fuere in alio Iubilaeo concesso per Nostras Litteras Apostolicas datas die XV mensis Februarii anno MDCCCLXXIX, quae incipiunt « *Pontifices Maximi* », iis tamen omnibus semper exceptis, quae in iisdem litteris a Nobis excepta fuere.

Quo autem fructus salutares, qui Nobis propositi sunt, ex hoc sacro Iubilaeo tutius atque uberius percipiantur, hoc magnopere studeant universi, ut magnam Dei Matrem praecipuo per id tempus obsequio cultuque demereantur. — Ipsum autem sacrum Iubilaeum in tutelam fidemque tradimus ac commendamus sancto Iosepho, castissimo beatae Virginis Mariae Sponso, quem gloriosae recordationis Pius IX P. M. totius Ecclesiae Patronum declaravit, et cuius opem suppliciter quotidie implorari ab omnibus Christi fidelibus optamus. — Praeterea cunctos hortamur, ut peregrinationes suscipere pietatis caussa velint ad sanctorum caelitum aedes, quae peculiari religione in variis regionibus sanctae ac venerabiles haberi consueverint: quas inter in Italia praestat sacrosancta Virginis Mariae Lauretanae domus, quam altissimorum mysteriorum memoria commendat.

Quapropter in virtute sanctae obedientiae praecipimus atque mandamus omnibus et singulis Ordinariis locorum, eorumque Vicariis et Officialibus, vel ipsis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum praesentium Litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa in sua quisque ditione publicanda curent, populisque etiam verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis, Ecclesiam seu Ecclesias visitandas ut supra designent.

Ut autem praesentes Litterae, quae ad singula loca deferri nequeunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut praesentium transumptis vel exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo munitis personae in dignitate ecclesiastica constitutae, ubicumque locorum eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris die XII Martii A. MDCCCLXXXI, Pontificatus Nostri anno Quarto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

VICARII CAPITULARIS

Die 20 Martii 1880

Compendium facti. Exposuit S. C. Congregationi Praesul in Galliis, non paucas nec minimas, post obitum ultimi Episcopi A. sui saffraganei, ortas fuisse difficultates, relate ad electionem Vicarii Capitularis. Cum enim iuxta morem *seu abusum* in Galliis vigentem, Canonici duos elegissent Vicarios, dimidia pars Capituli, et publica potestas unius electionem invalidam habuerunt, ex eo quod hic non fuisset electus nisi 1° proprio sibi consuluisset suffragio; 2° pactum cum alio iniisset Canonico de voto sibi invicem tradendo; 3° consanguineum devotissimum inter Canonicos numerasset. Enixe rogatus Metropolitanus Orator, ut huiusmodi invalidaret electionem, idque denegando plurimorum in se animadversiones incitavit.

Quapropter ut controversiae omnes in posterum forte oriturae praepediantur, utque in re tanti momenti tuto valeat incedi pede, humillime ab EE. VV. sequentia petiit declarari dubia « I. An Canonicus possit licite et valide dare sibi votum » suum, cum alias maiorem votorum numerum obtinere non » valeat. II. An electio sit simoniaca et nulla, quando duo » vel plures Canonici ita paciscuntur, *da mihi aut consangui-* » *neo meo, vel amico meo votum tuum, et ego aut consangui-* » *neus meus vel amicus meus dabunt tibi suum.* III. An liceat » Canonicis consanguineis votum sibi invicem dare. »

Disceptatio synoptica

EA QUAE INNUUNT AFFIRMATIVUM RESPONSUM. Et in primis videretur quod Canonicus possit sibi ipsi proprio suffragio consulere, ubi maiorem votorum numerum obtinere non valeat. Quandoquidem aperte hoc statutum reperitur ab Innocentio III in *Cap. Cum in iure 33. De elect. et elect. pot.* ubi in septem vocalibus electus a tribus, cum accessu sui ipsius dicitur a quatuor et consequenter a maiori parte.

Et iure meritoque, quemadmodum in commentario ad dictum caput notat Gonzales sub *num. 5* - ibi - « nam ut electio » recte celebretur, tantum desideratur, ut maior pars eligentium » concurrat *cap. coram hoc. tit.* nec desideratur ut maior pars » eligendum eligat, sed ut in eo adsit maior pars: sed si ipse » electus consentiat, maior pars in eius electione concurrit et » reperitur : ergo talis electio iure defenditur. Faciunt pro hac » decisione textus in *l. plane ff. quod cuiusq. univers.* ubi cum » supponatur actorem civitatis decreto Ordinis et a maiori parte » Decurionum esse eligendum *l. 5 ff. eod. tit.* ait Paulus *Plane* » *ubi duae partes Decurionum adfuerint, is quoque quem de-* » *cernunt numerari potest* : notat Cuiacius *ibi:* igitur in nostra » specie is quoque in quem alii tres consenserunt numerari » debet.....» Quapropter cum sententia Pontificis lex sit non solum illius causae pro qua producta est, sed in omnibus similibus, ut declaratum fuit ab Innocentio III in *cap. In causis 19 De sent. et re iudic.* dicendum est quod cum lex in specie decidat casum nostrum, ulterius disputari non debet.

Quin obsit textus in *cap. Avaritiae de Praeb. in* 6°. Licet enim praedicti capitis dispositio ad electiones velit extendi, tamen de illis debet intelligi quae indigent superioris confirmatione, non vero de simplici deputatione sonante in mandatum, ceu perbelle animadvertit *De Luca De Canonicis disc. 26 n. 10.* Unde dictam decretalem *Cum in iure* non esse correctam, sed etiam hodie attendendam in electione Capitularis Vicarii tenet cum Pignatell. *Leurenius in for. benef. part. 4 quaest. 551 num. 4.* Nec secus

iudicasse S. C. C. in *Matheranen. et Acherutina anno 1649* refert *De Luca loc. cit. num. 1.* – ibi – « Capitulo Matheranen. » constituto ex 32 votis, congregato pro electione Vicarii in formam » scrutrinii, cum in primo scrutinio nulla adesset conclusio pro » maiori parte, deventum est ad secundum, praevia declara- » tione ut cuilibet licitum esset cum proprio voto sibi ipsi ad- » haerere, atque in hoc scrutinio pronunciatus fuit electus Io- » annes Bernardinus Morra, unus ex capitularibus, utpote ha- » bens 17 vota, computato tamen proprio, qui propterea illico » in Vicarium recognitus fuit............. Decanus et alii Capi- » tulares........ recursum habuere ad sacram Congregationem » Concilii, quae tamen auditis partibus pro electo respondit.... »

Omnis autem hac super re dubitatio arcetur, si propositi dubii ponderentur verba. Quandoquidem ipsum sic sonat « *An Canonicus possit licite et valide dare sibi votum suum cum alias maiorem votorum numerum obtinere non valeat* ». Hanc autem notitiam, capitularem certe habere non posse, nisi electio vel per publica vota processerit, vel noverit se a suffragantium medietate praesentatum fuisse, apparet. Quo posito certi iuris est et una ferme echo defendunt DD. cum Rota *coram Clement. XIII decis. 114 num. 9 seqq.* iuncta Glossa in *cap. Cumana De elect.* vocem electi numerum eligentium augere, quando electio fit palam et per publica vota; imo si processum fuerit per secretum scrutinium, valet electus, mutato suo suffragio, sibi ipsi accedere quando, publicato scrutinio, noverit se a medietate eligentium esse praesentatum, ad effectum augendi numerum.

Secundum dubium, in quo quaeritur an electio sit simoniaca et nulla, quando duo vel plures paciscuntur de voto sibi invicem dando, negativo responso dimittendum videretur. Deficiunt siquidem extrema ad hanc pactionem simoniacam redarguendam. Nulla sane simoniae labes suspicari potest ubi nihil temporale, nihil pretio aestimabile ex aliqua parte praestatur. Simonia enim iuxta communem DD. sententiam, una cum D. Thoma *est studiosa voluntas emendi aut vendendi, pretio temporali, aliquod spirituale, aut spirituali annexum*. Atqui in casu neque emitur, neque venditur aliquod spirituale vel illi annexum, temporali pretio,

sed eiusmodi speciei res permutatur. Igitur huiusmodi pactiones uti simoniacae improbari non debent. Quare DD. docent quod permutatio spiritualis cum spirituali, excepta materia beneficiaria, non est simonia *Reiffenst. De Simon.* § *10 n. 226, Schmalz. ibid. n. 121, Pirhing ibid. tract. 4 resol. 150,* quia pactiones istae in spiritualibus nullo neque humano, neque divino iure reprobantur *Reiff. loc. cit.* Cum ergo dictae pactiones utpote simoniacae habendae non sint, inutiliter foret super electionis nullitate disquirere. Neque in contrarium allegari possunt canones, quibus universaliter tamquam simoniacam prohibetur omnis pactio circa spiritualia. Isti enim, ut ait *Reiff. loc. cit. num. 227 loquuntur de illis pactionibus, in quibus datur temporale pro spirituali, aut vicissim.* Et sic tenent *Suarez lib. 4 De Simon. cap. 31, Pirhing ib. num. 124, Schmalz. ibid. num. 123 in fine.* Hinc cum in casu pretium desit, exulat simonia.

Consanguineos tandem sibi invicem suffragium dare posse, prouti in tertio dubio proponitur, ambigi non posse videtur. Etenim eo ipso, quod provisi de Canonicatibus illorum possessionem sunt assecuti, habent intentionem fundatam pro iure votandi in electionibus et aliis actis Capitularibus. Cum enim sint domini fructuum Canonicatuum, consequenter sunt etiam domini iuris eligendi, quod in eorum fructu est iuxta *Text. in Cap. In genesi de elect. vers. Nec praemissi, Cap. pro illorum in fin. de Praeb., Barbosa De Can. c. 37 n. 1, Rota cor. Seraph. Dec. 414 n. 2.* Quae iuris assistentia generaliter procedens in omnibus et quibuscumque Canonicis, non potest limitari ex consanguineitatis qualitate. Cum enim Canonici hanc propter qualitatem non reperiantur expresse prohibiti a ferendo consanguineis voto ab aliquo iure sive speciali sive generali, stat regula ut peragi id optime valeant, quia in materia prohibitiva illud censetur permissum, quod non est expresse prohibitum ad *Text.* in *L. Nec non* §. *Quod eis ff. Ex quibus caus. maior, Gloss. in cap. Ex litteris De iurepatr. et in cap. Inter corporalia de translat. Episcopi.*

Ea quae innuunt negativum responsum. Ex adverso perpensum est, Canonicum neque licite neque valide posse sibi

votum suum dare, praesertim si alias maiorem votorum numerum obtinere non valeat, prouti in primo dubio exquiritur. Quandoquidem iura solemniter clamant, quod nemo seipsum eligere potest *Cap. Final. De istit. Cap. Per nostras De iurepatr. cap. 3 De excess. Praelat.* inter dantem enim et accipientem debet esse distinctio *cit. cap. Finali* et *cap. Per nostras,* nec una eademque persona diverso iure censeri valet, videlicet eligentis et electi *cap. Debitum de Bapt., L. Cum qui ff. De usucap., L. 2. ff. De stipulat. serv.* nec quis potest esse auctor in re propria *L. 1. ff. De auctor. tutor., L. 1 §. fuit quaesitum ff. ad Trebellian.* nec iudex aut testis in causa propria aliquis admittitur *L. Unic. Cod. Ne quis in sua causa.* Iamvero si Canonicus se posset sua voce iuvare, nedum perhiberet testimonium de se ipso et iudicaret se dignum esse, verum etiam seipsum eligeret, cum facta ab aliis electio, prouti a maiori parte non celebrata, minime sustineri posset.

Quamobrem adeo rigorose in hoc procedunt ss. Canones, ut omnis ambitionis species ab Ecclesiae propulsetur ministris, ut ne sinant quidem in aula Capitulari permanere Canonicum de cuius interesse agitur in Capitulo, ceu ex fide Gavanti decisum esse a S.C.C. testatur *Scarfant.* in *lib.4. tit.4 n.23.* Mirum subinde non est, si in minoris momenti negotio S. C. C. memoratis principiis inhaerens, ea plene admiserit minime obstante contraria consuetudine ceu videre est in *Iadren. Iuris suffragand. 19 Maii 1877.* Proposito siquidem primo dubio - *An in comitiis capitularibus ius suffragandi habeat Canonicus, qui ab Archiepiscopo proponitur ad officium Iudicis et Examinatoris Synodalis in casu* - responsum fuit - *Negative* (1).

Minusque adversari videtur resolutio S. C. C. in Matheranen. relata a De Luca in *disc. 26 De Canonicis.* Agebatur enim inibi de secundo scrutinio, agebatur de praevia declaratione *ut cuilibet licitum esset cum proprio voto sibi ipsi adhaerere.* Sed a iure haud prohibitum est electo, quoties electores in id conveniant, sibi ipsi votum dare, ceu perbelle recitatus auctor docet

(1). Recole si vis hanc quaestionem Vol. X pag. 273 har. ephem.

loc. cit. n. 9. At de hoc in proposito dubio neque verbum habetur neque vola.

Simoniaca pariter et nulla videtur electio propter pactionem initam inter Canonicos, de voto sibi invicem dando. Omne siquidem pactum in spiritualibus, seu spirituali annexis, simoniam inducit, iuxta textum in *cap. final. De pact.* ibique Glossa in *verb. cessare,* ubi quod in spiritualibus omnis pactio illicita, seu conventio cessare debet, quia huiusmudi pactiones, simoniam inducunt *Bonac. tit. de Simonia disput. 1 quaest. 4* §. *15 n. 3, Suarez De relig. tom. 1 libr. 4 cap. 51 num. 6, Pignatel. Discept. Eccl. 138 n. 2.*Unde Canonicus non potest absque labe simoniae alicui suffragari ex pacto cum collega inito, quod iste dabit suum votum in alia electione officium Sacristae vel Magistri chori spectante, tradit *Bonac. loc. cit. quaest. 3 disput. 1 n. 3 et seqq.* quia dicta officia sunt spiritualia. At si haec dicta sunt de Sacrista et de Magistro chori, potiori certe ratione dicenda sunt de Capitulari Vicario, qui iurisdictionem Episcopalem exercet, *Leuren. loc. cit. quaest. 562 n. 2, quaest. 587 n. 1.*

Quo statuto, iam ex hoc ipso nullitas electionis pleno flueret alveo, attenta dispositione *Extrav.2 Cum detestabile De Simon.* quod tamen intelligendum si electio vere in simoniacum caderet, ne ex pacto alterius damnum alter persentiret, quod et dubium porrigi videtur, et propositus casus, qui dubio locum dedit, explicat. Dato sed vero quod dictum pactum reciprocum simoniam minime secumferat, tamen electio de nullitate redarguenda videtur si, ut innui, cecidit in alterum ex contrahentibus. Quodlibet enim pactum prorsus exulare debet in electionibus peragendis, *Gonzales comm. ad cap. 26 de elect. verb. pactum,* omni enim et quacumque personarum acceptatione remota et mundanis affectibus posthabitis, expleri debet electio.

Unde *electiones factae per pacta, conventiones, intendimenta* etc. *ex quo libertatem auferunt, sunt nullae:* ita *Donat. in prax. regul. part. 2 tract. 1 quaest. 9 num. 1 seqq.* Concinit *Lavòr. de elect. tit. 4 cap. 21 num 11.* Quare cavendum monet Hostiensis *n. 8* relatus a *Piton. Discept. Ec-*

cles. 100 num. 109, quem DD. communiter sequuntur post caput *Bonae memoriae 36 de elect.* etc. « Ne segregati vel » omnes simul super contradicendo alicui malo, vel promovendo » aliquo etiam bono, promissionem faciant vel subscribant etc. » si eligant personam de qua conspiraverunt, cassanda est electio » tamquam minus canonice facta ».

Consanguineum tandem pro consanguineo votum ferre non posse et vicissim exemplis probari posse videtur. Sane Innocentius III in *cap. Cum Canonici 35 De officio et pot. iud. deleg.* in causa Canonici Ianuensis, omnes alios Canonicos ab officio Iudicis exclusos esse voluit, non alia de causa quam quia erant unius litigantis socii, ac proinde alteri litiganti suspecti. *Ut exceptis Canonicis Ianuensibus* (sunt verba Canonis) *quos cum sint eius socii, merito habet pars adversa suspectos.* Si ergo summus ille Pontifex a iudicando reiiciendos esse putavit omnes Canonicos, quia socii tantum alterius litigantis, merito pro suspectis habebantur, quanto magis in praesenti casu, in quo non socius in officio, sed is qui alteri ex eligendis vinculo sanguinis coniunctus est, a ferendo pro consanguineo voto arcendus esset !

Hanc ipsam interpretationem sequuta est s. Congregatio, cum ad eius iudicium delata est quaestio, utrum Canonici familiares Episcopi suffragium ferre possent in comitiis Capitularibus , in quibus ageretur de negotiis ad ipsum Episcopum spectantibus. Censuit abstinendos esse a voto omnes familiares et Vicarium generalem, quos praesumpta erga Antistitem affectio suspectos reddebat. Ita decretum est in *Mediolanen. Ianuarii 1587, et in Pharen. Residentiae 28 Aprilis 1674.*

Ita pariter s. Pius V sua Constitutione *Quanta*, quae est in Bullario sub *num. 50* prohibuit Episcopis, ut beneficia in eorum manibus resignata suis consanguineis aut familiaribus conferrent.

Quibus igitur hinc inde ex officio deductis, rogati sunt EE. PP. sequentia enodare

Dubia.

I. An in electione Vicarii Capitularis Canonicus licite et valide possit sibi dare votum suum, cum alias maiorem votorum numerum obtinere non valeat.

II. An electio Vicarii Capitularis sit simoniaca et nulla, quando duo vel plures Canonici paciscuntur de voto sibi invicem dando.

III. An in electione Vicarii Capitularis liceat Canonicis consanguineis sibi invicem dare suffragium.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re mature ponderatâ, sub die 20 Martii 1880 respondendum censuit:

Providendum in casibus particularibus. (1)

(1) Rei gravitatem perpendens S. C. C. forsan a dirimendis propositis dubiis abstinuit: voluitque ut recursus habeatur in casibus particularibus. Casus enim particulares comitari possunt adiunctis, ita inter se variis, ut maxima certa constitui prudenter non possit. Quoad primum dubium tamen, ex Doctorum sententia, videtur quod electus in Vicarium Capitularem a medietate votantium, publicato scrutinio, possit sibi accedere, mutato suo suffragio, vel consentire electioni de se factae; qui consensus reputatur pro voto. Quod autem Canonici consanguinei nequeant sibi invicem dare votum, erui posse videtur etiam ex hoc, quod si consanguinei essent numero maiores in Capitulo, haberent necessario vicarium capitularem in familia; idque contra sacrorum canonum spiritum omnino esset. Praescribunt canones digniorem eligendum esse; ast scitum est iudicium amore perverti dum contendimus placere amico vel propinquo.

Confer, adprecor, Vol. VIII pag. 389, quaestionem quoad Vicarii Capitularis electionem; Vol. IX pag. 138 aliam quaestionem de iure suffragandi. In eisdem multa prostant, quae strictam habent analogiam cum praesenti materia.

IURIUM

Die 24 Aprilis 1880.

COMPENDIUM FACTI. Capitulum Metropolitanum Ecclesiae Cathedralis B. cui animarum curae munus incumbit, sub die 16 Decembris anni 1875 ab illius Urbis Archiepiscopo, ex S. C. Congr. iussu, ad Statuta intra sex mensium spatium sibi instituenda fuit invitatum. Archiepiscopi mandato Capitulum obsequens, praefata Statuta intra tempus ab Archiepiscopo praefinitum condidit, atque nulla interiecta mora pro adprobatione assequenda eidem exhibuit (1). Verumtamen Archiepiscopus ea adprobare recusavit, hac potissime ductus ratione, quod in eisdem plura reperiebantur, quae propria Archiepiscopi iura laedebant. Asserebat enim Capitulum sibi soli a sa. me. Alexandri VII reservatam fuisse facultatem eligendi Vicarios et Coadiutores, qui animarum curam explerent; denegabat vero Archiepiscopus, qui in huiusmodi electionibus ius una cum Capitulo cumulative exercendum sibi vindicabat.

Res ita sese habebant, quando sub die 29 Aprilis anni 1877, Archiepiscopus ad electionem quatuor viceparochorum, marte suo devenit atque Capitulo patefecit adiiciens: se ad huiusmodi electionem peragendam motum fuisse, ut ipsius Capituli votis faceret satis.

Huiusmodi Archiepiscopi agendi ratione Capitulum se gravatum persentiens, sub die 30 Maii anni 1877, supplici oblato libello, ad S. C. C. confugit expostulans, ut « partibus auditis iudicium emitteret tam quoad Constitutiones Capitulares, tam quoad alias quaestiones ».

(1) Quoad Statuta Capitulorum Benedictus XIII in Romana Synodo habita 1725 Canonicis praecepit *Cap. 4 et 5 tit. 2* « ut antiqua, si qua habent, statuta, et Capitulares Constitutiones depromant; et ubi non adsint, sex infra

Disceptatio Synoptica

Defensio Capituli. Totius causae fundamentum, Capituli defensor hoc esse ait, quod ipse Archiepiscopus non inficiatur, Cathedralis Ecclesiae Capitulum *habituali* pariter atque *actuali* cura in universa civitate pollere. Canonici omnes antiquitus curam promiscue gerebant: tribus abhinc saeculis Capitulum decrevit sex Canonicos eligi, qui alternis vicibus per hebdomadam exercerent.

Id tamen in Ecclesia B. corrigi placuit atque anno 1607, sex Ecclesias Capitulum pro curae ministerio constituit, et *cuilibet Ecclesiae suum Pastorem*, ad nutum amovibilem, assignavit. Cura igitur animarum ad Collegium pertinet, atque ita pluralitatem redargui non posse, defensor adfirmat, quia pluralitas personarum universitatem constituit, et personam unicam fictam *Clericat. de benef. dist. 20 num. 26, Lotter. de re benef. lib. 1 q. 20 num. 1115 seq.*

Sed actualem quoque curam penes Capitulum esse ait, quia rectores amovibiles ad curae exercitium semper a Capitulo delegantur; quia cum vicarius amovibilis, ne in exercitio quidem, uti parochus haberi valeat, ne cura acephala censenda sit, parochi titulum in collegio ipso constitui oportet. *Lotter. de re benef. lib. 1 qu. 20 num. 138, Pitonius disc. eccl. 104 n. 29*

» saltem menses, post praesentis concilii » publicationem, sub ecclesiastici interdicti poena, omnino conficiant; et utra» que, antiqua scilicet et nova per Nos, » quoad nostrae almae Urbis Ecclesia» rum statuta, et reliqua, suos respe» ctive per Episcopos, accurate exami» nanda, et corrigenda deducant, atque » approbanda praesentent ». Ne autem putaretur, decretum eiusmodi vim obligandi non exerere extra provinciam Capuanam et Pisanam (infra quos limites gaudet R. Pontifex iure Metropolitico) in quinto capite adiecit: « Hoc » interim decretum, una cum praecedenti, » ut caeterarum ecclesiarum Capitulis » et Collegiis consulamus, ad Metropoli» tanos, extra hanc Synodum extendimus, » qui primo in eorum Concilio providas » ipsas, et plane necessarias praefatas » super condendis statutis sanctiones pu» blicare meminerint, et executionem » sedulo providere ». Sacra autem C. Concilii inhaerens huic praescriptioni, quoties capitularia statuta mendis scatentia deprehendit, vel abrogavit omnino, vel eorum reformationem, vel ea confici iussit, si nulla existerent, intra sex menses, *Puteolana 24 Iunii 1839.*

seqq. Atque illud accedit quod curae exercitium, absque concursu conferri solet. Concursus enim necessitas recedit ubi universum ministerium in Capitulo versatur *Barbosa de Episc. all. 60 n. 30 Pasc. Iordan. to. 2 lucubr. lib. 1 tit. 8 n. 82.*

Sed dubia omnia pro Capitulo deleri ostendit per *rem iudicatam*, quam exacto saeculo ineunte, edidit s. Congregatio Episcoporum negociis praeposita et Pontifex Clemens XI confirmavit. Lis enim inter Capitulum B. atque Archipresbyterum novem annorum spatio efferbuit, orante Pitonio pro Capitulo, donec sententia prodiit, quae curam universam eidem Capitulo adscripsit, sed nullum ius Episcopo esse censuit. Adsunt quinimo testimonia plurium Episcoporum, quibus confirmatur curam animarum esse penes Capitulum. Post dictam sententiam nulla immutatio facta est et Capitulum, absque Episcopo, parochos semper elegit et substitutos, exposcendo tantum ab Antistite eius confirmationem ad sacrorum administrationem.

Dein obiectiones Archiepiscopi refellendo ait: nil erui posse ex facto quod eidem quarta in funeribus rependatur: nam saepe rependi potest sive ex conventione, sive ob mensae egestatem ad tradita per *Ferraris V. Quarta n. 40 et Lotter. de re Benef. l. 1 quaest. 20 n. 135.* Pariter nil emergit ex eo quod de duobus tabulariis capituli, unum eligit Antistes, alterum capitulum, quia sic constituit Bened. XIII Apostolicis litteris-*Maxima vigilantia.* Neque aliquid officere quod Sacramenta Baptismi et matrimonii administrentur de consensu Episcopi et Capituli, quia iurisdictio in animarum cura non consistit in exercitio unius vel alterius actus, sed in universi iuris ministerio.

His pro veritate expositis, animadvertit obiectiones causam non afficere. Primo enim nihil aliud evincerent quam cumulativam *in quibusdam actibus:* et cum exceptio firmet regulam in contrarium, reliquum semper esset curam *universam* Capitulo addici. Nempe praescriptionis effectus ad alios actus extendi potest quam ad illos qui luculenter demonstrantur *De Luca miscell. disc. 38 n. 13.* Praeterea, licet omnia quae Praesul sibi vindicat concederentur, nihil inde in causa sequeretur, quia de iure disputatur *eligendi atque amovendi vicarios substitutos coad-*

iutores, non de cumulativa in *aliis* quibusdam actis. Atqui in *eorum electione* nullam unquam consuetudinem vel possessionem Archiepiscopus allegavit. Loquens autem defensor de obiectione, quod electiones peractae fuerint collatis consiliis inter Archiepiscopum et capitulum, ait: Archiepiscopum excogitavisse facta gravissima absque ulla probatione, quae omnino defuit.

Mox argumentis occurrit quae Archiepiscopus *de iure constituendo* tradit. Ac primum, ait ille, non expedire curam per rectores amovibiles exerceri, quia amovibilitatem in parochis odit Concilium Tridentinum ex *cap. 7 sess. 7 de reform.*, *et cap. 13 de reform. sess. 24.* Quoad decretum in *cap. 13 sess. 24* Capituli defensor ait, illud de paroeciis egisse quae certos non habent fines, vel in quibus cura promiscue exercetur. *Pignatell. cons. to. 9 cons. 143 num.* 14. Quoad vero *cap. 7 sess. 7* ita inter perpetuum ac precarium prudentis arbitrii modum relinquere, ut in amovibilitatem inclinet, prout patet ex legis textu, ac docet *Pignatell. cons. to. 9 cons. 143 n. 14.*

Nec novum aliquid induxit s. Pii. constitutio « *Ad exequendum* » quae tenuitati congruae in perpetuis paroeciis prospici curavit. Praesumit autem in iis Ecclesiis arbitrium a Synodo concessum exerceri potuisse : Synodus autem gravem et ustam arbitrii causam requirit etiam in iudicio agnoscendam. *Barbosa de episc. all. 72 n. 190; Pignatell. cons. to. 9, cons. 143 num. 14.* Neque prudentum iudicio illud admitti potest, ut curae animarum precaria nominatio perniciosa sit, et hoc unum ad arbitrii causam sufficiat. *Navarr. de offic. vic. consid. 11., Pikler to. 2 lib. 3 d. 10 qu. 2;* quin imo in Ecclesiae consuetudine quae pro iure est, passim occurrit per vicarios amovibiles curam exercendam committi : *Bened. XIV in Apost. litt. Suprema dispositione 19 Ianuarii 1752 in constitutione « Ad honorandam » §. 41 et in constitutione « Regis pacifici. »*

Duo quidem ex mente Tridentini atque ex magis usitata Ecclesiae disciplina, vitanda dicit ; quod scilicet cura ipsa, non autem merum ministerium, in parochos amovibiles conferatur, et quod promiscue cura exerceatur: neutrum vero ex his in paroeciis de quibus agitur occurrere, in vicarios solum ministe-

rium confertur. Nullam igitur arbitrii rationem ad perpetuitatem inducendam subesse, sed ex saeculari usu nihil esse innovanvandum *Rota coram Ansaldo in Aretina iur. patr. sup. bono iure 16 Ian. 1803* §. *Caeterum, et in decis. 212 n. 3 et 4 par. 17 Rec.*

Haec omnia tamen ex Concilii Tridentini definitione *unionis* casum respicere ait. Cum vero alicui Capitulo *principaliter et ex primaeva erectione* iurisdictio competat, Vicarii perpetui constitutionem non modo non requiri, sed omnino improbari *Ventriglia prax. rer. notab. par. 1 adn. 20* §. *2 num. 4 S. C. Concilii in Baren. Curae anim. 5 Februarii et 27 Augusti 1706: in Aliphana Curae anim. 12 Ianuarii 1726 ac 15 Martii 1856.* Quod autem Capitulum B. utrâque curâ polleat ex primaeva erectione factorum congeriem demonstrare contendit (1).

Hisce de obiectionibus extra causam expositis, ad dubiorum ordinem revertitur et primum de iure *removendi* loquitur. Hoc ante omnia probari ait per electionem ac nominationem ad nutum quae per Capitulum fieri solet. Qui enim precario delegat potest quandocumque officium auferre. Nec praetereundam consuetudinem quae flagrat e synopsi electionum ac remotionum, atque *ipsius Archiepiscopi* suasiones ut sua potestate Capitulum uteretur.

Nec metuendum ne Archiepiscopi auctoritas imminuatur: cum enim amovendi facultas ad inferiorem pertineat, Ordinarius a sua potestate exercenda non prohibetur. Unum notandum quod Capitulum, quomodocumque voluerit removere potest; Episcopus sine causa non potest. *Bened. XIV de Syn. lib. 12 cap. 1 n. 2 Fagnan. in cap. Cum ad monaster. de statu monach. num. 39.* Capitulum vero modestiae specimen praebuisse in constitutionibus repetitae lectionis, ac nonnisi *ex gravi causa* sibi ius amovendi hodie addixisse.

Ad alterum dubium transiens, de electione disserit die 28 Maii 1878 ab Archiepiscopo in quatuor sacerdotes collata, ad *coadiutorum* officium. Hanc iniuriosam ait, et nullitate infectam, quia lite pendente acta est. Licet Archiepiscopus cumulativam quam

(1) Confer Appendicem III in Vol. IX pag. 614 relatam.

praesumit haberet, *solus* nominare non poterat. Cum vero cumumulativam nullo modo habeat, non Archiepiscopi sed parochi est vicarium coadiutorem eligere, ab Ordinario probandum. Neque ab Antistite obiiciendum ea de causa nominavisse, ut Capituli negligentiam suppleret, quod nominare debuisset nec nominavit. Negligentiam enim non probari, ait defensor; quae licet confingeretur, terminus Capitulo praefigendus fuisset ut in mora constitueretur.

Mox ad tertium dubium pergit de constitutione libellarum annuarum quingentum in singulos substitutos coadiutores. Id a summo Pontifice provisionis loco Archiepiscopum obtinuisse ait: ipse enim fatetur eum concessisse « *Salvis iuribus partium quoad controversias penes s. Congregationem deductas, lite pendente et donec aliter non decernatur* ». Sed nullam in primis stipendii augendi causam esse. Non enim de parochis, vel de vicariis perpetuis disputatur, sed de substitutis ad nutum amovendis, pro quibus nisi rationabilis causa intersit, locus non est congruae augmento. *Ferraris voc. Congrua art. 2 num. 38 seq.*

Sed etsi augendi stipendii necessitas immineret, nunquam onus Capitulo imponendum ait. Archiepiscopus enim sexdecim libellarum millia canonicis parochis et coadiutoribus Fiscum in invasione adscripsisse dicit, quae a capitulari patrimonio seiuncta sunt. Id autem Capituli defensor alienum a veritate asserit. Tota vero huius substantia, quam fiscus reliquam illi esse voluit, non amplior est libellis 32,440 quae ex variis expensis ad annuam quantitatem cohibetur libellarum 6223. Symbola igitur cuiusque canonici vix *annuas quingentum libellas* attingit; ac si ex capitulari acervo libellae 1451 detraherentur ut coadiutorum stipendiis accederent, *longe amplius* emolumentum vicariis substitutis quam canonicis adscriberetur. Quod absurdissimum defensor dicit, quia parocho prius consulendum est, deinde quod superest vicario indulgendum *Bouix de parocho part. 3 cap. 5.*

Si vero quod superest ad congruam coadiutorum sustentationem non sufficiat, tunc *Episcopus* pro viribus ad conferendum quantum decet adstringitur *Ferraris voc. coadiutor num. 40.*

Tum de quarta dubii formula disserit : an ius eligendi atque amovendi hebdomadarios Capitulo competat vel Archiepiscopo. Duobus abhinc saeculis Capitulum hebdomadarios e clero Ecclesiae adscripto constituit, eisque argenteos nummos tercentum aere capitulari persolvi decrevit. Id Pontifex Alexander VII adprobavit. Posita igitur dotatione ipso iure patronatum Capitulo derivare ait *Gagliardi de iure patr. cap. 5 num. 19.*

Insuper, ait defensor, quaestionem omnem dirimere eloquentem et nunquam interceptam *duorum saeculorum consuetudinem*, quam praestat in summario syllabus nominationum ac remotionum ad novissimum usque tempus per Capitulum gestarum. Notum enim in iure est saeculari spatio optimum quemque titulum praesumi et antiquum obliterari. *s. Rota in Spoletana iuris pascendi et lignandi 18 Iunii 1745 §. 15 cor. Millino* et *in confirmatoria die 3 Iulii 1748 cor. Bussio §. 8 et in decis. 7 de union. cor. Falconerio.*

Defensio Archiepiscopi. Archiepiscopus B. e contra de iis edisserens quae in primo dubio proposito reperiuntur, contendit Capitulares a iudicii limine esse repellendos ex eo quod eorum praetensa iura , privative nempe Vice-parochos substitutos eorumque coadiutores eligendi, quolibet solido fundamento prorsus deficiunt. Sane explorati iuris est Archiepiscopis et Episcopis a Summo Pontifice factam fuisse potestatem, ut quaelibet in sua dioecesi beneficia, quae non sint a iure specialiter reservata ibidem existentia conferre possint. Hinc consequitur quod omnium beneficiorum in dioecesi existentium collatio et institutio de iure spectat ad Episcopos loci ordinarios, qui in iure conferendi beneficia in sua dioecesi existentia fundatam habent iure communi intentionem ceu tradit Barbosa *de offic. et Potest. Ep. Alleg. 57 n. 1 allegans Cap. Omnes Basilicae Cap. Nullus omnino 16 quaest. 7, Gonzales ad Regul. 8 Cancell. §. 1 prooem. num. 21 et 22 et Glos. 11 n. 38 et 39 et alios quamplurimos.* Potestatem , autem quae a iure communi Episcopis exercenda conceditur circa beneficia in sua dioecesi vacantia, disertis verbis Tridentina Synodus eisdem plenissimam tradit, circa beneficia curata, quorum ob quamcumque causam vacatio obtigerit, ceu legitur in *Cap. 18 sess. 25 de Ref.*

Ex hisce in iure perpensis sponte sua derivat, ut ii omnes sive privati sint, sive alicui Collegio adscripti, qui huiusmodi iura, quae ad Episcopos pertinent, sibi adstruunt, positivis et concludentibus probationibus demonstrare teneantur. Hoc praetensum ius sibi competere credunt Canonici ex Bulla Alexandri VII; in qua tamen ne verbum quidem fit de hoc iure. Neque praesidium captare posse, urget Archiepiscopus, ab innumeris documentis, quae Capitulares, ad eam causam congerunt, ut hoc privativum ius sibi adstruere valeant. Archiepiscopus enim praemonet, hisce documentis id unum evinci posse, quod huiusmodi privativum ius in vim solius consuetudinis seu praescriptionis Capitulo competere valeret. At est canon iuris, quo nullus alius notior, iura episcopalia ullo temporis intervallo praescribi non posse.

Quae cum ita sint, Archiepiscopus concludit, Capitulum B. nullum ius sibi praestolari posse in Parochorum Vicariorum substitutorum eorumque Coadiutorum electione, quod ex iuris canonici censura, ad solos Episcopos pro sua dioecesi spectat. At dato etiam quod ius aliquod in huiusmodi electionibus faciendis Capitulum experiri possit et valeat; illud ab eo cumulative cum Archiepiscopo exerceri debere contendit. Idque iure merito: in comperto siquidem est Episcopum esse Capituli caput *Cap. Novit. de his quae fiunt a Praelatis* et per consequens principalem partem ipsius *Cap. Scire 7 q. 1.*

Post haec ad secundum dubium deveniens quod electionem quatuor substitutorum, sub die 29 Maii 1878 ab Archiepiscopo peractam respicit, eam in suo robore manutenendam esse Apchiepiscopus sustinet. Quod ut evincat edisserit ad huiusmodi electionem devenisse, quia bonum spirituale gregis suae pastorali curae commissi id exigebat; et maxime ut Capitularium precibus indulgeret, qui recursum ad Archiepiscopum fecerunt petentes ut ipse, per quatuor substitutorum electionem, prospiceret negotiis paroeciarum non bene vertentibus. Archiepiscopus ergo ad huiusmodi electionem deveniendo Capitularium iuribus haud attentavit; sed potius Capitulares propriis iuribus, pro ea saltem vice sponte et libere nuncium dederunt.

Hisce in facto positis Archiepiscopus urget quod modo Capitulum, perdito labore, revocare nititur, quod antea ab eodem exquisierat ad tradita *Reg. 21 de Reg. Iur. in 6.* – ibi – *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Cui concordat aliud iuris principium: *Nemo potest mutare consilium suum in alterius iniuriam Regul. 33. in 6.* Nec quidquam proficit quod ex adverso opponitur, numquam a Capitulo factam fuisse facultatem ad praedictam substitutorum nominationem deveniendi. Huiusmodi siquidem obiectionem totis nervis Archiepiscopus refellit: Episcopo autem de rebus suae Dioecesis referenti, plenam fidem praestandam esse nemo est qui ignoret.

Quoad tertium dubium praemisit orator: Parochorum Vicariis in animarum cura exercenda praestitutis, portionem congruam ex paroeciae reditibus esse constituendam, neminem in dubium revocare posse. Id enim evincitur tum iure divino, tum iure canonico. Idem tandem eruitur ex iure novissimo: quandoquidem *in Cap. 5 et Cap. 7 sess. 7 de Reform.* Concilium Tridentinum statuit ut huiusmodi congrua, accedente auctoritate ordinarii, atque de eius arbitrio Vicariis decerneretur. Utriusque legis dispositio hac super re tam clara, tamque patens est, ut nemo sanus in dubium eam revocare ausus sit. Quaestio potius apud doctores aeque ac penes sacra Tribunalia saepenumero exagitata est super summa, quae singulis Vicariis determinanda foret et de quibus rebus assignari debeat portio congrua. An scilicet de solis reditibus et fructibus fieri, an vero etiam de emolumentis et proventibus incertis assignari debeat.

Verum quidquid sit de huiusmodi in iure controversia, in praesentiarum explorati facti est, ferme constantem fuisse S. C. C. praxim, ut, stolae incertis haud computatis, in minus scutata centum pro honesta alimonia parochis assignarentur, ad tradita in Civitatis Castellanae 24 Novembris 1821. Ad 2 Dubium enim *An, quomodo et in qua summa sit praefinienda congrua Archipresbytero etc.* EE. PP. respondere decreverunt: *Affirmative in annuis scutatis centum, solvendis ab administratore praeter incerta stolae.* Cui concinunt *Tudertina die 27 Aprilis 1822,*

Asculana Congruae 21 Iulii 1827 §. *Praeterea* et *Eugubina Augmenti Congruae die 5 Februarii 1876.*

Ex hactenus discursis tuto concludi posse Archiepiscopus B. autumat, congruam Parochis in summa annua scutorum centum assignandam, non esse sive a iure sive a S. C. C. praxi exorbitantem. Si itaque idem Archiepiscopus pro Parochis seu Vicariis Urbis B. summam libellarum 500 congruam constituere decrevit, ipsius Archiepiscopi decretum S. C. C. oraculo confirmandum esse, prono veluti alveo fluere videtur.

Quin opponi valeat in praesenti casu non agi de Parochis seu Vicariis perpetuis, sed de Parochis seu de Vicariis, qui cum sint ad nutum Capituli B. amovibiles propterea de simplici salario, sive de mercede pro suscepto labore contenti esse debent. Huic siquidem offensioni occuritur praeprimis animadvertendo, quod quum Conc. Tridentinum nullam distinctionem seu differentiam Vicarios perpetuos inter et amovibiles instituat, hinc paria debent esse subsidia, quae utrisque assignantur.

Tandem ad quartum dubium Archiepiscopus gradum faciens, ius eligendi atque amovendi hebdomadarios sibi competere autumat vi Bullae Alexandri VII. Tamen amico foedere quaestionem dirimere cupiens, quoddam proposuit concordiae schema pro approbatione S. C. C.

Hisce animadversis remissa fuere sapientiae et prudentiae EE. PP. sequentia dirimenda

Dubia.

I. An constet de iure Capituli eligendi atque amovendi parochos Vicarios, substitutos, eorumque coadiutores privative, seu potius cumulative cum Archiepiscopo in casu.

II. An sustineatur electio quatuor substitutorum, quos Archiepiscopus nominavit die 29 Maii 1878 in casu.

III. An sit locus constitutioni stipendii libellarum annuarum quingentum in singulos substitutos in casu.

IV. An ius eligendi atque amovendi hebdomadarios Capitulo competat, seu potius Archiepiscopo in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re discussa sub die 24 Aprilis 1880. respondere censuit:

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam et amplius.

Ad II. Affirmative, accedente Capituli consensu et amplius.

Ad III. Negative et amplius.

Ad IV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam et amplius.

Ex quibus colliges:

I. Paroecias uniri posse Capitulis, duplici modo: nempe per unionem subiectivam, principaliter et per primaevam institutionem, sive per unionem, quam dicunt accessoriam.

II. Quum animarum cura inest capitulo priori modo seu per unionem subiectivam, ex iure communi cogi nequit Capitulum ad deputandos Vicarios perpetuos, sed valent Capitulares per Vicarios temporales a se constitutos, curam exercere actualem (1).

III. Vicarius huiusmodi haud exercere parochiale ministerium proprio, sed canonicorum aut Collegii nomine; cum ius parochiae sit apud unumquemque canonicum in solidum, et alius non sit rector quam ipsum Capitulum et Canonici in universum.

IV. In themate evictum fuisse videtur, Capitulum Cathedralis ex primaeva institutione pollere in universa Civitate curâ habituali atque actuali.

V. Actualem curam, sive paroeciae ministerium exercuisse olim canonicos, nunc autem exerceri per sex vicarios (sex enim

(1) Ex iure communi nequit Episcopus cogere capitulum, habens paroeciam ex primaeva unione, ad eligendos Vicarios perpetuos. Quod autem expediat ut Sedes Apostolica decernat vicarios perpetuos ponendos, esse multis evincit argumentis Fagnanus in Appendice relatis Vol. IX pag. 614. Et S. C. C. quum occasio porrigatur decernit perpetuos esse debere vicarios. Recole Vol. IX pag. 208, et 604.

ecclesias Capitulum pro curae exercitio in civitate constituit) ad nutum amovibiles, titulumque parochi in ipso Canonicorum collegio constitui, ne acephala cura dici queat.

VI. Quamobrem Capitulum possidens curam habitualem et actualem, per subiectivam unionem, posse pro lubito eligere ac removere vicarios, et ab Ordinariis nil aliud exposci, quam vicariorum confirmationem pro Sacrorum administratione.

VII. Quando autem paroecia unita sit secundo modo, nempe unione accessoriâ, ex Doctorum sententia, Episcopi possunt cogere Capitula ad eligendos vicarios perpetuos; nam hoc in casu Capitulum non est verus Parochus, neque habet immediatum officium animarum. (1)

VIII. In themate omnem absolvi quaestionem per duorum saeculorum consuetudinem, qua factum est ut canonici privative elegerint et removerint vicarios absque Archiepiscopi interventu, quin contrarium evinceretur.

(1) Per unionem accessoriam Capitulum possidens paroeciam, si ponatur vicarius perpetuus, fere nullam patitur laesionem sui iuris, quia possidet eam tamquam rem temporalem, cui officium curae animarum annexum est. In unione subiectiva Vicarius perpetuus fieret verus parochus, etsi titulo destitutus, et Capitulum despoliaretur iure et officio parochi.



EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

FUNERUM ET EMOLUMENTORUM

Die 7 Maii et 17 Septembris 1880

Compendium facti. Gregorius XV die 28 Februarii 1621, per Bullam *Regimini universalis*, Piae Congregationi Oratorii, in civitate Bononiae erectae « illiusque Sacerdotibus, clericis et

« aliis personis quibuscumque, nunc et pro tempore existentibus, « ut omnibus et singulis, privilegiis, facultatibus, libertatibus, « immunitatibus, *exemptionibus*, praerogativis, praeeminentiis, « *concessionibus* ac *iure sepeliendi*, sine tamen iurium parochi « praeiudicio . . . . uti, frui, gaudere, potiri valeant indul- « sit». Eadem privilegia per aliam Bullam diei 21 Aprilis 1823 concessa fuere Congregationi Oratorii erectae in civitate R.

Horum privilegiorum causâ, et praecipue ob ius tumulandi multae exarserunt lites inter Patres Oratorii et Parochos illius civitatis. Sibi contendebant Parochi, ius competere sacra peragendi officia et exequias super defunctis, qui in Patrum Oratorio sepulturam haberent gentilitiam aut electam. Ex adverso autem propugnabant Patres sibi exclusive ius esse, funebres conficiendi functiones et emolumenta percipiendi dictorum defunctorum, etiamsi eorumdem cadaverum expositio locum habuisset in paroeciali ecclesia.

Res delata fuit apud Episcopalem Curiam, et apud s. Rotae Tribunal, a quo cum iudicium definitivum attenderetur, Antistes, accersitis litigantibus partibus, curavit ut per transactionem iurgia componerentur. Qua transactione constitutum fuit, ut litibus initiatis ab utraque parte nuntium mitteretur; ut in futurum funus in Ecclesia Patrum fieret a proprio Parocho usque ad *non intres* exclusive, et quoad infantes tota fieret functio a parocho; ut expensae litium a nemine repeterentur; ut emolumenta perciperentur a Patribus Oratorii, excepta quarta parte, ad formam consuetudinis, favore Parochi. Quae transactio sanctionem accepit ex audientia SSm̃i per istam s. Congregationem.

Iurgia quae iam siluerant usque ad annum 1861, iterum exorta sunt cum Patres per iniquam suppressionem ex proprio eiicerentur asylo. Ex hoc facto crediderunt Parochi quod Patres haud amplius constituerent religiosam familiam, quae Apostolicis frui valeret privilegiis. Quapropter Parochus, in cuius Paroeciae fines Patrum Ecclesia erecta erat, insciis eisdem, in illorum Ecclesiam cadavera detulit, et iuxta funebria explevit supra defunctis, qui inibi gentilitiam haberent sepulturam, aut non haberent.

Patres tunc sacram adierunt C. EE. et RR. expostulantes 1. ut transactio anni 1859 impleretur, quando agatur de defunctis qui sepeliri debeant in eorumdem ecclesia, eoquod ibi sepulturam propriam habeant aut electam: 2. ut non liceat Parocho in praefata Ecclesia Patrum, ullam peragere functionem, neque deferre cadavera pro explendis funeribus.

Disceptatio synoptica.

Defensio Parochi. Autumat iste, Oratorii Patres haud amplius privilegiis frui utique posse a Summis Pontificibus sibi concessis, eoquod non degant vitam communem, iuxta instructionem s. Poenitentiariae 18 Aprilis 1867 (1); dum modum et media opportuna possiderent; ceu fecerunt alii patres eiusdem Oratorii ab iniqua lege perculsi. Indubium est ex praxi ss. Congregationum quod omnia privilegia et exemptiones suspendantur ex suppressione Religiosorum, etiam iniustâ, et quod Ecclesia Oratorii transierit in Ordinarii iurisdictionem. Nam iuxta *cit. Instr. s. Poenit.* ecclesia et domus religiosorum, tunc immunitate gaudent quum Fratres *in numero ternario simul habitant Ecclesias ipsas, et domos sui Ordinis tenent.*

Ast Patres Oratorii neque communem vitam degunt, neque apud Coenobium umquam conveniunt, ad Ordinis negocia tractanda. Quamobrem arguit Parochus: quum Ecclesia Patrum in iurisdictionem Episcopi transierit, et intra suae Paroeciae limites maneat, sibi ius functiones sacras inibi peragendi absque dubio competere. Hoc autem vim accipit ex ipso facto, quod praefatae Ecclesiae nemo ex Patribus, post suppressionem, praefuit, ex auctoritate legitima deputatus, iuxta *cit. Inst. s. Poenit*: ex quo omnis controversia eliminatur quoad exercitium iurium Patrum eorumdem. Animadvertit etiam Parochus idem, ex iure communi sibi competere ius funera peragendi, *Trid. Sess. 21 de ref. cap. 13, Gloss. in Clement. Dudum de Sepult.;* emolumenta autem funerum ad Parochum pertinere ob sacramentorum administrationem, Barbosa *de cap. Paroch. 25 n. 19, 32, Schmalzgrueb. tit. 28 de sepult.* Privilegia insuper eorumdem

(1) Videsis Vol. III pag. 151. har. ephem.

Patrum attendi amplius nequeunt; eoquod ex *cit.* Bulla Gregorii XV, eadem concessa fuerint Religiosis morale corpus constituentibus: *a nonnullis annis communi sub uno et eodem coetu convenientes pia et proficua Congregationis Oratorii instituta, a s. Philippo Neri laudabiliter exercere.* Quando enim idem Pontifex concedit privilegia et iura sepeliendi, loquitur tantum Congregationi horum Patrum aut membris eiusdem in unum consociatis. Quapropter quum Congregatio haec non existat, ideo privilegiorum et iurium exercitium saltem suspensum manet. (1)

Arguit etiam Parochus quod suppressio privilegia Regularium suspendit ex *Decis.* Congregationis *Ep. et Reg. in Pisauren.* 26 Febr. 1864: Proposito enim dubio: « *An et ad quos spectet ius funeris peragendi quoad decedentes Regulares, rerum statu sic manente: respondit: Affirmative, nempe Religiosos dispersos, quoad funera, subesse Parocho loci prouti ceteri parochiani.* » (2)

Defensio Patrum. Ius tumulandi imprimis sibi vindicant Patres aiuntque, vi transactionis 24 Martii 1859, haud licere Parocho ullam peragere functionem, aut transferre cadavera in Ecclesiam Ordinis: nam Patres Oratorii coram Ecclesia adhuc existunt. Siquidem a nemine *morale corpus* destrui possit, nisi ab auctoritate a qua vitam habuit, iura et privilegia *Bald. Margar. ad Innocent. vocab. Civitas* « Civitas, Collegia, Ecclesiae, » omnia ista possunt dextrui auctoritate superioris, causâ co- » gnitâ. Si autem de facto opprimatur a praedonibus, latroni- » bus vel tyrannis capiatur et dextruatur monasterium, tamen » sine ullo corpore materiali vivit quodam intellectu; et extat » anima, ut ita dicam, sine corpore, et retinet omnia privilegia » et caetera iura quae durabunt; Piton. *Discept. eccl. n. 8;* Sua- » rez *de Leg. lib. 8.cap. 5 n. 7;* Lotter. *de re benef. lib. 1. q. 14* » *n. 108.* »

(1) Recole Acta s. Sedis vol. I. pag. 239.

(2) Animadvertas velim quod in *Pisauren.* defunctus ipse aliique Religiosi consensum praestiterint, et quod Religiosi illi habebantur ceu *saecularizati;* dum pecuniam, saltem pro quotidiana subsistentia, retinere possent, fruique libertate, qua in Religione non gaudebant. Recole vol. I. pag. 164.

Huiusmodi principio vim esse, etiamsi unus subsistat, qui iura corporis aut Collegii propria exercere valeat, *ex recepta conclusione, quod iura Collegii remanent etiam in uno, Piton. cit. disc. n. 18.* Barbosa *iu sum. Apost. verbo Collegiata n. 3,* Pignatelli *Consult. 150 n. 4. t. 9.* Parochus vero asserit, amplius non existere Patres Oratorii, quoniam inopinâ perculsi suppressione, in domos privatas sese receperint. Attamen simul ac Ecclesia Oratorii iterum aperta fuit, Patres iidem haud omiserunt sacra in eadem litare, functiones Hebdomadae sanctae precesque novendiales et triduanas peragere, confessiones sacramentales excipere, sacras supellectiles aliaque necessaria suppeditare.

Neque oportet ut Patres Oratorii in unum vitam degant, ut iuribus et privilegiis sibi concessis frui utique possint; nam praescriptiones huiusmodi veros regulares respiciunt, qui vivendo independentes et dispersi nervum rumperent ecclesiasticae disciplinae, quatenus privilegia servarent personalia. Sed longe aliter sese res habent quoad Congregationem presbyterorum saecularium, uti sunt Patres Oratorii; qui nullo ligantur neque solemni neque simplici voto; quique cum domo propriâ carerent, privatas domos petere coacti sunt; parati tamen in communem remeare domum, quando temporum adiuncta id sinant.

Ostendere praeterea curant Patres, vigere adhuc transactionem diei 14 Martii 1859 etiamsi, ceu suppressa, haberi velit eorumdem Congregatio. Ecclesia enim s. Philippi, quidquid de coetero sit, etiamnum exemptione gaudet a quacumque iurisdictione paroeciali, iuxta cit. Bullam diei 21 Aprilis 1723. Idque ita verum iudicatum est ab adversa parte, ut ad evincendum praetensum ius funerandi, recursum habuerit ad consuetudinem. Praeterea ius tumulandi in ista ecclesia, probatur ab existentia antiquorum sepulchrorum inibi existentium. Quod si transactio servanda sit, tunc sequitur quod Parochus possit peragere functiones funebres tantum usque ad *non intres;* et quod ecclesiae tumulanti cedere debeant emolumenta funeraria, excepta *quarta.* Praeter Canonistas, etiam s. Rota docuit, exercitium funebris ritus, innuere iurisdictionem; *Decis. coram de Magno n. 3.....*

« Cum ius funebria solemnia explendi importet iurisdictionem;
» cum iurisdictio exerceri non possit in locis et ecclesiis legitime
» exemptis, ea necessitate descendebat admitti non posse »...

Autumant Patres omnia emolumenta funeraria, excepta quarta, sibi competere ex ipsa transactione: *ecclesiae tumulanti debentur omnia funebria emolumenta, excepta quarta Parocho solvenda, cap. ex parte de sepult. Clement. dud. cit. tit.* Et ponderanda sunt, aiunt Patres, verba illa: *Ecclesiae tumulanti debentur;* ideo non rectori, sed Ecclesiae cedere debent emolumenta. Neque hic praetereundum est quod ostendit Consultor in *Urbinaten. Funerum diei 20 Martii 1880* « Quum quae-
» situm fuerit in *Forolivien. iuris fun. 16 sept. 1871* (1): An
» ecclesia Carmelitarum adhuc gaudeat iure funerandi, ita ut
» ad eius Rectorem spectet officium funebre peragere super
» cadaveribus defunctorum, in eadem sepulchrum gentilitium
» habentium; s. Congr. Concilii respondit: *affirmative* testimo-
» nio Rotae. Per saecularizationem censentur sublata privilegia
» concernentia regularitatem, in caeteris iura omnia, tam pas-
» siva quam activa manent ipsi ecclesiae. Itidem ius tumu-
» landi assertum ab hac s. Congregatione in Pergulana tametsi
» inde expulsi fuissent PP. Congregationis Oratorii. Nihil igitur
» refert an Regulares conditiones vitae regularis observent nec
» ne, cum electio sepulturae non tam illorum sit privilegium,
» quam Ecclesiae s. Petri. »

Neque opponatur quod nunc omnes condi debent in communi coemeterio; nam huic obiectioni vim adimunt innumerae resolutiones ss. Congregationum; ex quibus eruitur, erectione coemeteriorum, nil Parochis detractum, aut auctum fuisse; s. C. C. in *Ariminen. Iuris tumulandi et funeris 14 Martii 1825, Forolivien. iuris funerandi 16 Septembris 1871* §. *neque.*

Demonstrare tandem conantur Patres nullum esse ius Parocho functiones peragendi in eorumdem ecclesia, etiamsi considerari nolint Patres iidem ceu Rectores nati ecclesiae eiusdem;

(1) Quaestio haec relata fuit vol. VII pag. 25 harum eph. In ea a cl. me. Avanzini ample collecta sunt argumenta et declarationes quae valde proficiunt ad praesentem explanandam quaestionem.

eoquod haec exempta sit ab omni iurisdictione ex Apostolico indulto. Neque dici potest quod Parochus functiones agere possit in eadem ecclesia, ex eo quod ista reperiatur intra fines suae paroeciae; nam functiones parochiales solummodo fieri Parocho conceduntur in ecclesiis intra fines suae paroeciae positis, s. C. C. in Aesina *iurium paroch. 25 Augusti 1877.* Hinc arguunt Patres: si parochus in praefatis ecclesiis peragere nequit nisi functiones parochiales, a fortiori id affirmari poterit quoad Ecclesiam exemptam.

Hisce praeiactis, remissa fuere EE. PP. prudentiae enucleanda sequentia

Dubia

I. *An et quomodo observanda sit transactio diei 14 Martii 1859 in casu.*

Et quatenus affirmative,

II. *An et in qua summa et a qua die restituenda sint emolumenta funebria percepta a Parocho s. Ben. in casu.*

III. *An his in adiunctis competat Parocho s. Ben. ius functionandi in ecclesia PP. Philippinorum in casu.*

Resolutio. Sacra Cong. Ep. et Reg. sub die 7 Maii 1880, re perpensa, censuit respondere:

Ad primum: *Affirmative.*

Ad secundum: *Affirmative a die motae litis.*

Ad tertium: *Negative.*

Die vero 17 Septembris 1880 iterum rogata eadem s. Congregatio, ut iudicium reformaret, respondit:

In decisis et amplius.

Ex quibus colliges I. Ius sepulturae aliis Ordinibus competere ex privilegio in corpore iuris clauso, *Clement. 2 dudum v. huiusmodi,* aliis autem competere sive ex privilegiorum communicatione, sive ex specialibus constitutionibus.

II. Quum electio sepulturae sit privilegium non tam Regularium, quam ecclesiarum et civium, nil referre videtur an conditiones vitae regularis observentur nec ne ad huiusmodi manutenenda privilegia.

III. Nam si eadem, primitus forsan concessa sunt personarum intuitu, ius hoc tamen, quasi templo inhaerens, permanet etiam post illegitimam suppressionem, donec per auctoritatem sacram privilegio huiusmodi templa expolientur.

IV. Ex iurisprudentia s. C. C. quoad hanc materiam erui posse videtur, quod per saecularizationem censeantur sublata privilegia concernentia regularitatem; in ceteris iura omnia, tam activa quam passiva integra manere ipsi Ecclesiae.

V. Ideoque nil impedire quominus Patres, qui in themate ex speciali Constitutione ius sepeliendi possident, officium funebre super cadaveribus explere valeant, funerumque emolumenta percipere, cum privilegio hoc nondum ex legitima auctoritate despoliati fuerint.

VI. Pluries a s. C. C. resolutum fuisse, parocho ius tantum competere functiones peragendi parochiales, in ecclesiis intra fines suae paroeciae positis, quae tamen ecclesiae privilegio exemptionis haud gaudeant ex iure ss. canonum.



FUNERUM ET EMOLUMENTORUM (1)



Die 17 Septembris 1880.

Compendium Facti. R̃mus Pater Provincialis Minorum Observantium s. Congregationi Ep. et Reg. exposuit: quod saepe-

(1) Huiusmodi quaestio, praemoneantur lectores, parta est a lege civili quoad publica coemeteria. Attamen dubiorum, quae in hac proponuntur, sapiens enucleatio, multa compescet iurgia. Minus recte enim quamplures e clero catholico censuerunt, civilem dispositionem, quae cadavera condi iubet in publicis coemeteriis omnia immutasse iura tum Parochorum, tum Ecclesiarum ius sepulturae habentium. Quomobrem zelum propriae tuendae iurisdictionis, et forte etiam immodica auri fames, saepe animos incendit. Hinc iurgia et lites a morte ipsa originem duxerunt, ita ut etiam hisce adiunctis firmatum fuerit effatum Pigna-

numero defunctorum cadavera efferri contingat in Ecclesias Ordinis, ad functiones explendas funebres; post quas, eadem cadavera ad publicum transferenda sint coemeterium. Quoniam vero ex variis ss. Congregationum resolutionibus constat, ius Parochorum super defunctorum cadaveribus cessare, statim ac eadem cadavera in Regularium Ecclesias excipiantur, hinc dubium enatum est, cuinam ius competat huiusmodi comitandi cadavera, ex Regularium ecclesiis ad commune coemeterium. Quod dubium saepe saepius innumera gignit inter Parochos et Regulares iurgia et litigia.

Disceptatio synoptica

IURA MINORUM OBSERVANTIUM. Lantusca in suo opere *Theatrum Regularium*, verbo *Associatio cadaverum*, haec habet: « in » associatione, sive occasione associationis cadaverum non licet » Parochis ingredi ecclesias regularium, sed eadem dimittere » tenentur ad ianuam praedictarum Ecclesiarum, ibique tantum » benedicere possunt et dare iis ultimum vale, et per conse- » quens funeralia officia nonnisi a regularibus ipsis peragi » queunt. »

Ut huic principio robur addat auctor, innititur Bullae *Nuper pro parte dilecti filii Procuratoris.....* qua Clemens X confirmat decretum S. C. Ep. et Reg. nimirum non licere parochis, occasione associationis cadaverum, ingredi Regularium Ecclesias, sed teneri dimittere cadavera ad ianuam ecclesiarum; caetera vero munia in huiusmodi ministeriis per Regulares esse expedienda. Decretum a Clemente X confirmatum huius est tenoris: « Parochis in associatione seu occasione associationis cadave- » rum, non licere ingredi ecclesiam Monachorum praedictorum, » sed teneri dimittere eadem cadavera ad ianuam ecclesiarum, » ibique solum posse benedicere et dare ultimum vale; officia » vero et munia quae in huiusmodi ministeriis adhiberi solent,

telli: *Mors ipsa quae omnium controversiarum finis est, numquam est sine controversia.* Multae huic consimiles relatae sunt in his ephem. quaestiones, ut videre est Vol. I. pag. 85 Vol. V. pag. 124, 562, 598. vol. VII, pag. 25, vol. VIII 528, vol. IX pag. 20, vol. XII pag. 346

» ab ipsis monachis peragi debere, non autem a parochis.... »

Ex qua dispositione sequi videtur, parochum in ecclesiis Ordinum Religiosorum nullam conficere posse functionem; eoquod eius officium sit comitari cadavera, recitando preces a Rituali praescriptas, usque ad *non intres*. Sequi etiam videtur quod Ecclesiae tumulanti cedere debeant omnia emolumenta funeris, excepta quarta ad *formam iuris*. Quod autem Parochi exigere nequeant ab haeredibus defuncti, qui in ecclesiis regularium sepulturam elegerit, maiorem taxam, quam percipere possent si in parochiali aut in qualibet alia saeculari ecclesia sepeliri voluisset, eruitur ex decreto quod S. C. Ep. et Reg. edidit die 7 Decembris 1672. « Ad tollendas indebitas exactiones,
» quae ut proponitur in tumulandi defunctorum corporibus fieri
» solent, censuit iniungendum, prout praesentis decreti tenore
» iniunxit Archiepiscopo Brundusino, caeterisque locorum Or-
» dinariis ne permittant ut Parochi, aliique de clero saeculari,
» maiorem posthac eleemosynam, sibi attribui faciant ab hae-
» redibus defunctorum, qui in ecclesiis Regularium praedictorum
» sepulturam sibi eligerint, quam percipere possent si in pa-
» rochiali seu ipsius cleri saecularis Ecclesia sepeliri voluissent.»
Die vero 31 Augusti 1657 eadem S. C. Ep. et Reg. etiam et hoc edidit decretum... « attentis enarratis, iuxta alias resoluta,
» censuit functiones funeralium super cadavera defunctorum,
» quae in ecclesiis Regularium contigit sepeliri, postquam ad
» easdem ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares non ad Pa-
» rochos pertinere, ac proinde ita in Oratorum ecclesiis circa
» praemissa servandum esse, prout servari mandat et prae-
» cipit... ».

Sacra insuper romana Rota *Decis. cor. De Magno 13 Decem. 1858 n. 3 habet:* « Non item Patres mei confirman-
» dam censuerunt sententiam, relate ad facultatem Parochis
» tributam, sacra omnia absolvendi super cadaveribus eo-
» rum subditorum, qui in Oratorum exponuntur Ecclesia.
» Cum ius funebria solemnia explendi importet iurisdictionem,
» *cum iurisdictio* exerceri non possit in locis et ecclesiis legi-
» time exemptis, ex necessitate descendebat admitti non posse

» favore agentium Parochorum ius peragendi sacra illa, funebria
» in Ecclesia Philippinorum, exemptione usque ab anno 1723
» donata a Clemente XII. Accedit perpetua iurisprudentia, quae
» pro ecclesiis exemptis contra Parochos exequias persolvendi
» ius privativum confirmat, ut monet *Barbosa de Offic. et potest.*
» *Parochi part. 3 cap. 26 n. 80;* De Luca *de Regul. disc. 1*
» *n. 53.* »

Quam maximam pluries firmavit S. C C. uti videre est in Forolivien. *Iuris funer. 16 Septem. 1871:* « An Ecclesia Carmelitarum adhuc gaudeat iure funerandi, ita ut ad eius rectorem spectet officium funebre peragere super cadaveribus defunctorum, in eadem sepulchrum gentilitium habentium, respondit, *Affirmative.* » Et in §. *Neque* eiusdem quaestionis legitur: « Ecclesiae, quae iure sepeliendi pollebant, nunc ius istud exercent in publico coemeterio, quod sane non impedit quominus funerum emolumenta percipiant, et officium funebre super cadaveribus explere valeant. »

Et in *Siracusana funerum* 24 Febr. 1872 eadem S. C. C. §. *Quibus* habet: « Quibus omnibus si addatur centies ab hoc s. Ordine definitum esse, erectione coemeteriorum, locum sepulturae tantum materialiter et physice mutatum esse, non vero ius sepeliendi, quod ideo integrum mansisse censuit, rem ad evidentiae apicem pervenisse in propatulo est. »

Iura Parochorum. Favore istorum animadvertendum est, sacros canones adsistere Parochos iurisdictionem habentes, et iura parochialia super omnes qui intra fines paroeciae decedunt, *Decret. cap. Fraternitatem de sepulturis,* Barbosa *de offic. Parochi par. 3 cap. 26 n. 66.* Et quamvis iura haec exerceri a Parochis nequeant in Ecclesia aut in Regularium Coenobio, tamen cum cadaver ab ista Ecclesia aut Coenobio exeat, ut ad coemeterium deferatur, prior reviviscit iurisdictio in territorio, *ob facilem uniuscuiusque rei ad sua principia regressum,* aut quia *locus regit actum,* iuxta adagium forense.

Quoad alia dubia in calce exposita cum Vecchiotti, nuper vità functo *Instit. Can. Vol. 2 cap. 5 §. 62* adnotabimus: « Quaestio hic sese offert quae ab ipsa lege de coemeteriis pu-

» blicis lata oritur. Quaeritur an regulares post peractum in
» propria ecclesia funebre officium, Parochum Ecclesiae, intra
» cuius fines situs est Conventus, accersere debeant, ut cadaver
» ad coemeterium comitetur; vel an possint ipsi, irrequisito re-
» ctore, funus agere? Patres Ordinis Praedicatorum S. C. Con-
» gregationem adierunt et sequentia dubia solvenda proposu-
» erunt: 1. An expleto officio super Regularis cadavere,
» Parochus Metropolitanae ecclesiae vocari et interesse debeat
» cum stola in solemni associatione eiusdem regularis ad pu-
» blicum coemeterium in casu? 2. An ista funeris processio
» ordinanda sit sub et praeeunte cruce metropolitanae, seu pa-
» rochialis Ecclesiae in casu? Et quatenus affirmative ad 1 et
» 2; 3. An Parochus debeat *deponere stolam* prope sepulchrum
» Regularium, vel potius officium iam incoeptum perficere in
» casu et *quatenus negative ad 1 et 2;* 4. An sine parochi inter-
» ventu possint Regulares ordinare processionem cum stola et
» cruce conventuali usque ad sepulchrum, vel potius utrumque
» signum deponere debeant in transitu per paroeciam, resumen-
» dum postea in coemeterio in casu? Sacra Congr. respondit:
» Ad 1 et 2 negative in omnibus dummodo cadaver deferatur
» absque solemni pompa, recto tramite, ad *coemeterium a fa-*
» *milia regulari proprii conventus tantum.* Ad 3. *provisum in*
» *praecedentibus.* Ad 4. *affirmative ad primam partem cum*
» *conditionibus uti in praecedentibus cum stola ac cruce conven-*
» *tuali tantum, negative ad secundam.* Ex decisione, quae re-
» spicit funus defuncti regularis, argumentum duci potest, ut
» idem prorsus affirmetur de funere saecularis, qui apud regu-
» gulares electum sibi, vel gentilitium sepulchrum habet. »

Hinc a paritate argumentum trahens dici posse videretur: ex quo Parocho vetatur ingredi Ecclesias regularium cum cruce et stola, ius istud denegandum esse etiam Religiosis videretur; Pignatelli *Consult. Canonic. Tom. 3. can. 48. n. 49. n. 19.*

Hisce praeiactis, remissum fuit Emorum PP. scientiae decernere quonam responso dimittenda essent sequentia

Dubia.

I. *An et cui ius competat comitandi cadavera ab Ecclesiis Regularium, quo collata fuere ad explenda funebria, ad commune coemeterium, ubi sepeliri debent.*

II. *An Parochi ius habeant percipiendi emolumenta, quae ab haeredibus dantur Sacerdoti ista comitanti cadavera ad coemeterium.*

III. *An Religiosi in associatione cadaverum, de quibus agitur, accersere debeant Parochum pro comitandis defunctis ad coemeterium.*

IV. *An Regulares incedere possint cum Stola et Cruce conventuali usque ad sepulchrum, sive autem utrumque signum deponere debeant in transitu per paroecias, resumendum postea in coemeterio?*

Resolutio. Sacra Congr. Ep. et Reg. sub die 17 Septembris 1880, re discussa, censuit respondere.

Ad I *Affirmative favore Regularium.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam sine pompa et recto tramite.*

Ex quibus colliges:

I. Ex lege quae iussit cadavera esse tumulanda apud publica coemeteria, pro nihilo derogatum fuisse iuri quo ecclesiae potiuntur, tum funeris peragendi, tum emolumentorum percipiendorum.

III. Hinc, ut alias innuimus, ex erectione coemeteriorum, locum sepulturae tantum materialiter immutatum fuisse, iura vero omnia sarta tectaque mansisse.

III. Ideoque si ex civili dispositione, cadaveris depositio in Ecclesiis praepedita fuerit, funebris autem eius deductio et expositio cum aliis parentalium actis illaesa manserunt.

IV. Coemeteria namque publica subrogata fuisse singularum ecclesiarum sepulchris; ita ut Ecclesiae quae fruuntur tumulandi iure, istud exercere valeant in subrogatis coemeteriis.

V. Quamobrem, ceu olim omnis Parochi iurisdictio in cadavera ad ianuas cessabat Ecclesiae Regularium, ius sepulturae possidentis, sic etiam nunc cessare oportet eamdem iurisdictionem, cum nihil in iure immutatum fuerit.

VI. Et ideo deposito feretro ad limina praefatae Ecclesiae, dictoque ultimo vale, Parochos sese ingerere non posse in iis ministeriis, quae postea super cadaveribus peragenda sunt.

VII. Quapropter cum in Regularium iurisdictionem transierint cadavera, in eorumdem Ecclesias, causâ sepulturae, delata, exurgit quod officia muniaque omnia, usque ad publicum coemeterium, ad Regulares spectent: quum Parochi iurisdictio iam perempta reviviscere nequeat.

VIII. Sequi etiam quod parochis non debeantur emolumenta quae Sacerdoti dantur ab Haeredibus cadavera comitanti ad coemeterium; et quod Regulares accersere Parochos non teneantur pro huiusmodi cadaveribus ad publica coemeteria comitandis.

IX. Religiosos autem ad publicum coemeterium cadavera comitantes, posse incedere, per paroeciae limites transeuntes, cum stola et Cruce conventuali, dummodo sine pompa et recto tramite incedant.

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

Sacra Poenitentiaria infrascriptas declarationes, iam alias editas occasione Iubilaei anno 1879 indicti, etiam pro Iubilaeo vertentis anni 1881, de mandato SSmi Domini Nostri Leonis Papae XIII renovat atque confirmat. (1)

I. Ieiunium pro hoc Iubilaeo consequendo praescriptum adimpleri posse etiam tempore quadragesimae, dummodo fiat

(1) In commodum eorum qui Volumen XI non habent, referimus has declarationes ibi iam relatas p. 527.

extra dies in Litteris Apostolicis exceptos et adhibeantur cibi tantum esuriales, vetito usu, quoad qualitatem ciborum, cuiuscumque indulti seu privilegii etiam Bullae Cruciatae.

II. Christifidelibus cum Capitulis, Congregationibus, Confraternitatibus nec non cum proprio Parocho aut Sacerdote ab eo deputato Ecclesias pro lucrando Iubilaeo processionaliter visitantibus, applicari posse ab Ordinariis Indultum in Litteris Apostolicis iisdem Capitulis, Congregationibus etc. concessum.

III. Una eademque Confessione et Communione non posse satisfieri praecepto paschali et simul acquiri Iubilaeum.

IV. Iubilaeum quoad plenariam Indulgentiam, bis aut pluries lucrifieri posse, iniuncta opera bis aut pluries iterando; semel vero, idest prima tantum vice quoad favores eidem Iubilaeo adiunctos, nempe absolutiones a censuris et casibus reservatis, commutationes aut dispensationes.

V. Ad iniunctas visitationes exequendas designari posse etiam Capellas et Oratoria, dummodo sint publico cultui addicta et in iis soleat Missa celebrari.

VI. Visitationes ad lucrandum Iubilaeum indictas, dummodo praescripto numero fiant, institui posse pro lubitu Fidelium sive uno sive diversis diebus.

VII. In hoc etiam Iubilaeo locum habere, sine ulla exceptione, resolutiones dubiorum ab ipsa s. Poenitentiaria pro Ordinariis Italiae editas sub die 1 Iunii 1869.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae in sacra Poenitentiaria die 25 Martii 1881.

A. CARD. BILIO POENITENTIARIUS MAIOR

Hip. Can. Palombi s. Poenitentiariae Secretarius.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM

Corduben. Canonizationis Beati Ioannis Baptistae a Conceptione Fundatoris Ordinis excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemtionis captivorum.

SUPER DUBIO

« An constet de instantanea perfectaque sanatione Paschalis Gasbarri a phthisi pulmonali in casu et ad effectum de quo agitur ? »

Arctam mandatorum Domini viam, quae ducit ad vitam, beatus Ioannes Baptista a Conceptioue a prima ingressus adolescentia, dilatante cor Spiritus Sancti gratia, feliciter cucurrit in Ordine Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum. Cum vero Christi caritas suo iugiter diffunderetur in corde, ut vita Iesu suo etiam manifestaretur in corpore, poenitentiae austeritatem vitae innocentia coniungens, severiorem disciplinam ac paupertatem inter confratres quoque restituendam suscepit, pluraque rigidioris observantiae coenobia instituit. Impletum inde quod Sancta Teresia novennem eum intuita praenuntiaverat : futurum scilicet sanctum insignisque familiae Patrem. Postquam itaque accuratissimo examine iuxta canonicas constitutiones de virtutum eius praestantia, ac miraculis eo intercedente a Deo patratis constitisset, Venerabilem Ioannem Baptistam solemni Decreto sa. me. Pius VII anno MDCCCXIX ad Beatitatis honorem provexit. Novis vero signis post eius beatificationis solemnia Deus servum illustrare dignatus est. Interea Postulatores sacrae Rituum Congregationi discutiendam proposuere sanationem, quam, intercessore Beato Ioanne Baptista, obtinuit Paschalis Gasbarri e castro Sancti Petri Praenestinae Dioeceseos mense Iunio anno MDCCCLXIV. Hic enim phthisi pulmonali iamdiu tabescens, a medicis iam deploratus, cum animam ageret, invocata Ioannis Baptistae ope, e mortis faucibus quodammodo eripitur, ac illico sanatus ita perfecte est, ut postero die ad campestrium laborum exercitium alacriter redierit. Primo itaque de huiusmodi prodigiosa sanatione actum est in antepraepara-

torio conventu coram Reverendissimo Cardinali Aloisio Bilio Episcopo Sabinensi Causae Relatore XII Kalendas Augusti anno MDCCCLXXIV, deinde discussum de miraculo fuit in Congregatione praeparatoria coram Reverendissimis Cardinalibus sacrae Rituum Congregationi praepositis in Aedibus Vaticanis IV Nonas Martii anno MDCCCLXXIX. Novissime tandem Idibus Aprilis superioris anni in generalibus comitiis tam Reverendissimorum Cardinalium sacris Ritibus praepositorum, quam Patrum Consultorum, coram Sanctissimo Domino Nostro **LEONE PAPA XIII** in Apostolico Vaticano Palatio congregatis, ab eodem Reverendissimo Cardinali Causae Relatore propositum fuit Dubium: « *An constet de instantanea perfectaque sanatione Paschalis Gasbarri a phthisi pulmonali in casu et ad effectum de quo agitur?* » « Excepti vero tam Reverendissimorum Cardinalium, quam Patrum Consultorum suffragiis, Sanctissimus Dominus Noster pro sua sapientia in aliud tempus Decretum differendum censuit, quo rem omnium gravissimam maturius secum ipse perpenderet, divinumque interea lumen deprecaretur. Ferventioribus autem fusis ad Deum precibus hisce diebus, quibus apparuit gratia Salvatoris omnibus hominibus, solemni hoc festo Circumcisionis Domini Nostri Iesu Christi sententiam suam edicere statuit. Postquam igitur divina mysteria religiosissime in privato sacello operatus est, nobiliorem Vaticanam aulam ingressus et solio sedens, advocatis Reverendissimis Cardinalibus Dominico Bartolini sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et Aloisio Bilio Episcopo Sabinensi Causaeque Relatore, nec non R. P. Laurentio Salvati sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus, pronunciavit: « *Constare de miraculo in secundo genere a Deo, intercedente beato Ioanne Baptista a Conceptione patrato, instantaneae perfectaeque sanationis Paschalis Gasbarri a phthisi pulmonali confirmata.* » Atque hoc Decretum in Acta sacrorum Rituum Congregationis deponi, et publici iuris fieri mandavit Kalendis Ianuarii anno MDCCCLXXXI.

D. Card. Bartolinius S. R. C. Praefectus.

Loco ✠ Sigilli

Placidus Ralli S. R. C. *Secretarius*

APPENDIX VII.

IN QUA PLURA REFERUNTUR DECRETA S RITUUM CONGREGATIONIS

GALLIARUM

Sacerdos Tertiarius Ordinis sancti Francisci qui, nullius Ecclesiae servitio specialiter addictus, uti potest privilegio se conformandi Kalendario franciscano pro recitatione divini Officii et Missae celebratione, iuxta Decretum sacrae Rituum Congregationis die 2 Augusti 1694; potestne quoad Officium et Missam celebrare Festum Kalendarii suae Dioeceseos, si hoc festum est magnae devotionis v. g. Festum omnium Sanctorum, Dioecesis vel Patroni Civitatis natalis, prouti habetur in proprio dioecesano?

Sacra eadem Congregatio rescribendum censuit: Negative, nisi agatur de iis festis Dioeceseos, quae etiam Religiosis praefati Ordinis Minorum Sancti Francisci, tenore ipso specialium rubricarum aut decretorum praescripta sunt. Atque ita rescripsit die 9 Iunii 1877.

MAURIANEN.

Rm̃us Dñus Michael Rosset Episcopus Maurianen. sacrorum Rituum Congregationi humillime insequentia Dubia dissolvenda proposuit, nimirum:

Dubium I. In Dioecesi Maurianensi sicut in fere omnibus Galliarum Dioecesibus, invaluit usus non adhibendi Patrinum et Matrinam dum Confirmationis Sacramentum ministratur adultis. Re quidem vera, non absque difficultate et incommodo induceretur necessitas semper adhibendi Patrinum et Matrinam, quum pleraeque Dioeceses sint amplissimae, et Confirmatio non possit frequentius quam singulis trienniis vel etiam quinquenniis aut rarius in unaquaque Paroecia ministrari: unde Confirmandi sunt valde numerosi. Quaeritur, an Episcopus Orator, tuto acquiescere possit consuetudini immemorabili non adhibendi Patrinum vel Matrinam?

Dubium II. Quaeritur etiam utrum Episcopus praedictus permittere possit, ut in sua Dioecesi erigantur Confraternitates, Altaria, Oratoria, tam publica quam privata sub nomine Dominae Nostrae vulgo *de la Salette* expresse hoc nomine?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente infrascripto Secretario, rescribere censuit:

Ad I. Orator recurrat ad Sacram Universalem Inquisitionem.

Ad II. Affirmative; sed in approbatione Confraternitatum sub titulo B. M. V. vulgo *de la Salette* servetur conditio expressa in superiori decreto N. 5692 ad Dub. III. Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 7 Iulii 1877. (1)

(1) Habes decretum hoc Vol. XI. pag. 509.

CASERTANA

Nonnullis abhinc annis in Casertana Dioecesi quaestio orta est Parochos inter et Capellanos Confraternitatum, quae publicum proprium Oratorium a Parochiali Ecclesia seiunctum habent, ad quem spectet facere officium funebre super cadaveribus, quae ad Confraternitatum Oratoria deferuntur, ad Parochum nempe aut ad Capellanum? Parochi contendunt huiusmodi officium facere ad ipsos spectare, quando defunctus est proprius subditus, iuxta Decretum sacrorum Rituum Congregationis, quae in una Urbis et Orbis sub die 10 Decembris 1703 ad Dubium: An ad Parochum spectet facere Officium funebre super cadaveribus in Oratoriis publicis Confraternitatum? Respondit: affirmative; quando tumulandus est subditus Parochi, intra cuius fines est Oratorium.

Capellani vero opponunt Decretum ab ipsa sacra Rituum Congregatione in Mexicana sub die 3 Septembris 1746 emissum in quo statutum legitur quod, si cadaver deferatur ad Ecclesiam a parochiali diversam, ad Rectorem seu Capellanum huius Ecclesiae, non vero ad Parochum spectat officium funebre facere super corpus defuncti.

Hisce expositis, Rm̃us Dominus hodiernus Episcopus Casertanus ab eadem sacra Rituum Congregatione petiit insequentium Dubiorum solutionem, nimirum:

Dubium I. Utrum primo aut secundo Decreto standum sit in exposita controversia, ut sic liti Parochos inter et Capellanos Confraternitatum finis imponatur?

Dubium II. Utrum sub nomine Ecclesiae, ut in secundo Decreto etiam publica Confraternitatum Oratoria conprehendantur?

Sacra porro eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad I. Stetur Decreto diei 10 Decembris 1703.

Ad II. Provisum in primo. Atque ita rescripsit et servari mandavit die 7 Iulii 1877.

TREVIREN.

Rm̃us Dñus, Ioannes Iacobus Idrast Episcopus Castoriensis Auxiliaris Trevirensis Ssm̃o Domino Nostro Pio Papae IX exposuit quod Canonici et Vicarii omnes, duobus exceptis, aetate iam provecti sunt, ita ut pauci Missam conventualem cantare possint, quatuor autem ita infirmitatibus laborent, ut ne Missam quidem celebrent. Quum autem Orator, qui simul Canonici munere fungitur, iuxta Concilium provinciale Coloniense anno 1860 ad celebrationem Missae cantatae et Vesperarum, quae ei ex ordine sive turno in propria hebdomada incumbit, alium in sui locum subrogare obligatus sit, id quod ob circumstantias praedictas vix fieri possit, et cum difficultates istae de die in diem augeantur, quia modernae leges impediunt ne defunctis vel aegrotis Canonicis et Vicariis aliis substituantur; hinc Ssm̃um eumdem

Dominum Nostrum de consensu Rm̃i Archiepiscopi Coloniensis instantissime rogavit, ut ipsi licentia hasce Missas cantatas ac Vesperas celebrandi clementer concedatur.

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione expositorum a subscripto Secretario facta rescribero rata est: Attentis ac durantibus circumstantiis in defectu Canonici ad servitium Altaris ad quod teneretur Orator, ipse destinet aliquem de numero Beneficiariorum vel alium de Clero. Atque ita rescripsit et indulsit die 7 Iulii 1877. (1)

SOCIETATIS PRESBYTERORUM SS. SACRAMENTI.

Hodiernus Praepositus Generalis Presbyterorum Congregationis Ssm̃i Sacramenti sacrorum Rituum Congregationi insequentia Dubia dissolvenda proposuit, nimirum:

Dubium I. De iure licet addere Commemorationem Ssm̃i Sacramenti in Missis privatis in Ecclesiis ubi Ssm̃um Sacramentum remanet expositum, an ista Commemoratio sit omnino omittenda in Festis Domini Nostri Iesu Christi v. g. in Missis de Mysteriis Passionis, in Feriis VI in Quadragesima, per Octavam Paschatis, Ascensionis, Transfigurationis etc?

Dubium II. in quibusdam locis coram Ssm̃o Sacramento cantantur haec verba: *Adoremus in aeternum Ssmum Sacramentum,* an retineri possit talis usus cum istorum verborum sensus appareat non omnino clarus et sit forte minime rectus?

Dubium III. Festum anniversarii Dedicationis Ssm̃i Salvatoris die IX Novembris occurrens, ex benigna Sanctae Sedis concessione, in Congregatione praedicta celebratur sub ritu Duplicis primae classis cum Octava: quaeritur ergo an in occurrentia huius Festi cum anniversario Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, postremum hoc festum sit transferendum vel potius omittendum; et quatenus transferendum, an praecedentiam habere debeat erga Festum s. Andreae, cuius officium in tali casu transfertur, ratione Dominicae primae adventus?

Dubium IV. An liceat Alumnis praedictae Societatis audire in sacro tribunali Confessiones, adhibita tantum stola violacei coloris, sed sine superpelliceo?

Dubium V. Utrum ipsi in publicis Processionibus incedere debeant immediate ante clerum saecularem et post Ordines Regulares ex. gr. sanctorum Francisci et Dominici, vel ante illos?

Dubium VI. An Minister in Missa privata iuxta de causa ad altare, ubi Ssm̃um Sacramentum est expositum, celebrata, debeat, prout tenet Illm̃us Gardellini genuflectere utroque genu, vel solum uno, quoties transit, intra Missam ante medium Altaris, praecipue cum transfert librum ante Evangelium, et post sacras oblationes?

Sacra vero eadem Congregatio, referente Secretario, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa ac considerata, propositis Dubiis rescribendum censuit:

(1) Quod sequeretur decretum prostat Vol. XI pag. 575.

Ad I. Commemorationem fieri posse iuxta alia Decreta dummodo Missa non versetur in eodem mysterio.

Ad II. Retineri posse.

Ad III. Dummodo presbyteri Societatis Ssmi Sacramenti in Civitate Episcopali degentes Ecclesiam consecratam minime habeant, ad primam partem affirmative ad secundam, provisum in prima; ad tertiam, serventur translationis regulae.

Ad IV. In Ecclesia servetur Rituale Romanum.

Ad V. Affirmative ad primam partem, quatenus ipsi intersint publicis Processionibus cum superpelliceo et bireto clericali, ad reliqua provisum in prima parte.

Ad VI. In accessu et recessu utroque genu, intra Missam unico genu. Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 7 Iulii 1877.

NEO-EBORACEN.

Director quarumdam Ephemeridum Catholicarum, quae typis cuduntur Neo-Eboraci, a sacra Rituum Congregatione declarari petiit num prohibitum sit in libris nuncupatis *Devotionis* textui latino Ordinis Missae, ac praesertim Canonis, addere versionem in lingua vulgari? sacra vero Rituum Congregatio, referente infrascripto Secretario, audito voto R. P. D. Laurentii Salvati S. Fidei Promotoris, declarare censuit: Libros eorumque versiones in lingua vernacula, de quibus agitur, a canonicis praescriptionibus et Apostolicis Decretis, Episcoporum auctoritati omnino reservari; ideoque licitum non esse Fidelibus horum uti editionibus, nisi istae expressam praeseferant Episcoporum adprobationem. Atque ita declaravit die 4 Augusti 1877.

ORDINIS PRAEMONSTRATEN.

Iosephus Willestren Abbas nec non totus Conventus Monasterii Montis Dei Ordinis Praemonstratensis in Dioecesi Baiocensi in Gallia humiliter exponunt se vi statutorum Ordinis sui adstringi sub mortali in choro, ad recitationem Officii Defunctorum die 2 Novembris, item ad recitationem Litaniarum in die s. Marci ac triduo Rogationum. Eadem vero statuta tacent de privata recitatione ex parte eorum qui sunt extra Monasterium. Quaeritur igitur ad tollendas anxietates, an ipsi aliunde teneantur sub aliquo peccato ad privatam huiusmodi recitationem?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, rescribere rata est: Affirmative, id est teneri prout tenentur quotquot Horas Canonicas recitandi onus habent. Atque ita declaravit die 4 Augusti 1877.

GEBENNEN.

R. D. Iosephus Andreas Broquet Rector seu Vice-Parochus in Civitate Genevensi de venia Rmi sui Ordinarii Dioecesani exposuit Sacrae Rituum Congregationi Ecclesiam Matricem paroeciae sub titulo S. Germani Antisiodorensis a novis haereticis, quos catholicos liberales vocant, usurpatam ac profanatam fuisse, sedemque paroeciae ab

hac ad aliam Ecclesiam recenter erectam et tantum benedictam, sed non consecratam sub titulo Ssm̃i Cordis Iesu fuisse translatam, unde instanter petiit:

I. Utrum Festum Ssm̃i Cordis Iesu sub ritu duplici primae classis cum Octava, tamquam titulare sit celebrandum?

II. Utrum adhuc servari debeat Festum S. Germani sub ritu primae classis cum Octava?

III. An de utroque titulo suffragium sit faciendum?

IV. Quis nominandus in Oratione: *A cunctis?* vel potius mentio fieri debeat de Patrono loci cum Ecclesia non sit consecrata?

Et quatenus responsum fuerit affirmative ad II Dubium, idem Orator enixe expetiit ut Festum dicti s. Germani, quod multis ab annis ex falsa interpretatione indulti Em̃i Cardinalis Caprara pro reductione Festorum celebratum fuit Dominica proxima insequenti, licet s. Germanus sit tantum titularis Ecclesiae, non autem Patronus loci, celebrari queat sicut antea, scilicet per Missam cantatam de s. Germano in Dominica proxima insequenti.

Sacra porro Rituum Congregatio audita relatione infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, declaravit in casu, quatenus opus sit utendo facultatibus sibi specialiter a Ssm̃o Dñ̃o Nostro Pio Papa IX tributis, indulsit ut quoad divinum Officium interim nihil innovetur; haud excluso tamen Titulari novae Ecclesiae, de quo omnia peragenda sunt iuxta rubricas, Titulares Ecclesiarum respicientes. Atque ita rescripsit die 11 Augusti 1877.

VENETIARUM

Sacerdos Ioseph Frattini Congregationis Oratorii Venetiarum, modernus in Ecclesia eiusdem Congregationis Caeremoniarum Praefectus, humillime pro opportuna declaratione Sacrae Rituum Congregationi insequentia proposuit Dubia nimirum:

In administratione Ssm̃ae Eucharistiae extra Missam a Rubrica Ritualis Romani praescribitur stola coloris Officio illius diei convenientis, quaeritur an stola coloris Officii vel Missae adhibenda sit: 1. In Feria quinta Maioris Hebdomadae; 2. In Vigiliis et feriis Quatuor Temporum, vel Feria secunda Rogationum, (vel in Feriis Quadragesimae ubi Octavae concessae sunt) quae infra octavam non privilegiatam occurrunt, si, iuxta Rubricas Breviarii et Missalis Romani, officium de Octava et Missa de Vigilia vel Feria celebratur?

Sacra porro eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: Ad utrumque servetur Ritualis Romani rubrica, et ubi vigeat consuetudo administrandi Ssm̃am Eucharistiam cum stolis albi coloris fidelibus Paschale praeceptum adimplentibus toleranda. Atque ita rescripsit die 11 Augusti 1877.

SORANA

Rm̃e Dñe uti Frater,

Sacerdos Iacobus Orlandi Abbas Parochus Ecclesiae a Sanctis Ioan-

ne Baptista et Evangelista nuncupatae, in oppido Gallinarii intra limites Dioeceseos Amplitudini Tuae concreditae a Ssmo petiit, uti Amplitudini Tuae iam notum est, quod ad satisfaciendum devotioni et pio desiderio suorum parochianorum publicae venerationi exponi possit imago B. M. V. Lauretanae illam substituendo Tabulae quae repraesentat animas Purgatorii. Patronus Capellae mutationi assensum suum praestitit sub conditione tamen quod titulus Purgatorii non immutetur, et circa statuam apponantur emblemata apta ad significandum titulum Purgatorii.

Sacra porro Rituum Congregatio, audita sententia Amplitudinis Tuae de informatione et voto requisitae, auditoque voto Sanctae Fidei Promotoris Amplitudini Tuae significandum duxit: In casu de quo agitur non requiri specialem Apostolicam facultatem, ac nihil obstare quominus Deiparae effigies super altare exponatur, dummodo caveatur ne aliquod adsit inconveniens.

Romae die 11 Augusti 1877.

Rmo Dno uti Fratri Episcopo Aquinaten. Pontis Curvi et Sorano.

ABELLINEN.

Sodalitas B. M. V. de Carmelo in oppido, cui nomen vulgo *Monteforte* infra limites Dioecesis Abellinen. a Ssmo D. N. Pio Papa IX fuit anno superiore ad Archisodalitatis iura et honores elevata. Verum aliae Sodalitates ibi existentes iura ipsius recognoscere nolunt, ideoque praecedentiam denegant. Hinc Moderatores ipsius Archisodalitatis a sacra Rituum Congregatione declarari petierunt an praecedentia in functionibus ecclesiasticis ipsi debeatur super reliquas Sodalitates, excepta Processione Ssmi Corporis Christi. Quum autem eorumdem preces fuerint in sacrorum Rituum Congregatione relatae per infrascriptum Secretarium, sacra eadem Congregatio, audita sententia Rmi Dni Episcopi Abellinen., praecedentiam declaravit Archisodalitati B. M. V. de Carmelo deberi super ceteras Archisodalitates, si quae fuerint post eam creatae, ac supra omnes Sodalitates, excepta Processione Ssmi Corporis Christi. Atque ita declaravit ac servari mandavit die 18 Aug. 1877.

PATAVINA

Per Decretum sacrae Rituum Congregationis diei 24 Novembris 1837 sa. me. Gregorius Papa XVI ad preces Rectoris Ecclesiae Sancti Nicolai in Civitate Patavina benigne indulsit ut in ea Ecclesia Festum s. Constantii Mansionarii Anconitani celebraretur die 23 Septembris sub ritu duplici minori a Sacerdotibus illius Ecclesiae servitio stricte addictis.

Quum autem pia unio vulgo appellata *dei Santesi* in praedicta Ecclesia canonice erecta per aliud decretum eiusdem S. Congregationis diei 1 Martii 1866 obtinuerit a Ssmo Dno Nostro Pio Papa IX ut festum s. Constantii ex die 23 Septembris amandari valeat cum omnibus Missis ad aliquam ex diebus ferialibus infra Octavam occurrentibus, Sacer-

dotes memoratae Ecclesiae servitio addicti sequentia Dubia eidem sacrae Congregationi pro opportuna solutione proposuerunt nimirum:

Dubium I. An secundum Decretum comprehendat, praeter celebrationem Missae etiam officii recitationem, pro Sacerdotibus Ecclesiae servitio addictis?

Dubium II. Et quatenus affirmative, utrum dies XXIII Septembris sit pro iisdem Sacerdotibus libera, ita ut ipsi debeant sequi Kalendarium Dioecesanum, et sic persolvere Officium s. Theclae V. M. pro qua tamen, vi prioris Decreti, assignata fuerat dies tertia Octobris?

Dubium III. An Sacerdotes Ecclesiae servitio strictiori addicti censendi solummodo sint Parochus et Capellanus Curatus, vel etiam duo Vicarii Coadiutores, qui etsi habeant obligationem assistendi Parochum in animarum cura, tamen ad officium duarum Ecclesiarum succuri salium quoque tenentur?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito R. P. D. Promotore s. Fidei, omnibus rite perpensis, rescribere rata est:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative; et detur Decretum in Oveten. die 11 huius mensis editum. (1) Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 18 Augusti 1877.

AQUEN.

Vicarius Generalis Rm̃i Archiepiscopi Aquen. sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna resolutione proposuit, nimirum:

Dubium I. In consecratione Ecclesiae Episcopus qui in altare Missam celebrat, induit iuxta Pontificale omnia pontificalia paramenta (seu ut intelligitur, non exceptis sandalis, chirothecis etc.) quaeritur utrum haec omnia induere debeat etiamsi Missam sine cantu celebret, sicut agendi mos est in Ordinibus conferendi sine cantu?

Dubium II. Et in casu affirmativo, utrum eadem tenenda sit agendi ratio in consecratione altaris quae fit sine consecratione Ecclesiae?

Sacra itaque Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Provisum in primo.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 15 Decembris 1877.

(1) Dabimus in proxima appendice decretum citatum Oveten.



LITTERAE in fòrma Brevis SSmi D. N. Leonis XIII quibus iterantur facultates iam concessae Ordinariis Austriaci Imperii, quoad alienationem bonorum ecclesiasticorum.

LEO PAPA XIII

Ad perpetuam rei memoriam

Quo expeditius in nonnullis negotiis ad Ecclesiae utilitatem in Austriaco imperio Sanctae Sedis Apostolicae auctoritas, per Nostrum et eiusdem Sanctae Sedis Nuncium pro tempore penes Imperialem aulam Vindobonensem, vel eiusdem Nuncii obeuntem vices, intercederet, necessarias ad praefiniti temporis spatium facultates Praedecessor Noster sa. me. Pius IX concedendas existimavit. Iam vero quum praefinitum postremae concessioni huiusmodi tempus effluxerit, a nonnullis praefati Imperii Sacrorum Antistitibus supplicatum est Nobis, ut easdem facultates in aliud tempus proferre, vel denuo concedere velimus. Nos igitur hisce annuentes precibus, Apostolicae Sedis Nuncio, qui apud aulam Imperialem Vindobonen. pro tempore existat, vel ei qui Nuncii ipsius vices gerat, necnon Archiepiscopis, Episcopis, ac Praesulibus nullius, ut vocant, dioecesis, qui in universa, qua late patet, Austriaci Imperatoris ditione continentur, exceptis tamen bonis, si quae in provinciis Italicis existant, itemque Episcopo Wratislaviensi pro parte dioecesis, quae Imperio Austriaco continetur, decennio hinc proximo duraturam facimus potestatem concedendi facultates sequentibus articulis comprehensas.

I. Archiepiscopis nimirum alienandi bona ecclesiastica usque ad summam Florenorum octo millium monetae austriacae, Episcopis vero ac praesulibus nullius dioecesis usque ad summam Florenorum sex millium eiusdem monetae, sive stabilia ea bona sint, sive in publicis nominibus consistant, adiecta tamen conditione, ut pretium ex alienatione perceptum in aliorum bonorum stabilium seu censuum acquisitionem convertatur, iisque deficientibus, pretium ipsum alia ratione fructuose ac secure collocetur, exclusa qualibet negotiatione, ex sacrorum Canonum sanctione, ecclesiasticis viris interdicta.

II. Archiepiscopis impertiendi facultatem imponendi bonis ecclesiasticis onera, quae non excedant summam Florenorum quindecim millium, Episcopis vero et Antistitibus nullius dioecesis eam-

dem impertiendi facultatem, dummodo onera excedant summam Florenorum duodecim millium, rationem tamen ac terminum praefiniendo, quo aes alienum a causa pia contractum dissolvatur. Quod si necessariae instaurationes ac melioramenta in aliquo fundo ecclesiastico occurrunt, neque aes alienum contrahi queat, et nonnisi per alicuius boni ecclesiastici venditionem necessitati provideri possit, hoc in casu concedendi facultatem venditionem perficiendi cum conditione, ut si eo pretio percepto pars aliqua supersit, eadem fructuose collocetur rationibus superius expositis. Porro, quum ex iure canonico capite – terrulas – facultas detur fundos exigui valoris alienandi, cui quidem iuris regulae nihil per has Litteras volumus innovari, licet in eodem capite onerum exiguorum impositio minime comprehendatur, ex peculiaribus tamen rationibus animum Nostrum moventibus, et ex singulari concessione in exemplum minime adducenda, facultatem impertimur imponendi ecclesiasticis bonis onera, quae tamen summam Florenorum mille non exsuperent. Huiusmodi vero tam in praesenti, quam in superiori articulo descriptas facultates minime complecti volumus bona ad mensas Archiepiscoporum, Episcoporum atque antistitum nullius dioecesis pertinentia. Quapropter quum de bonis iisdem agendum erit in casibus superius descriptis, suffraganei Episcopi propriis respective Archiepiscopis, Archiepiscopi autem et Episcopus Wratislaviensis Nobis et Sanctae Sedi immediate subiectus, necnon Praesules nullius dioecesis preces deferent ad nuncium Apostolicum, cui idcirco quemadmodum Archiepiscopis, potestatem facimus petitam impertiendi facultatem, si in Domino expedire iudicaverint.

III. Firmis manentibus ordinariis facultatibus Episcoporum et causarum piarum pro ineundis locationibus et conductionibus ad triennium, concedendi facultatem locationes et conductiones ipsas ineundi ad quindecim annos, servatis in reliquis sacrorum Canonum praescriptionibus. Ad evitandos autem abusus nonnullos, et ad obsecundandum aliqua ratione consuetudini, quae in Austriaco imperio invaluit, ut bonorum ecclesiasticorum possessores a respectivis conductoribus reditus seu praestationes in antecessum accipiant, facultatem impertiendi reditus ipsos seu praestationes percipiendi in antecessum, ita tamen, ut illae quod ad fundos urbanos non excedant summam, quae in semestri spatio a conductore debeatur; quod vero spectat ad bona rustica, dummodo summam non praetergrediantur, quae per anni spatium a conductore sit persolvenda.

IV. In casibus urgentis necessitatis atque utilitatis piae causae, in quibus ad alienationem vel onerum impositionem sine mora deveniendum sit, facultatem largiendi Archiepiscopis alienationem

perficiendi, vel aes alienum contrahendi usque ad summam florenorum sexdecim millium, eamdemque concedendi Episcopis et Antistitibus Nullius Dioecesis, non ultra tamen duodecim millium florenorum summam. In casibus vero modo expressis, quum agitur de bonis ad mensas spectantibus Archiepiscoporum, Episcoporum et Praesulum nullius Dioecesis, suffraganei Episcopi preces deferent suis respective Archiepiscopis, Archiepiscopi autem, et Episcopus Wratislaviensis Apostolicae Sedi immediate subiectus, et Praesules nullius Dioecesis postulata deferent ad Nuncium Apostolicum, quem in finem tum eidem Nuncio, tum Archiepiscopis potestatem facimus petitam facultatem concedendi, si in Domino iudicaverint expedire. Hoc ipsum pariter fieri volumus in casibus, in quibus non urgeat necessitas, et quando agatur de alienationibus sive oneribus praescriptas superius summas excedentibus. Verumtamen in omnibus et singulis casibus integram esse volumus facultatem postulationes ad Sanctam Sedem directe deferendi. Volumus praeterea ut in huiusmodi concessionibus canonicae praescriptiones accurate serventur, et praesertim Constitutio fel. rec. Pauli II praedecessoris Nostri quae incipit *Cum in omnibus,* edita die XI maii MCDLXV, ac proinde in omnibus et singulis facultatibus ab Apostolico Nuncio, sive per se immediate exercendis, sive sacris Antistitibus, ut supra statutum est, deferendis, volumus et mandamus, ut pateat ac probata sit piae causae necessitas vel utilitas, quem in finem singulis casibus tum personae, quarum intersit, tum honesti nominis et probati iudicii viri antea consulantur. Mandamus denique, ut in omnibus et singulis actis venditionis sive alienationis, atque etiam locationis ad quindecim annos mentio expresse fiat facultatis ab Apostolica Sede concessae. Haec volumus et concedimus non obstantibus fel. rec. Pauli II, et aliorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, caeterisque Constitutionibus, speciali licet mentione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV maii MDCCCLXXX, Pontificatus nostri anno tertio.

TH. Card. MERTEL

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

TRANSACTIONIS

Die 26 Iulii 1879

Per Summaria Precum

Compendium facti. Parochus B. et fratres Gorresio supplici oblato libello exposuerunt, pium sacerdotem Michaelem Antonium Clericò anno 1748 canonice fundasse in Ecclesia B.M.V. dicata Beneficium simplex. Huius beneficii iuspatronatus tum activum tum passivum reservavit favore descendentium e familia Clerico, qua extincta, ius nominandi pertinere praecepit ad Priorem Syndicum, et antiquiorem consiliarium dictae terrae. Onera autem, quibus beneficiatum gravavit reducuntur ad residentiam, celebrationem Missae quotidianae, pariter obligationem celebrari faciendi bina sacrificia in suo Anniversario, ac utriusque parentis, sacramentales confessiones excipiendi, catechesim docendi, infirmos invisendi in xenodochio degentes, pias preces recitandi, ac tandem distribuendi in pauperum levamen quotannis quamdam panni quantitatem. Demortuo beneficiato anno 1803, beneficium transiit in familiam Gorresio, forsan vi legum Gallici Gubernii, tunc temporis in Pedemonte dominantis.

Quum familia Gorresio pauper facta esset, indulta a Sede Apostolica obtinuit, quibus eidem concedebatur obligationum reductio, et facultas retinendi in administrationem dotem beneficii, ad vitam matris et fratrum Gorresio, sub conditione ut renuntiaret cuilibet iuri super fundis beneficii, quod actum est. Sciendum praeterea est quod Parochus antecessor Oratoris

anno 1833, ad tutelam onerum, inscripsit super fundos constituentes dotem Beneficii hypothecam, pro sorte 12 millium libellarum.

Hypotheca haec semper, tempore utili, renovata est et ultima vice die 17 Iulii 1876, dum bona constituentia Beneficii dotem maxima ex parte alienata essent a fratribus Gorresio et existerent penes tertios possessores. In tali rerum statu fratres Gorresio mense Maii 1876, in iudicium vocarunt Parochum coram tribunali civili, ut eum adigerent ad delendam, suis sumptibus, hypothecam indebite, ut ipsi aiebant, inscriptam. Parochus e contra nedum praetensionibus fratrum Gorresio obstitit, verum etiam eosdem reconvenit petens a tribunali, ut declararentur obligati ad onera beneficii adimplenda, quod nisi exequerentur, Parochus, eorum sumptibus, ea adimplenda curaret.

Res ita sese habebant cum ad transactionem devenerunt, qua constitutum fuit: 1. quod fratres Gorresio cedunt Ecclesiae parochiali reditum biscentum libellarum, inscribendum in libro publici debiti Status. 2. Qua de re Parochus permittit ut hypotheca deleatur. 3. Ecclesia parochialis onus assumit sibi recitare faciendi duas Missas in quolibet mense, pro anima fundatoris beneficii; et erogandi, quod ex reditu superest, in sacrum Oratorem, praecipue pro Quadragesima aut pro mense Maio, Bmae V. Mariae dicato.

Disceptatio synoptica

Ea quae transactioni opponuntur. Propositae transactionis approbationi obstat 1. voluntas testatoris, qui ipsa bona quolibet sub praetextu permutare prohibuit: et fundatoris voluntates, quae legis locum obtinent servandas, minime vero destruendas esse iura solemniter proclamant in *Can. Ult. vot. caus. 13 q. 2, L. 1 Cod. de Sacros. Eccl.* Obstat 2. deficientia fundamenti transactionis, quae nonnisi de re incerta ac dubia fieri potest, quod tam necessario requiritur, ut si fiat de re certa, ipso iure nulla ac irrita sit. *Lex. 1 ff. de transact. Lex 11 Cod. eodem.* Iamvero certum est, et ipsi fratres Gorresio id ultro admittunt, eosdem teneri ad satisfacienda onera realia adnexa beneficio

Clerico, cuius ipsi patroni sunt. Item certum est firmam stare et totum iuridicum valorem habere hypothecam, iam inde ab anno 1833 inscriptam atque iugiter renovatam ad civilium legum praescripta super bonis constituentibus dotem beneficii.

Eo vel magis quia beneplacitum Apostolicum concedi profecto haud solet, nisi iusta concurrat transigendi causa, sin minus necessitatis saltem evidentis utilitatis *Urceol. de trans. q. 23 n. 2 seq.* et dum nonnihil ab Ecclesia remittitur, aliquod etiam acquiri debet; ne forte fiat ut in Ecclesiam nonnisi detrimentum redundet, tota vero utilitas pro adversa parte quaeratur *s. Cong.* in *Benevent. Beneplaciti* 24 Ian. 1829. Quod ex ipsius transactionis natura colligitur, quae exigit, ut aliquid hinc inde remitti debeat ex *Leg. 38 Cod. de transact.* Atqui hoc minime verificatur in themate. Fratres enim Gorresio totam ex transactione utilitatem, et damnum Ecclesia persentiret.

Fortius quia et Missarum onera reducenda essent, quae etiam in posterum de facili evanescere possent, quum incertitudo fundorum, vulgo *Consolidato*, fugit neminem. Proinde beneficium Clerico quod constituebatur in bonis immobilibus, copiosum et certum fructum reddentibus, per hoc pactum fundaretur in bonis redditus tenuis et incerti.

Ea quae transactioni favent. Altera vero ex parte perpendendum est: 1. Quod haec transactio, si intimius perspiciatur, talia constituit quae apprime respondent menti fundatoris ac testatoris. Testator duo intendebat, suffragium animae suae et instructionem fidelium. Iamvero utrique providetur in proposita transactione: suffragio animae testatoris per celebrationem missarum, instructioni fidelium per praedicationem. 2. Transactio nunc est valde opportuna et verificantur omnes conditiones requisitae ad eam rite et legitime ineundam. Sane res de qua agitur dubia est. Licet enim Beneficium certo adnexa habeat aliqua onera realia, et parochus merito existimet dictam hypothecam firmam stare et habere totum iuridicum valorem, attamen res nunc est vocata in quaestionem et sub iudice lis est. Parochus ipse suam ostendit anxietatem, vocans hanc litem longam, dispendiosam et incerti exitus.

Iamvero incertus semper existimatur exitus litium et adhuc incertior est habendus, cum agitur de causa respiciente bona ecclesiastica, si nostrae aetatis spectes ingenium. Porro transactio quae fit de re valde incerta; quae litibus finem imponit et graves avertit sumptus, legitime fit ac iusta et utilis reputanda est ex firmatis in *leg. 1 Cod. de transact., leg. Causas Cod. eod. tit., leg. in summa ff. §. 11, ff. de condit. indeb.* Rocca *disputat. select. cap. 3 num. 68.* Rota *in Recent. decis. 18 n. 21 tom. 3.,* S. C. in *Firmana Transact. 18 Maii 1791,* in altera *Firmana Concordiae 21 Novembris 1807,* et in *Montis Alti Transact. 20 Februarii 1808.*

Insuper in hac transactione verificatur aliquid hinc inde remitti. Ex una enim parte fratres Gorresio renunciant aleae iudicii et certo solvunt syngrapham consolidatus, quae reddit 200 libellas annuas: ex altera, Ecclesia certum acquirit fundum, quo meliori modo testatoris voluntati prospicere potest. His omnibus accedit quod cuncti interesse habentes acquiescunt huic transactioni; quam insuper approbat Antistes, animadvertens: *neque aliter quam per propositam transactionem Patronorum indigentiae, piae fundatoris voluntatis adimplemento ac fidelium spirituali utilitati aliquatenus, attentis rerum ac temporum adiunctis, prospici possit.*

Quibus utrinque perpensis, EE. PP. iudicio remissum fuit quid in themate decernendum esset.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re discussa, sub die 26 Iulii 1879 censuit respondere:

Attentis circumstantiis et voto Episcopi, transactionem esse approbandam, facto verbo cum SSmo.

Ex Quibus colliges. I. Transactionem, stricte sumptam, significare tantum eam compositionem, qua res dubia et controversa, partium consensu, componitur, aliquâ re datâ vel promissâ, retentâ vel remissâ.

II. Auctores eamdem definire, pactionem non gratuitam de re dubia et controversa, sive lite incertâ et nondum definitâ.

III. Formam ergo substantialem transactionis esse, ut aliquid praestetur vel fiat pro remissione litis; quod tamen facere

licet donec incertus sit litis eventus, non autem quando sententia transierit in rem iudicatam.

IV. Requisitas conditiones comitari transactionem in themate; quia res dubia est et in quaestionem acta; cuius exitus incertus habendus est, et quia ab utraque parte, seu hinc inde aliquid remissum fuit.

V. Apostolicam Sedem probasse videri hanc transactionem, eo consilio, ut pro rerum et temporum adiunctis prospiceret, aliquo modo, et patronorum indigentiae et fundatoris voluntati.



REMOTIONIS IMPEDIMENTI



Die 20 Martii 1880.

Compendium facti. Alphredus cum Paulinam deperiret, persentiens patris adversitatem contra dictas nuptias, una cum sponsa profectus est Cataniam, ibique degentes sponsi a nocentibus et improbis circumventi personis, coram quodam Sacerdote extradioecesano consensum de praesenti praestiterunt. Re verumtamen cognita ab Excmo illius loci Archiepiscopo, hic illico et in Sacerdotem suspensionis poenâ animadvertit; et de contracti connubii nullitate iuvenes monitos voluit.

In patriam igitur ambo reversi sunt, ut, ad ss. Canonum tramites, optatas nuptias valerent inire. Verum cum novisset Alphredus suum genitorem, iam a die 14 dicti mensis et anni, impedimentum penes Curiam interposuisse propter magnam disparitatem aetatis contrahentium, incapacitatem Alphredi praestandi consensum ob mentis debilitatem, necnon sustinendi gravia matrimonii onera, quia rebus familiaribus destitutus, illico institit ut data inhibitio revocaretur, documentum medici adducens, quo declarabatur eumdem capacem esse omnibus frui iuribus civilibus. Quare controversia penes Curiam agitata, favore Al-

phredi dirempta est, qui liber ad contrahendum declaratus fuit.

Hanc sententiam aegre ferens pater protinus, eamdem penes Curiam, declaravit ad S. C. C. appellationem interponere. Alphredus quoque institit apud eamdem s. Congregationem exposcens, ut pro nihilo haberetur exhihita patris sui declaratio. Episcopus de voto rogatus respondit: sese probare medici sententiam, qua Alphredus declaratus fuit talis, qui omnibus iuribus frui queat. Retulit etiam parvipendendas esse patris obiectiones, utpote bono iure carentes. Obiectio enim aetatis haud attendenda videtur; quoad puellae conditionem sciendum est, istius familiam commercio addictam esse ceu familia Alphredi.

Disceptatio Synoptica

IURA ALPHREDI. Defensor itaque Alphredi sententiae confirmationem expostulat, tam quia a ss. Canonibus parentum consensus de necessitate haud requiritur in filiorum familiae nuptiis, quam quia dissensus Patris in praesenti controversia iniustus et irrationabilis est. Primum autem ut evincat, meminit ex communi DD. sententia, parentum consilium vel consensum haud requiri ut sponsalium valor sustineatur *Reiff. Ius can. lib. 4 tit. 1* §. *1 num. 24;* potiori ergo ratione eumdem minime requiri posse subdit pro matrimonio contrahendo, unde docet D. Thomas *2 2 q. 114 art. 5* quod *non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda aut aliquo alio huiusmodi.* Statim enim ac quis devenerit ad pubertatis annos, non est amplius sub potestate alterius, si sit liberae conditionis, quantum ad ea quae ad personam suam spectant; subindeque etiam invitis parentibus valet connubium inire vel religionem ingredi, prouti hac super re quaestionem instituens idem s. Doctor resolvit in *4 sent. dist. 38 q. 1 art. 1* §. *3 ad 2, et dist. 28 art. 3 ad 1.*

Quibus principiis inhaerens et ipsa Tridentina Synodus in *cap. 1 sess. 24 de reform. matrim.* illos anathemate damnat, qui sustinent matrimonia a filiisfamilias, sine consensu parentum contracta, irrita esse et parentes ea rata vel irrita facessere

posse, et S. C. facultatem concessit nuptias ineundi, licet reluctassent mater, frater, coeterique consanguinei, uti videre est in *Florentina 12 Ianuarii 1726*. Verum Doctor physicus declaravit Alphredum capacem qui possit frui iuribus civilibus; eumquė pariter pubertatis annos superasse patet ex fide nativitatis. Cum ipse igitur in tali statu reperiatur, ut liberae sit conditionis, quantum ad ea· quae ad personam suam spectant, ex genitoris dissensu haud prohiberi potest a nuptiis contrahendis, subindeque sententiam Curiae prouti iuri et praxi consonam confirmandam esse concludit.

Eo vel magis quia dissensus sui auctoris iniustus et vexatorius est ita, ut dolum et calumniam importet ex *Gloss.* in *cap. finali verb. malitiose de desponsat. impub.* Quod autem res ita se habeat, fluere dicit ex iis quae a patre opponuntur. Destitutum namque dicit filium facultatibus intellectualibus, dum Doctor Adami qui ad hoc fuerat ab Alphredo requisitus contrarium autumat, et idipsum confirmat testis Antonius e comitibus Pretiosi. Hoc pariter erui subdit a fide testium qui ad contrarium probandum fuerunt a patre inducti, licet sub eius dependentia constituti reperiantur.

Obiicit pariter genitor mediorum ad vitam sustentandam deficientiam. At sicuti in praeteritum, ita in futurum filium applicare potest. in suo officio, a quo fuit a patre expulsus ob huiusmodi matrimonium. Ceterum Alphredus in aetate iam 24 annorum constitutus ex industria et manuum suarum labore poterit necessaria vitae comparare.

Inter fabellas demum amandandam esse, prosequitur pravitatem morum puellae et disparitatem conditionis, quae item obiiciuntur. Parochus namque et plures testes fide digni, referunt puellam optimis praeditam esse moribus. Cum ergo neque disparitas conditionis, neque improbitas morum in puella, neque deficientia intelligentiae in Alphredo verificentur, concludit quod licet consensus parentum pro ineundis nuptiis requireretur, tamen ubi hic irrationabilis et vexatorius extaret, prout in themate, nihili faciendus esset, proindeque Curiae sententiam, utpote iustitiae innixam, esse a S. C. C. confirmandam.

IURA PATRIS. Ex parte Defensoris *magistrale votum* exhibetur *Ferdinandi de Valentibus*, olim s. Consistorii Fisci et R. C. A. Advocati, relatum in eius Operibus *Tom. III disc. V de re ecclesiastica.* In eo auctor probat, post Concilium potissimum Tridentinum, non esse necessarium ad validitatem sacramenti parentum consensum in matrimoniis filiorumfamilias, sed patrem adhuc ius, ut antea, habere matrimonium filio ob iustas causas impediendi. Hinc Ecclesia, Parochus et vel ipsi Iudices ecclesiastici omni vi eniti debent, ne huiusmodi matrimonia contra parentum voluntatem celebrentur, ob innumera mala redundantia in societatem; sique de re in iudicium deducta agatur, adductis innumeris iuribus et praxi, oportere semper differri celebrationem nuptiarum, ut filius tandem aliquando resipiscat.

Quod sibi feliciter accidisse idem *de Valentibus* testatur in causa penes hanc s. Congregationem, pro qua scripsit anno 1713, aiens in fine disceptationis, quod ad Dubium – *An sit locus celebrationi matrimonii?* s. Congregatio Concilii – *semper distulit huius causae resolutionem, nec matrimonium successu temporis contractum fuit* –.

Huius causae itaque *dilationem* Defensor et ipse urget, quum maiores gravioresque oppido rationes, quam illa *Ferdinandi de Valentibus*, id suadere videantur. In causa anni 1713 pater clarae prosapiae impediebat filio nuptias sibi indecoras, quia filius nubere contendebat cum Faustina Iacobilli – *quae locandis aedibus vitam, ut hospita, traducit* – licet honesta esset. Hic, praeter ambiguitatem vitae mulieris suorumque parentum, in propria domo per plures menses retinentium amasium, qui e domicilio patris effugerat, adest disparitas natalium atque aetatis: media ad vitam necessaria ex utraque parte deficiunt, ipseque sponsus tali vitio mentis laborat, ut nulla arte sibi parare possit, quod conducat ad vitae substentationem. A Tribunali etiam Civili Insulae interdictus est ob vitium mentis, neque valorem ipsarum pecuniarum callet ex. formiter in id in Curia examinatis testibus.

Quibus utrinque perpensis, remissum fuit EE. PP. decernere quonam responso diluendum esset

Dubium

An sententia Curiae M. sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re discussa, sub die 20 Marti 1881, respondere censuit:

Sententiam esse confirmandam.

Ex quibus colliges:

I. Ex divo Thoma haud servos dominis, vel filios parentibus obedire teneri quoad matrimonium contrahendum vel virginitatem servandam, quum ad pubertatis annos pervenerint.

II. Hinc ex auctoritate eiusdem Doctoris posse quemlibet vel connubium inire vel religionem ingredi, invitis quoque parentibus (1).

III. Ideo a Tridentino *Sess. 24 cap. 1 de ref. matr.* anathemate perculsos fuisse sustinentes matrimonia filiorumfamilias sine parentum consensu inita esse irrita, eoque parentes rata vel irrita facere posse.

(1) Pallavicinus *Hist. Conc. l. 22, cap. 4* refert inter Patres diu multumque disputatum fuisse quid esset statuendum quoad matrimonia filiorumfamilias, sine consensu parentum contracta. Postulabant Episcopi Galli ut s. Synodus irrita declararet huiusmodi matrimonia inita a masculis ante an. 18, a foeminis ante an. 15 completum. Decretum saepe ad limam revocatum fuit; sed tandem Patres decretum ediderunt « Tametsi dubitatum » non est clandestina matrimonia libero » contrahentium consensu facta, rata et » vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia » ea irrita non fecit et proinde iure damnandi sunt illi, prout sancta Synodus » anathemate damnat, qui ea vera ac » rata esse negant, quique falso affir» mant matrimonia a filiisfamilias, sine » consensu parentum contracta, irrita » esse, et parentes ea rata vel irrita fa» cere posse, nihilominus sancta Dei Ec» clesia ex iustissimis causis ea semper » detestata est et prohibuit. » In quo decreto particula *nihilominus* relationem habere videtur ad illam *tametsi;* ita ut Tridentinum detestaverit atque prohibuerit matrimonia clandestina, non ea quae ineuntur sine parentum consensu. Ista enim valida et rata pronuntiat; et absurdum foret dicere quod eodem contextu eadem detestetur et prohibeat Tridentina Synodus; quae matrimonia S. C. Concilii ipsa rata habet et confirmat.

IV. Ex iure tum civili, tum canonico repelli a contrahendis sponsalibus et nuptiis solummodo furiosos et mentecaptos, qui usu rationis omnino destituantur, secus autem si non carent omnino intellectu.

V. Iuvenem in themate, ex testimonio Medici ipsius et Episcopi, nullimode dici posse prorsus intellectu carentem, dum renuntiatur talis qui iuribus civilibus frui queat: ideoque patris oppositionem sapere dolum et calumniam.



MATRIMONII



Die 20 Martii 1880.

Compendium facti. Iam tertium aetatis suae lustrum transegerat Aloisia, ex mixto matrimonio genitoris protestantis et matris catholicae adnata, quum ditissimus iuvenis Iacobus ex parentibus Methodistis Episcopalibus natus, ex sexennali peregrinatione in Europam ad oras Americanae Civitatis N. appulit. In ea civitate tunc morabantur parentes Aloisiae, quibus iam notus erat iuvenis Iacobus. Hinc renovatâ amicitiâ, facile animum Parentum Aloisiae illexit uberrimus iuvenis census (qui vicies centenis millibus Dollaris seu argenteis coalescebat) ut virginem cum eo nuptui collocarent. Itaque Iacobus oblatus est puellae uti sponsus; qui inter electas nobilium societates iamdiu assueverat versari; quique nedum honestis sese moribus ornatum exhibebat, verum etiam religiosae virginis professioni obsequens, peramplam eidem sui cultus libertatem pollicebatur concessurum. Prae primis puella quamdam adversionem coniugio ostendere visa est, adducens sese iuniorem esse et adhuc expectare velle, ut etiam propriâ frueretur libertate. Mater vero deposuit neque sympatiae neque repulsionis sensus umquam prospexisse in filia. Quum autem

ex austera patris educatione, atque ex iuvenili aetate ad docilem et plenam obedientiam esset assueta, hinc persuasionibus et exhortationibus coniunctorum, animum ad matrimonium facile inclinavit, quin ipsa formiter repugnare eidem declarasset.

Nuptialibus tractatibus compositis, matrimonium, quod intra biennium iniri debuerat, intra sex menses, die nempe 16 Maii 1859, ita patre disponente, celebratum est ab Archiepiscopo Civitatis N. sexaginta circiter personis adstantibus. Quod ut rite procederet, dispensatio elargita est ab Archiepiscopo a disparitate cultus, assuetis tamen obligationibus quae ab Ecclesia in hisce coniugiis imponuntur, non sine Iacobi repugnantia, assumptis: nullo et alioquin de eo tempore apparente dubio, quod Iacobus non esset baptizatus.

Per integrum sexennium in individua vitae consuetudine perdurarunt coniuges, et licet mulier matrimonii consummationi obstitisse fateatur, non denegat tamen quod indulserit rebus matrimonïalibus, spe reducendi virum ad digniores habitudines; etsi numquam repererit eum perditum. Sed contra promissiones Archiepiscopo factas, filios omnes a Ministro haeretico, baptizari curavit, uxore tacente.

Cruentissima de eo tempore secessionis contentione inter status foederatos exardescente, fortuna Iacobi pessumdata est. Tunc elongari coepit a coniugalibus laribus, uxorem cum filiis saepe saepius in publicis diversoriis Civitatis N. relinquens. Tamen usque ad annum 1867 hanc vivendi rationem sustinuit Aloisia, quin divertere a marito vel cogitaret vel posset.

Hac aerumnosa perdurante conditione, Europam petere atque paternos lares, qui tunc in Gallia erant constituti, remeare percensuit; quod ut tutius exequeretur, consensum a marito obtinuit pro pretiosis monilibus, dono acceptis ab eodem, quae 25 millibus dollaris aestimabantur, vendendis. Vix exinde ad paternam domum reversa, filios a Ministro Catholico sub conditione rebaptizari studuit, eosdemque in catholicis institutis cum permagno eorum fructu atque aliorum aedificatione educari. Bonis interim mariti publicatis, periculum suberat, ne creditores eam fastidirent, et ne maritus ipse filios repeteret;

atque ut hoc evitaret discrimen, divortium petiit atque obtinuit apud americanos iudices, etiamsi non amplius primitus persequi intendisset quam puram corporum et bonorum separationem.

Decem ita annis ab eiusdem discessu ex Americanis oris praeterlapsis, ad incitationem patris, qui filiae suadebat ut novum iniret matrimonium, supplicem s. C. C. obtulit libellum, invaliditatem sui coniugii cum Iacobo declarari postulans, ex quatuor capitibus: ex defectu consensus vi metuque extorti ab eius patre; ex inadimplemento conditionis essentialis liberi exercitii religionis et catholicae filiorum educationis; ex impedimento ligaminis ob anterius coniugium Iacobi cum alia muliere, cum qua matrimonialiter convixerat, atque ex disparitate cultus, ob defectum baptismi in Iacobo, qui nunc detectus dicitur. Oratrix tunc iussa est ut iure suo uteretur coram Curia ecclesiastica competente; a qua sententiam sibi adversam obtinuit sub die 27 Martii 1879.

Disceptatio synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Mulieris defensores, descripta facti specie, quatuor in capita matrimonii validitatem inficiari student nempe 1. ex defectu consensus ob vim metumque sponsae iniuste illatum; 2. Ex conditionibus essentiali modo matrimonio adiectis, nec unquam impletis; 3. Ex defectu status liberi in D. Iacobo; 4. Tandem ex cultus disparitatis impedimento, inter coniuges existente, ex eo quod Iacobus baptizatus non est.

Ad primum caput quod attinet, edisserunt oratores, in omnibus contractibus, et maxime in matrimonio proprium verumque requiri consensum, qui de essentia est, ita ut, eo deficiente, nec ipse Deus matrimonium constituat, nec Sacramenti gratiam eidem conferre possit ceu perbelle docet *Sanchez de Matrim. lib. 2 disput. 26 n. 4 et seq.* Quare deficiente coniugum seu alterutrius coniugis consensu, matrimonium deficiat necesse est. Libero autem consensui nil magis officere edicunt, quam vim et metum quibus existentibus, matrimonium non rescinditur, sed nullimode contrahitur. *Cum locum non habeat consensus ubi*

metus et coactio intercedit; cap. 14 de Spons. Nefarium propterea edixerunt Tridentini Patres in *cap. 9 Sess. 24 de Ref. Matr.* libertatem matrimonii violare, quia maiorem desiderat libertatis consensum quam caeteri contractus: quare dum isti nonnisi ope exceptionis irritantur, illud ipso iure nullum est, si metu contrahatur: *Duran. in cap. 6 de iure prohibitis,* quia ad illud maius et perfectius voluntarium requiritur: *Pontius, de imped. matr. caus. 31 quaest. 2 et 3* §. *13* allegans D. Thomam, qui id colligit ex perpetua ratione vinculi matrimonialis, seu ex matrimonii indissolubilitate. Concinit *Schmalzgr. lib. 4 part. 1 tit. 1* §. *394.* Ex quo concludunt Oratores, matrimonia omnia vi metuque contracta, pontificio iure adeo sunt in se irrita ac nulla, ut nec cohabitatione coniugum, nec ipsa prolis susceptione validentur, quamdiu durat causa metus, nec ad perseverandum in eo quisquam cogi potest. *Cap. significasti de eo qui duxit* etc.

Atqui proprium consensum omnino defecisse in Aloisia sustinent ob vim et metum ipsi a parentibus illatum, causamque dicti metus constanter perdurasse cum matrimonium promissum, contractum, consummatum et servatum fuit. Id enim aperte fatetur actrix in supplici ad s. Sedem pro nullitate oblato libello. Quod autem haec confessio maximi habenda sit ex hoc erui potest, quia petitio ad solam conscientiae suae tranquillitatem facta et iurisiurandi religione fuerit firmata, et quia testes, omni exceptione maiores, una veluti echo, asserunt depositiones Aloisiae esse omnino fide dignas. Omnes de vi et metu Aloisiae sub iuramenti fide testantur.

Magis autem magisque vim et metum coalescere certant si factum attendas quo mulier toto nisu matrimonium consummare renuit, et nonnisi quam parentum voluntati cedere coacta fuit. Quare nulli facienda esse edicunt quae tradebat tribunalis N. iudex, scilicet fide dignis testimoniis probatum esse, Mariam ante et in actu matrimonii consensum libere praestitisse; illumque post matrimonium renovasse. Nullus enim iudicialis testis invenitur qui contradicat depositionibus patris, matris aliorumque de familia, quae omnino et prae caeteris attendendae sunt,

utpote omni exceptione maiores *etiam ubi agitur de infringendo matrimonio, eo quod* (consanguinei) *plus caeteris praesumuntur informati; Sperellus in dec. 76 par. 6 recent. n. 25, Sanchez et Coscius de sep. th. lib. 2 cap. 8 num. 32; Barbosa vol. 1 n. 130* et alii doctores.

Nullam porro mereri fidem in contrarium adductos testes, contendunt oratores, sive quia coniuges post initum matrimonium noverunt, sive quia haeretici et iudaei sunt, *tit. 20 de test. et attestat. et cap. 26 caus. 2 p. 7.*

Quin oggerere fas sit quae deponit testis Metcalfe, qui astitit celebrationi matrimonii, de apparenti laetitia Aloisiae in eodem actu ponendo; siquidem in metus causis nihil valent quae apparenter fiunt, durante causa metus, ad hoc ut metus purgatus censeri debeat: *Coscius in voto 6 de sponsal. filior. famil.* §. *30. Rota cor. Ludovis. decis. 392 num. 3, et cor. Seraphin. dec. 851 n. 6* eiusque confirmatoria 887 *num. 2 cor. eod.* - ibi - Me» tum nunquam censeri purgatum, nisi ea persona cui fuit » illatus sit constituta in plena libertate etc. et ideo ea omnia » quae possunt tribui liberae voluntati, censeri facta per metum, » non autem voluntarie, durante eadem causa metus. » Quae iuris theoria, subdunt, procedit etiamsi coniuges per plures annos simul cohabitaverint, prolemque susceperint teste *Rota in Ulixbonen. 29 Ianuar. 1646* §. *6 et seq. cor. Arguelles*, et declaravit *S. C. C. die 13 Septembr. 1629,* quae censuit, *matrimonium contractum a filia per metum, a matre illatum, esse invalidum, etiamsi mulier metum passa per plures annos post mortem matris permanserit cum marito, et filios procreaverit.*

Neque obiici posse aiunt, agi in themate de metu reverentiali, nam et ipse matrimonium dirimit, si libertatis periculum non excludit. Unde Lessius scribit *de Instit. lib. 2 c. 17: Ad metum gravem pertinet metus reverentialis, quo filius timet offensionem parentis... idem si parens aliquid importune et assidue petat.* Concinit *Pirhing. lib. 4 tit. 1 sect. 4 n. 19.* Et ratio est quia matrimonium inducit perpetuam servitutem, quae in libero homine non admittitur, nisi de eius acceptatione plenis-

sime constet; ideoque subdit Coscius *in consil. 163 litt. a: In dubio semper pro libertate respondendum est.... magis in matrimonio.*

Mittunt oratores de cohabitatione loqui, ac si metus contubernio sanatus fuisset, cum ex dictis in factorum expositione pateat metum constanter perdurasse, tum ex eo quod pater qui eumdem intulit, adhuc in vivis degit; tum ex eo quod Aloisia vix ac ab illo facultatem redeundi accepit, illico reversa est in paternam domum, ibique undecim abhinc annis vivit. Insuper pacificum et spontaneum illius contubernium cum Iacobo et nullitatis matrimonii sui scientia omnino defuerunt, quibus deficientibus, matrimonium nunquam sanari posse tradunt *Barbosa vot. decis. lib. 2 vol. 17 n. 168, Schmalzgr. lib. 4 distin. 17. n. 3 et seq., Sanchez lib. 4 disp. 18 n. 3.*

Ad secundum orationis caput descendentes Patroni sustinent, matrimonium nullum esse ex conditionibus essentiali modo eidem adiectis, nec unquam impletis. Has autem conditiones ab Ecclesia requisitas et ab Archiepiscopo impositas, verbo tenus acceptasse Iacobum claret ex eius dictis.

Iamvero cum matrimonium, praeter Sacramentum, sit contractus consensualis et bonae fidei, deficientibus conditionibus appositis, existere non potest, quamvis dispensationis factum intercesserit, quia ex una parte *dolus solummodo adfuit et defuit omnino consensus, sine quo cetera nequeunt foedus perficere coniugale: Innocentius III in suis decret.* Atqui, subdunt patroni, Aloisia accommodavit coactam suam voluntatem expositis conditionibus et qualitatibus, quae dolose a Iacobo spondebantur; ergo eius consensus fuit in radice vitiatus, et nullum vinculum peperit. Notum enim est in matrimonium quamlibet induci posse conditionem; quae autem illud in suspenso retinent, consensum excludunt, quia eiusdem substantiae adversantur. *Sanchez de matr. lib. 5 disp. 2* §. *5* - ibi - « Matrimonium ip-
» sum conditionem non recipit, bene tamen eius consensus....
» quamdiu conditio pendet, matrimonium non est. » Concinit *Sotus dist. quaest. 2 art. 1.* Attamen *Reiffenst. in cap. 2 de reg. iur. in 6* admittit matrimonium ipsum recipere conditio-

nem honestam de futuro. Quaecumque vero recipiatur doctrina, sive quae tradit matrimonium in se nullam recipere conditionem, ideoque nullum ab initio esse, sive quae tradit matrimonium posse sub conditione contrahi, ita ut valorem acquirat, conditione impleta; cum in casu nostro conditiones a Maria volitae nunquam extiterint, nec existere amplius possint, semper verum erit matrimonium hoc fuisse et esse nullum.

Ad tertium orationis caput devenientes Oratores sustinent, in iis locis in quibus Tridentinum publicatum non est, adhuc vigere matrimonium praesumptum ex longa cum muliere cohabitatione, ideoque iis in regionibus procedi ad tramites iuris communis. *De Luca lib. 4 p. 5 annot. ad S. C. T. disc. 26. n. 3*; *Sanchez de matr. lib. 3 d. 18 n. 1. et S. C. C. in Colonien. Matrimonii 22 Ianuar. 1640.* Certum autem est, neque in America, praesertim in statu Tennessee, ubi Iacobus morabatur, neque in Anglia, ubi pluribus annis vixit, Tridentinum Conc. publicatum aut receptum fuisse. Ut igitur de matrimonii possibilitate inter Iacobum et Aloisiam constet, constare prius debet, Iacobum neque praesumptum matrimonium antea inivisse cum alia muliere, secus enim ad priorem revertere debet. *Cap. 30. de sponsal.*

Atqui Iacobus ante matrimonium cum Aloisia contractum, praesumpti matrimonii ligamine vinctus erat; ergo matrimonium cum Aloisia contractum nullum est ipso iure. Quod autem Iacobus praesumpti matrimonii ligamine vinctus iam fuerat, probare nituntur ex iurato supplici libello Aloisiae ad s. Sedem, et ex eiusdem iudiciali depositione. Exposuit enim Aloisia, Iacobum plures per annos apud se retinuisse feminam cum qua ferebatur vixisse modo maritali; eodem modo vixisse itinerando per tres annos cum alia Londinensi femina. Ex quo deducunt oratores liberum statum in Iacobo defecisse, ipsique onus incumbere probationis in contrarium.

Ad quartum denique suae orationis caput gradum facientes oratores, contendunt matrimonium in casu nullum esse ex defectu baptismatis in Iacobo. Quod ut probent, recolunt quae habet *Benedictus XIV in litteris ad Cardin. Eboracensem*

sime constet; ideoque subdit Coscius
dubio semper pro libertate responden
trimonio.

Mittunt oratores de cohabitatio
tubernio sanatus fuisset, cum ex d
pateat metum constanter perduras
eumdem intulit, adhuc in vivis d
vix ac ab illo facultatem redeun
paternam domum, ibique unde
pacificum et spontaneum illius
litatis matrimonii sui scientia
cientibus, matrimonium numq
vot. decis. lib. 2 vol. 17 n.
n. 3 et seq., Sanchez lib.

Ad secundum orationis
matrimonium nullum esse
adiectis, nec unquam impl
requisitas et ab Archiepi
Iacobum claret ex eius

Iamvero cum matri
tractus consensualis et
positis, existere non
tercesserit, quia ex
omnino consensus,
coniugale: Innocen
troni, Aloisia acc
conditionibus et
tur; ergo eius
culum peperit.
duci posse con
consensum ex
Sanchez de
sum con

s VINDICIS S. VINCULI. Validitatem controversi parte sacri vinculi vindex propugnaturus, in us animadversiones disposuit, singulis adversae raphis respondens, atque singula in iisdem pa-la refutans impedimenta. Et primo quidem de et metus disserens, nullam adnotat adduci va-cur Aloisia coniugio cum Iacobo contrahendo antipathiam, quum eius mater deponat: num- potui in filia neque amoris, neque repulsionis . Iacobum; non virginitatis amorem, quia de ea nam cogitavit; non disparitatem conditionis, quia parentes Aloisiae allexit; non disparitatem cultus, nit: nobilis erat, et numquam me impedivisset n exercerem religionem. Una causa oppositionis, haec erat; *iunior eram, frui adhuc meâ cu-tate;* haec tamen oppositio facta est in princi-m, sed in spatio sex mensium quot fuerunt llam et nemini quidem ipsa patefecit repugnan-

causis oppositionis, ipsaque exclusa manifestatione e, iam patet nec violentiae locum fuisse; et revera avit violentia, profitente muliere; mei parentes nul-m fecerunt ad hoc matrimonium. Sed ab eisdem exhortationes adhibitae fuerunt, ut meum darem Ideoque si sponsa consensit, non cessit violentiae, ibus et exhortationibus.

autem umquam somniavit quod persuasiones, cohor- consilia naturam et malitiam habeant violentiae; non cogunt, sed liberam excitant voluntatem, ut ait *cons. 69 n. 15* « est consilium (auctore M. Tullio inv.) aliquid faciendi ratio excogitata. Cum consilium rium quid sit, sequi nemo cogitur. Idem dicimus de tione, quae non cogit, sed voluntatem liberam excitat . fin. dist. 4..... Quod iuste pater possit suasionibus hortationibus impedire filio, ne aliquam in uxorem , manifestum probatur, quia iuste pater suasionibus

Quibus utrinque perpensis, remissum fuit EE. PP. decernere quonam responso diluendum esset

Dubium

An sententia Curiae M. sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa, sub die 20 Marti 1881, respondere censuit:

Sententiam esse confirmandam.

EX QUIBUS COLLIGES:

I. Ex divo Thoma haud servos dominis, vel filios parentibus obedire teneri quoad matrimonium contrahendum vel virginitatem servandam, quum ad pubertatis annos pervenerint.

II. Hinc ex auctoritate eiusdem Doctoris posse quemlibet vel connubium inire vel religionem ingredi, invitis quoque parentibus (1).

III. Ideo a Tridentino *Sess. 24 cap. 1 de ref. matr.* anathemate perculsos fuisse sustinentes matrimonia filiorumfamilias sine parentum consensu inita esse irrita, eoque parentes rata vel irrita facere posse.

(1) Pallavicinus *Hist. Conc. l. 22, cap. 4* refert inter Patres diu multumque disputatum fuisse quid esset statuendum quoad matrimonia filiorumfamilias, sine consensu parentum contracta. Postulabant Episcopi Galli ut s. Synodus irrita declararet huiusmodi matrimonia inita a masculis ante an. 18, a foeminis ante an. 15 completum. Decretum saepe ad limam revocatum fuit; sed tandem Patres decretum ediderunt « Tametsi dubitatum » non est clandestina matrimonia libero » contrahentium consensu facta, rata et » vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia » ea irrita non fecit et proinde iure dam» nandi sunt illi, prout sancta Synodus » anathemate damnat, qui ea vera ac » rata esse negant, quique falso affir» mant matrimonia a filiisfamilias, sine » consensu parentum contracta, irrita » esse, et parentes ea rata vel irrita fa» cere posse, nihilominus sancta Dei Ec» clesia ex iustissimis causis ea semper » detestata est et prohibuit. » In quo decreto particula *nihilominus* relationem habere videtur ad illam *tametsi;* ita ut Tridentinum detestaverit atque prohibuerit matrimonia clandestina, non ea quae ineuntur sine parentum consensu. Ista enim valida et rata pronuntiat; et absurdum foret dicere quod eodem contextu eadem detestetur et prohibeat Tridentina Synodus; quae matrimonia S. C. Concilii ipsa rata habet et confirmat.

IV. Ex iure tum civili, tum canonico repelli a contrahendis sponsalibus et nuptiis solummodo furiosos et mentecaptos, qui usu rationis omnino destituantur, secus autem si non carent omnino intellectu.

V. Iuvenem in themate, ex testimonio Medici ipsius et Episcopi, nullimode dici posse prorsus intellectu carentem, dum renuntiatur talis qui iuribus civilibus frui queat: ideoque patris oppositionem sapere dolum et calumniam.



MATRIMONII



Die 20 Martii 1880.

Compendium facti. Iam tertium aetatis suae lustrum transegerat Aloisia, ex mixto matrimonio genitoris protestantis et matris catholicae adnata, quum ditissimus iuvenis Iacobus ex parentibus Methodistis Episcopalibus natus, ex sexennali peregrinatione in Europam ad oras Americanae Civitatis N. appulit. In ea civitate tunc morabantur parentes Aloisiae, quibus iam notus erat iuvenis Iacobus. Hinc renovatâ amicitiâ, facile animum Parentum Aloisiae illexit uberrimus iuvenis census (qui vicies centenis millibus Dollaris seu argenteis coalescebat) ut virginem cum eo nuptui collocarent. Itaque Iacobus oblatus est puellae uti sponsus; qui inter electas nobilium societates iamdiu assueverat versari; quique nedum honestis sese moribus ornatum exhibebat, verum etiam religiosae virginis professioni obsequens, peramplam eidem sui cultus libertatem pollicebatur concessurum. Prae primis puella quamdam adversionem coniugio ostendere visa est, adducens sese iuniorem esse et adhuc expectare velle, ut etiam propriâ frueretur libertate. Mater vero deposuit neque sympatiae neque repulsionis sensus umquam prospexisse in filia. Quum autem

ex austera patris educatione, atque ex iuvenili aetate ad docilem et plenam obedientiam esset assueta, hinc persuasionibus et exhortationibus coniunctorum, animum ad matrimonium facile inclinavit, quin ipsa formiter repugnare eidem declarasset.

Nuptialibus tractatibus compositis, matrimonium, quod intra biennium iniri debuerat, intra sex menses, die nempe 16 Maii 1859, ita patre disponente, celebratum est ab Archiepiscopo Civitatis N. sexaginta circiter personis adstantibus. Quod ut rite procederet, dispensatio elargita est ab Archiepiscopo a disparitate cultus, assuetis tamen obligationibus quae ab Ecclesia in hisce coniugiis imponuntur, non sine Iacobi repugnantia, assumptis: nullo et alioquin de eo tempore apparente dubio, quod Iacobus non esset baptizatus.

Per integrum sexennium in individua vitae consuetudine perdurarunt coniuges, et licet mulier matrimonii consummationi obstitisse fateatur, non denegat tamen quod indulserit rebus matrimonialibus, spe reducendi virum ad digniores habitudines; etsi numquam repererit eum perditum. Sed contra promissiones Archiepiscopo factas, filios omnes a Ministro haeretico, baptizari curavit, uxore tacente.

Cruentissima de eo tempore secessionis contentione inter status foederatos exardescente, fortuna Iacobi pessumdata est. Tunc elongari coepit a coniugalibus laribus, uxorem cum filiis saepe saepius in publicis diversoriis Civitatis N. relinquens. Tamen usque ad annum 1867 hanc vivendi rationem sustinuit Aloisia, quin divertere a marito vel cogitaret vel posset.

Hac aerumnosa perdurante conditione, Europam petere atque paternos lares, qui tunc in Gallia erant constituti, remeare percensuit; quod ut tutius exequeretur, consensum a marito obtinuit pro pretiosis monilibus, dono acceptis ab eodem, quae 25 millibus dollaris aestimabantur, vendendis. Vix exinde ad paternam domum reversa, filios a Ministro Catholico sub conditione rebaptizari studuit, eosdemque in catholicis institutis cum permagno eorum fructu atque aliorum aedificatione educari. Bonis interim mariti publicatis, periculum suberat, ne creditores eam fastidirent, et ne maritus ipse filios repeteret;

atque ut hoc evitaret discrimen, divortium petiit atque obtinuit apud americanos iudices, etiamsi non amplius primitus persequi intendisset quam puram corporum et bonorum separationem.

Decem ita annis ab eiusdem discessu ex Americanis oris praeterlapsis, ad incitationem patris, qui filiae suadebat ut novum iniret matrimonium, supplicem s. C. C. obtulit libellum, invaliditatem sui coniugii cum Iacobo declarari postulans, ex quatuor capitibus: ex defectu consensus vi metuque extorti ab eius patre; ex inadimplemento conditionis essentialis liberi exercitii religionis et catholicae filiorum educationis; ex impedimento ligaminis ob anterius coniugium Iacobi cum alia muliere, cum qua matrimonialiter convixerat, atque ex disparitate cultus, ob defectum baptismi in Iacobo, qui nunc detectus dicitur. Oratrix tunc iussa est ut iure suo uteretur coram Curia ecclesiastica competente; a qua sententiam sibi adversam obtinuit sub die 27 Martii 1879.

Disceptatio synoptica

Defensio mulieris. Mulieris defensores, descripta facti specie, quatuor in capita matrimonii validitatem inficiari student nempe 1. ex defectu consensus ob vim metumque sponsae iniuste illatum; 2. Ex conditionibus essentiali modo matrimonio adiectis, nec unquam impletis; 3. Ex defectu status liberi in D. Iacobo; 4. Tandem ex cultus disparitatis impedimento, inter coniuges existente, ex eo quod Iacobus baptizatus non est.

Ad primum caput quod attinet, edisserunt oratores, in omnibus contractibus, et maxime in matrimonio proprium verumque requiri consensum, qui de essentia est, ita ut, eo deficiente, nec ipse Deus matrimonium constituat, nec Sacramenti gratiam eidem conferre possit ceu perbelle docet *Sanchez de Matrim. lib. 2 disput. 26 n. 4 et seq.* Quare deficiente coniugum seu alterutrius coniugis consensu, matrimonium deficiat necesse est. Libero autem consensui nil magis officere edicunt, quam vim et metum quibus existentibus, matrimonium non rescinditur, sed nullimode contrahitur. *Cum locum non habeat consensus ubi*

metus et coactio intercedit; cap. 14 de Spons. Nefarium propterea edixerunt Tridentini Patres in *cap. 9 Sess. 24 de Ref. Matr.* libertatem matrimonii violare, quia maiorem desiderat libertatis consensum quam caeteri contractus: quare dum isti nonnisi ope exceptionis irritantur, illud ipso iure nullum est, si metu contrahatur: *Duran. in cap. 6 de iure prohibitis,* quia ad illud maius et perfectius voluntarium requiritur: *Pontius, de imped. matr. caus. 31 quaest. 2 et 3* §. *13* allegans D. Thomam, qui id colligit ex perpetua ratione vinculi matrimonialis, seu ex matrimonii indissolubilitate. Concinit *Schmalzgr. lib. 4 part. 1 tit. 1* §. *394.* Ex quo concludunt Oratores, matrimonia omnia vi metuque contracta, pontificio iure adeo sunt in se irrita ac nulla, ut nec cohabitatione coniugum, nec ipsa prolis susceptione validentur, quamdiu durat causa metus, nec ad perseverandum in eo quisquam cogi potest. *Cap. significasti de eo qui duxit* etc.

Atqui proprium consensum omnino defecisse in Aloisia sustinent ob vim et metum ipsi a parentibus illatum, causamque dicti metus constanter perdurasse cum matrimonium promissum, contractum, consummatum et servatum fuit. Id enim aperte fatetur actrix in supplici ad s. Sedem pro nullitate oblato libello. Quod autem haec confessio maximi habenda sit ex hoc erui potest, quia petitio ad solam conscientiae suae tranquillitatem facta et iurisiurandi religione fuerit firmata, et quia testes, omni exceptione maiores, una veluti echo, asserunt depositiones Aloisiae esse omnino fide dignas. Omnes de vi et metu Aloisiae sub iuramenti fide testantur.

Magis autem magisque vim et metum coalescere certant si factum attendas quo mulier toto nisu matrimonium consummare renuit, et nonnisi quam parentum voluntati cedere coacta fuit. Quare nulli facienda esse edicunt quae tradebat tribunalis N. iudex, scilicet fide dignis testimoniis probatum esse, Mariam ante et in actu matrimonii consensum libere praestitisse; illumque post matrimonium renovasse. Nullus enim iudicialis testis invenitur qui contradicat depositionibus patris, matris aliorumque de familia, quae omnino et prae caeteris attendendae sunt,

utpote omni exceptione maiores *etiam ubi agitur de infringendo matrimonio, eo quod* (consanguinei) *plus caeteris praesumuntur informati; Sperellus in dec. 76 par. 6 recent. n. 25, Sanchez et Coscius de sep. th. lib. 2 cap. 8 num. 32; Barbosa vol. 1 n. 130* et alii doctores.

Nullam porro mereri fidem in contrarium adductos testes, contendunt oratores, sive quia coniuges post initum matrimonium noverunt, sive quia haeretici et iudaei sunt, *tit. 20 de test. et attestat. et cap. 26 caus. 2 p. 7.*

Quin oggerere fas sit quae deponit testis Metcalfe, qui astitit celebrationi matrimonii, de apparenti laetitia Aloisiae in eodem actu ponendo; siquidem in metus causis nihil valent quae apparenter fiunt, durante causa metus, ad hoc ut metus purgatus censeri debeat: *Coscius in voto 6 de sponsal. filior. famil.* §. *30. Rota cor. Ludovis. decis. 392 num. 3, et cor. Seraphin. dec. 851 n. 6* eiusque confirmatoria 887 *num. 2 cor. eod.* - ibi - Me» tum nunquam censeri purgatum, nisi ea persona cui fuit » illatus sit constituta in plena libertate etc. et ideo ea omnia » quae possunt tribui liberae voluntati, censeri facta per metum, » non autem voluntarie, durante eadem causa metus. » Quae iuris theoria, subdunt, procedit etiamsi coniuges per plures annos simul cohabitaverint, prolemque susceperint teste *Rota in Ulixbonen. 29 Ianuar. 1646* §. *6 et seq. cor. Arguelles*, et declaravit *S. C. C. die 13 Septembr. 1629*, quae censuit, *matrimonium contractum a filia per metum, a matre illatum, esse invalidum, etiamsi mulier metum passa per plures annos post mortem matris permanserit cum marito, et filios procreaverit.*

Neque obiici posse aiunt, agi in themate de metu reverentiali, nam et ipse matrimonium dirimit, si libertatis periculum non excludit. Unde Lessius scribit *de Instit. lib. 2 c. 17: Ad metum gravem pertinet metus reverentialis, quo filius timet offensionem parentis... idem si parens aliquid importune et assidue petat*. Concinit *Pirhing. lib. 4 tit. 1 sect. 4 n. 19.* Et ratio est quia matrimonium inducit perpetuam servitutem, quae in libero homine non admittitur, nisi de eius acceptatione plenis-

sime constet; ideoque subdit Coscius *in consil. 163 litt. a: In dubio semper pro libertate respondendum est.... magis in matrimonio.*

Mittunt oratores de cohabitatione loqui, ac si metus contubernio sanatus fuisset, cum ex dictis in factorum expositione pateat metum constanter perdurasse, tum ex eo quod pater qui eumdem intulit, adhuc in vivis degit; tum ex eo quod Aloisia vix ac ab illo facultatem redeundi accepit, illico reversa est in paternam domum, ibique undecim abhinc annis vivit. Insuper pacificum et spontaneum illius contubernium cum Iacobo et nullitatis matrimonii sui scientia omnino defuerunt, quibus deficientibus, matrimonium nunquam sanari posse tradunt *Barbosa vot. decis. lib. 2 vol. 17 n. 168, Schmalzgr. lib. 4 distin. 17. n. 3 et seq., Sanchez lib. 4 disp. 18 n. 3.*

Ad secundum orationis caput descendentes Patroni sustinent, matrimonium nullum esse ex conditionibus essentiali modo eidem adiectis, nec unquam impletis. Has autem conditiones ab Ecclesia requisitas et ab Archiepiscopo impositas, verbo tenus acceptasse Iacobum claret ex eius dictis.

Iamvero cum matrimonium, praeter Sacramentum, sit contractus consensualis et bonae fidei, deficientibus conditionibus appositis, existere non potest, quamvis dispensationis factum intercesserit, quia ex una parte *dolus solummodo adfuit et defuit omnino consensus, sine quo cetera nequeunt foedus perficere coniugale: Innocentius III in suis decret.* Atqui, subdunt patroni, Aloisia accommodavit coactam suam voluntatem expositis conditionibus et qualitatibus, quae dolose a Iacobo spondebantur; ergo eius consensus fuit in radice vitiatus, et nullum vinculum peperit. Notum enim est in matrimonium quamlibet induci posse conditionem; quae autem illud in suspenso retinent, consensum excludunt, quia eiusdem substantiae adversantur. *Sanchez de matr. lib. 5 disp. 2* §. *5* - ibi - « Matrimonium ip-
» sum conditionem non recipit, bene tamen eius consensus....
» quamdiu conditio pendet, matrimonium non est. » Concinit *Sotus dist. quaest. 2 art. 1.* Attamen *Reiffenst. in cap. 2 de reg. iur. in 6* admittit matrimonium ipsum recipere conditio-

nem honestam de futuro. Quaecumque vero recipiatur doctrina, sive quae tradit matrimonium in se nullam recipere conditionem, ideoque nullum ab initio esse, sive quae tradit matrimonium posse sub conditione contrahi, ita ut valorem acquirat, conditione impleta; cum in casu nostro conditiones a Maria volitae nunquam extiterint, nec existere amplius possint, semper verum erit matrimonium hoc fuisse et esse nullum.

Ad tertium orationis caput devenientes Oratores sustinent, in iis locis in quibus Tridentinum publicatum non est, adhuc vigere matrimonium praesumptum ex longa cum muliere cohabitatione, ideoque iis in regionibus procedi ad tramites iuris communis. *De Luca lib. 4 p. 5 annot. ad S. C. T. disc. 26. n. 3*; *Sanchez de matr. lib. 3 d. 18 n. 1. et S. C. C. in Colonien. Matrimonii 22 Ianuar. 1640.* Certum autem est, neque in America, praesertim in statu Tennessee, ubi Iacobus morabatur, neque in Anglia, ubi pluribus annis vixit, Tridentinum Conc. publicatum aut receptum fuisse. Ut igitur de matrimonii possibilitate inter Iacobum et Aloisiam constet, constare prius debet, Iacobum neque praesumptum matrimonium antea inivisse cum alia muliere, secus enim ad priorem revertere debet. *Cap. 30. de sponsal.*

Atqui Iacobus ante matrimonium cum Aloisia contractum, praesumpti matrimonii ligamine vinctus erat; ergo matrimonium cum Aloisia contractum nullum est ipso iure. Quod autem Iacobus praesumpti matrimonii ligamine vinctus iam fuerat, probare nituntur ex iurato supplici libello Aloisiae ad s. Sedem, et ex eiusdem iudiciali depositione. Exposuit enim Aloisia, Iacobum plures per annos apud se retinuisse feminam cum qua ferebatur vixisse modo maritali; eodem modo vixisse itinerando per tres annos cum alia Londinensi femina. Ex quo deducunt oratores liberum statum in Iacobo defecisse, ipsique onus incumbere probationis in contrarium.

Ad quartum denique suae orationis caput gradum facientes oratores, contendunt matrimonium in casu nullum esse ex defectu baptismatis in Iacobo. Quod ut probent, recolunt quae habet *Benedictus XIV in litteris ad Cardin. Eboracensem*

9 Februarii 1749: « Communi Ecclesiae Catholicae consensu receptum est atque firmatum, ob cultus disparitatem irrita esse matrimonia. » Atqui, prosequuntur, Iacobus nunquam baptizatus est; ergo matrimonium ab eo contractum cum Aloisia puella Catholica nullum est. Quod autem Iacobus nunquam fuerit baptizatus, deducunt ex pluribus citatis documentis quae in actis prostant. Insuper, aiunt, cum baptismi collatio res facti sit, probari debet ab eo qui eam asserit, nam denegantis nullae sunt probationes, et facta non praesumuntur, sed probantur.

Accedit, in America plerumque de facto infantibus Baptisma non conferri, ceu declarant *D. Kenrik in sua dogmatica theologia tom. 3 cap. 6 §. 151*, et Konings qui scribit: « Si « *ritualistas* excipias, nulla est hic secta quae credat Baptismum esse necessarium ». Praeterea nullum collati baptismatis documentum depromi potuit.

Haec cum evidentissima sint, prosequuntur, praeteriri debent quae scripsit Curia N. circa validitatem aut nullitatem Baptismi Iacobi; non entis enim nullae sunt proprietates. Ast in damnata hypothesi, quod revera Iacobus fuerit baptizatus, pro Americanis regionibus praesumptio stat non pro validitate, sed pro nullitate Baptismi, uti eruitur ex iis quae habet Concilium Baltimorense II *cap. 2. de bapt. num. 225 §. 240:* « Haeretici » plerique cum.... (Baptismum) merae coeremoniae loco ha- » beant... ritus quosdam... sine quibus haud consistit Sacra- » menti ratio, negligere saepissime solent, ideoque eos... qui » Ecclesiae nomen dant iterum baptizari fere semper oportet. » Hoc potiori ratione procedit quoad *Methodistas,* qui, teste Daniele Curry methodistarum principe, nec credunt Baptisma necessarium, nec gratiam conferre ex opere operato.

Pro coronide pauca de filiis Aloisiae innuunt patroni, quos legitimos censendos edicunt, quia bona fide suscepti ex matrimonio licet invalido. *Cap. 2 Qui filii sint legitimi.* Bonam autem fidem unius coniugis ad hoc sufficere tradunt *Schmalzgr. part. 4. tit. 77, Reiffenst. lib. 4. tit. 17* §. *1* cum communi doctorum, et tenuit S. C. C. in *Herbipolen. Nullitatis Matrimonii die 18 Iunii 1839.*

Animadversiones vindicis s. vinculi. Validitatem controversi coniugii ex sua parte sacri vinculi vindex propugnaturus, in quatuor capita suas animadversiones disposuit, singulis adversae defensionis paragraphis respondens, atque singula in iisdem paragraphis adducta refutans impedimenta. Et primo quidem de impedimento vis et metus disserens, nullam adnotat adduci validam causam, cur Aloisia coniugio cum Iacobo contrahendo repugnaret; non antipathiam, quum eius mater deponat: numquam prospicere potui in filia neque amoris, neque repulsionis sensus, erga D. Iacobum; non virginitatis amorem, quia de ea servanda numquam cogitavit; non disparitatem conditionis, quia fortuna Iacobi parentes Aloisiae allexit; non disparitatem cultus, quia ipsa deponit: nobilis erat, et numquam me impedivisset quominus meam exercerem religionem. Una causa oppositionis, si qua fuit, haec erat; *iunior eram, frui adhuc meâ cupiebam libertate;* haec tamen oppositio facta est in principio tractatuum, sed in spatio sex mensium quot fuerunt sequuti, nullam et nemini quidem ipsa patefecit repugnantiam.

Remotis causis oppositionis, ipsaque exclusa manifestatione repugnantiae, iam patet nec violentiae locum fuisse; et revera omnino exulavit violentia, profitente muliere; mei parentes nullam mihi vim fecerunt ad hoc matrimonium. Sed ab eisdem suasiones et exhortationes adhibitae fuerunt, ut meum darem consensum. Ideoque si sponsa consensit, non cessit violentiae, sed suasionibus et exhortationibus.

Nemo autem umquam somniavit quod persuasiones, cohortationes et consilia naturam et malitiam habeant violentiae; ipsa enim non cogunt, sed liberam excitant voluntatem, ut ait *Menochius cons. 69 n. 15* « est consilium (auctore M. Tullio » l. 2 de inv.) aliquid faciendi ratio excogitata. Cum consilium » voluntarium quid sit, sequi nemo cogitur. Idem dicimus de » cohortatione, quae non cogit, sed voluntatem liberam excitat » c. ult. fin. dist. 4..... Quod iuste pater possit suasionibus » et cohortationibus impedire filio, ne aliquam in uxorem » ducat, manifestum probatur, quia iuste pater suasionibus

» et cohortationibus efficere potest, ut filius suus aliquam » ducat ».

Haec disserit defensor de consensu ante matrimonium. De eodem autem in celebratione nuptiarum adiicit, quod iuxta *Coscium de separat. tor. l. 1 c. 8 n. 54* opus esset eius defectum ostendere ex querelis, moerore, lacrimis, aliisque indiciis repugnantiam demonstrantibus. Sed ex testibus in sacro ritu adhibitis et in contrarium adductis, nullus quidpiam innuit, quod dissensum ostendat.

Hisce accedit, quod sponsos coniunxit Archiepiscopus N. quod profecto omnem removet violentiae suspicionem, eo quia Episcopus, qui custos est et vindex legum Ecclesiae, haudquaquam consensisset coniugio adsistere, quod contra voluntatem sponsae fuisset celebrandum *Ceph. caus. 91 n. 49., Caball. cons. 170 n. 10 vol. 1, Grammat. dec. 66 n. 64, Sperell. dec. 5 n. 26, Rot. Rom. dec. 188 n. 9 cor. Ludovisi – ex interventu Episcopi, seu alterius viri religiosi omnis in matrimonio cessat metus suspicio –*

Neque minus exulat violentiae suspicio ex his quae matrimonium subsequuta sunt: eoquod relationes coniugum erant bonae ceu plures inducti testes deposuerunt. Quae omnia profecto eo vel maxime confirmantur, quia haud obstante ruina fortunae mariti, non aliam ob causam sive antipathiae, sive odii, sive malae vitae Aloisia ab eo divertit, quam ut filios haberet in sua potestate, et suam dotem e iactura praeservaret; ratio haec, dixerunt parentes, effecit ut filia nostra divortium peteret.

Alterum posthac nullitatis caput ex conditionibus matrimonio adiectis, persequens vinculi vindex, praeadmonet conditiones, quas Aloisia intendebat, nimirum velle nubere viro qui bonis esset praeditus moribus, sibique permitteret liberum suae religionis exercitium, et filiorum educationem in catholica religione, easdem illas esse, quae ab Ecclesia in dispensandis mixtis matrimoniis imponuntur. Sed has conditiones Iacobus fore servaturum adpromisit, eadem actrice referente. Nemo alioquin affirmabit, quod Ecclesia has leges imponens matrimonium contrahi intendat sub conditione, ita ut valor eiusdem in suspenso maneat usque dum conditiones eaedem impleantur; id quod nonnisi

ad exitum vitae alterutrius coniugis verificari potest, quia dum uterque vivit semper lex viget, ut et liberum sit religionis exercitium, et filii educentur in fide catholica.

Ceterum ubi quoque huiusmodi obligationes tamquam conditiones essentiales fuissent impositae, ex eo etiam quod matrimonium fuit consummatum, et pluries spontanee se mulier copulae praestitisset carnali, ex tunc a conditione recessisse praesumitur, et matrimonium perfecisse perinde; ita post - *text. in cap. 7 de cond. appos. Sanchez de matrim. 1 5 disp. 8 n. 25* - Quapropter matrimonium, ubi etiam id opus fuisset, recedendo a conditione, quae certe in perpetuum pendere non poterat, renovato pluries consensu, revalidasse censenda est mulier, atque hoc eo vel maxime, ceu notat sententia Curiae N. quia haec revalidatio contigisset in locis a conciliari sanctione exemptis, ubi plurimo tempore cohabitavit cum marito.

Ad tertium nullitatis caput procedens defensor, nullum adfuisse contendit ligamen coniugii inter Iacobum et duas illas mulierculas quas enunciat Aloisia: quum utraque, si vera est eorum vitae habitualis consuetudo, fuisset concubina. Hisce adiungitur, quod iuxta leges civiles Status Luisaniae nec matrimonium cum illa prima consistere potuisset; quia cum ageretur de femina nigri coloris, non sine maximo dedecore cum ea sese Iacobus coniunxisset.

De saltatrice autem Londinensi impossibile cognitu est ubinam et quando cum ea convixit; potuit quidem eam comitem vitae habere Parisiis, Bruxellis, Vindobonae, Neapolis, Romae, ubi viget conciliaris dispositio clandestinitatem coniugii damnans et ubi etsi voluisset, nullum ex promissione coniugii cum copula maritali contrahere potuisset matrimonium.

Postremum nullitatis caput oppugnaturus vinculi defensor praemonet *ex Donella com. in l. 5. ff. de reb. dub.* « *quaedam sunt de quibus certi aliquid affirmare non possumus; sed coniectura aliqua et praesumptione res potest explicari; in his id valet, pro quo ea praesumptio facit* ». Porro tam validae sunt praesumptiones baptismum Iacobi suadentes, ut non solum (id quod satis esset ad validitatem matrimonii retinendam) dubia

sit non collatio, sed ex opposito collatio ipsa sit pro certo admittenda. Et primo quidem sese offert praecisa notitia a Iacobo data, atque ex domestica traditione recepta de suo baptismo, ubi adiungit etiam perspicuam designationem ritus et fidei Methodistarum Episcopalium; sacro namque lavacro se ablutum enunciat die 20 Iulii 1839 ab Episcopo Methodista M. Kandree domi paternae, ubi ille residebat. Huic notitiae adiicienda sunt testimonia quamplurimorum, qui autumant Iacobum baptizatum fuisse.

Hic quidem vehementissima exurgit praesumptio, quae iuxta sacrorum canonum expressiones *pro certitudine est habenda,* quod natus ex parentibus christianis, atque inter eos conversatus, baptizatus fuerit, *cap. veniens 3 in fin. de presbyt. non baptiz.* - ibi - « Et certe de illo, qui natus de christianis « parentibus, et inter christianos est fideliter conversatus, tam « violenter praesumitur quod fuerit baptizatus, ut haec prae- « sumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis « forsitan argumentis contrarium probaretur. » Conciso sed perspicuo eloquio idipsum confirmant *Barbosa* hunc textum exponens cit. *cap. veniens num.* 6 - ibi - *natus enim inter christianos praesumitur baptizatus;* - necnon Card. Petra *in recit. const. num. 26* - ibi - « caeterum quotiescumque quis ortus » est ex parentibus christianis, et educatus inter eosdem, sem- » per baptizatus praesumitur nisi evidentissime contrarium pro- » batur. »

Haec praesumptio eo vel maximum vigorem obtinet quoniam, Episcopus a quo Iacobus se baptizatum fuisse asserit ante suam promotionem ad supremum pastorem suae sectae, declaravit *retinendum esse baptismum parvulorum.* Cum autem iam in longaeva aetate in familia Iacobi commoraretur, gratissimum quidem officium praestabat familiae, infantem tunc ex illis natum baptizans. Parentes autem infantis quum inter magis conspicuos Methodistarum asseclas numerarentur sine dubio regenerationis lavacrum a familiari supremo Pastore praesumendum est sollicitasse.

Nihil autem proficit obiicere quod baptismus Iacobi non est

in regestis Ecclesiae Methodisticae relatum; quoniam facile fuit Episcopo prope octuagenario, inscriptionem omittere; vel quia nempe nulli de sua gestione reddere debuerat rationem; vel ob defectum memoriae in sene, prope decrepito; vel ob infirmitatem, quae paullo post illum baptismum, eumdem perduxit ad sepulchrum. Sunt istae causae satis ad defectum inscriptionis iustificandum, ceu docet *Card. Petra comm. in const. 14 Clem. IV n. 25* - allegans se baptizatum non esse, quemadmodum nec fuit » inventus descriptus in libro baptizatorum suae Parochiae... » id potuit contingere ex eo quod probatio non susceptionis » baptismatis remanserit dubia; praesertim quia non per hoc » quod baptismus non est descriptus in libro Parochi probatur » evidenter, non fuisse susceptum, cum potuerit ex inadverten- » tia non describi; vel etiam quia potuit utique baptizari, sed » non a parocho ».

Veritate collationi baptismi ita vindicata, inanem operam inquit impendisse patronos Aloisiae, dum demonstrare adnituntur tum dissonantiam doctrinae Methodistarum circa baptismum, tum varietatem rituum in eiusdem collatione, ut exinde deducant irritum esse iudicandum baptisma Iacobo administratum. Recitato namque testimonio in contrarium adducto, palam facit Defensor eam esse *generalem persuasionem* apud Catholicos Americae, « baptismum a Ministellis acatholicis (si illos Anglicanos » qui Ritualistae audiunt, excipias) collatum *dubie validum esse.* » Quare generalis est praxis rebaptizandi *sub conditione* illos, » qui ab ipsis baptizati fuere, et in sinum Ecclesiae recipiun- » tur ». Si dubium est talem baptismum ab acatholicis collatum, iam sub decreto s. Inquisitionis 17 Septembris 1830 incidit, in quo baptisma ipsum, in ordine ad validitatem matrimonii censendum est validum « 1. Quoad haereticos, quorum » sectae ritualia praescribunt collationem baptismatis absque » necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari » casus particularis. 2. Quoad alios qui iuxta eorum ritualia » baptizant valide, validum esse baptismum. *Quod si dubium » persistat etiam in primo casu, censendum esse validum baptisma » in ordine ad validitatem matrimonii* ».

Hisce omnibus probe consideratis et perpensis, remissum fuit EE. PP. sapientiae et iustitiae infrascriptum dirimere

Dubium

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re ponderatâ, sub die 20 Martii 1880, respondere censuit: *Negative.*

Ex quibus colliges:

I. Ad evincendum metum sive cadentem in virum constantem, sive reverentialem, quo animum deiicimus atque dimittimus, constare prius debere ex una parte de repugnantia et oppositione, ex altera de violentia et coactione.

II. Ullam tamen haud inferri violentiam suasionibus et cohortationibus; cohortatio enim et suasio nil aliud sunt quam consilium ad aliquid faciendum; quod quidem non cogit, sed tantum excitat liberam voluntatem.

III. Hinc absque ulla iustitiae offensione posse parentes suasionibus et cohortationibus efficere, ut filii aliqua contrahant vel deserant matrimonia; quae etsi libera esse debeant, attamen fieri possunt cum alterius consilio.

IV. In themate haud constare videri de vera repugnantia et oppositione ex parte filiae, de vera coactione atque violentia ex parte parentum: hinc exulare etiam timorem reverentialem, utpote non satis probatum.

V. Conditiones quas Ecclesia imponit (1) in concedenda

(1) Quae sint hae conditiones erui potest ex litteris Pii VII. « *Magna nobis* » ad Episcopos Poloniae datis: « Rarissimas primum fuisse (dispen» sationes super matrimoniis mixtis) » et quidem plerasque inter supremos » principes, et gravissimâ urgente cau» sâ, eâque ad publicum bonum per» tinente, factas fuisse; insuper adie» ctas fuisse opportunas cautelas, tum » ne coniux catholicus ab haeretico per» verti posset, quin potius ille teneri » se sciret ad hunc pro viribus ab er» rore retrahendum, tum ut proles utrius» que sexus ex eo matrimonio procreanda, » in catholicae religionis sanctitate omni» no educaretur. »

dispensatione pro matrimoniis mixtis, exprimere obligationes in celebratione coniugii assumendas, potius quam conditiones proprie dictas de futuro, quae matrimonii valorem suspendere valeant.

VI. Praeterea conditiones, sub quibus dispensationem huiusmodi concedit Ecclesia, potius videri conditiones de praesenti, consistentes in facto transeunte; ita ut denegetur ab Ecclesia dispensatio si ante matrimonium non acceptentur, concedatur vero si exceptae fuerint.

VII. Tum iure veteri, tum iure Tridentini erui, Ecclesiam praesumere, recessisse a conditione (et matrimonium perfici) contrahentes, qui pendente conditione matrimonii initi, copulam habeant.

VIII. In themate etiamsi concedatur Aloisiam adiecisse has conditiones essentialiter et prouti de futuro, nil prodesset, tum quia nemo id probare valuit, tum quia dubitari nequit quod per sex annos, quibus maternitatis gaudio et coniugali consuetudine laetata est, haud matrimonium consummaverit maritali affectione.

IX. Per novam formam a Tridentino constitutam sponsalia de futuro haud amplius transire in matrimonium per subsequentem copulam, sed oportere per verba de praesenti contrahere coram parocho et testibus.

X. Qua de re quum Iacobus pene totam peragrasset Europam, probatu difficillimum esset utrum mulieri, se comitanti, fidem matrimonii dederit in loco sanctioni Tridentinae subiecto (1) vel in loco exempto, ut fides ineundi coniugii per subsequutam copulam carnalem in matrimonium transiret.

(1) Quod Iacobus etiamsi haereticus obnoxius sit ecclesiasticis impedimentis, sive dirimentibus, sive impedientibus facile apparet ex Suaresio de legibus lib. 4. cap. 19 n. 2. « Haeretici sunt vere subiecti ecclesiasticae iurisdictioni; nam retinent characterem baptismalem, quod est fundamentum huius subiectionis... » Cum igitur impedimenta coniugium dirimentia, iure ecclesiastico constituta, leges sint universales, evidens est etiam haereticos eisdem devinciri. Et Bened. XIV in Brevi ad Card. Eboracensem die 9 Feb. 1749, uti firmum principium assumit haereticos quidem ab Ecclesiae unitate repelli, iisque bonis orbari omnibus, quibus fruuntur in Ecclesia versantes, « non tamen ab eius auctoritate et legibus liberari. » Quod confirmat Pius VII brevi ad Archiepiscopum Moguntinum die 8 octobris 1803,

XI. Deficientibus regestis et testibus, etiam ex praesumptione iuris retineri posse, illum baptizatum fuisse, qui ortus est ex parentibus christianis et inter eosdem educatus fuerit, donec contrarium evidentissime probetur.

XII. Etsi in regestis Ecclesiae Methodisticae baptismum Iacobi haud relatum fuerit, attamen praesumptio collationis huius sacramenti vim accipit, tum testibus quamplurimis id probantibus, tum ex eo quod Methodista Episcopus, admittens baptismi necessitatem, moraretur in familia Iacobi, dum iste natus est.

XIII. Validitati autem matrimoniorum haud officere posse dubitationem quae versetur seu super collatione, seu super validitate baptismi alicuius coniugis, eoquod in eiusmodi dubio pro validitate matrimonii pronunciandum esse decreverunt ss. CC. Inquisitionis et Concilii (1).

XIV. In themate si baptismum Iacobi haud certum sit, dubium tamen permanet; ideoque ex hoc capite coniugii validitas permanet; quia iuxta doctrinam s. C. Concilii et s. Inquisitionis, quodcumque dubium subortum, circa baptismatis collationem, sive circa eius valorem non attenuat matrimonii validitatem.

(1) In Tarvisina baptismi diei 4 Maii 1737 s. C. Concilii sic sese habuit: « Consulente hanc s. Congregationem » Laura Dolfini in maximo quo ipsa » angitur timore, ne lustralibus baptismi aquis fuerit unquam abluta, num » sibi fas esset baptismum sub conditione recipere, congruum censuerunt » Emi-Patres sub die 28 Aprilis superioris anni, dilata tunc dubii propositi resolutione, iubere Archiepiscopo » Corcirensi ut sedulo inquireretur etc. » Cum itaque litteris iuxta praescriptam » methodum datis, nuper Archiepiscopus » responderit, quod iussibus s. Congregationis obtemperans, multam quidem » adhibuit diligentiam.... sed nullam de » dicta Maria Francisca (matre Laurae) » notitiam fuerit assecutus. In libris » vero parochialibus suae Archidioecesis, et signanter in iis retentis a » fratribus Carmelitis, penes quos erat » animarum cura in vico Petrarum, » ad Archiepiscopalem Cancellariam in » finem eos perlustrandi delatis, nulla » inventa sit, neque ipsius Mariae Franciscae, neque Petri Dolfini sive baptismi sive matrimonii occasione facta » descriptio. Proposito hinc dubio: An » Laura Dolfini baptizari debeat sub » conditione in casu etc. Decisio data: » est: *affirmative et secreto et sine* » *praeiudicio validitatis matrimonii.* »

ABBATIAE

Die 20 Martii 1880.

Compendium Facti. Iacobus I. suis postremis tabulis disposuit ut « simplex beneficium sine cura et residentia, vel Cano- » nicatum, ad libitum *(haeredum)*, sub titulo et invocatione » conversionis s. Pauli, ad altare in honorem eiusdem Sancti in » Cathedrali Ecclesia a se dum viveret funditus erectum » constitueretur: pro quo dotem assignavit quadraginta scutorum annuorum, cum onere ab haeredibus beneviso determinando, et cum reservatione iurispatronatus favore suae familiae.

Defuncto testatore, haeredes decreverunt, in locum simplicis beneficii aut Canonicatus, fundare et competenter dotare Dignitatem unam, Abbatiam nuncupatam, quae esset subdiaconalis; volueruntque ut esset sexta dignitas Capituli, atque ut haberet stallum in choro et *locum* in Capitulo, nec non gauderet omnibus iuribus et praerogativis, quibus ceterae Dignitates perfruebantur. Decreverunt tamen quod praefata Abbatiae Dignitas, neque activam neque passivam vocem in dicto Capitulo haberet, neque distributiones quotidianas, neque strenas, aut quodcumque aliud emolumentum a mensa capitulari consequi posset, donec patroni pro tempore mensae Capitulari non assignassent illam pecuniae quantitatem cum Capitulo firmandam, quae sufficiens esset ad emendam stabilem et perpetuam sortem pro fundo distributionum.

Facta insuper a patronis reservatione passivi iurispatronatus favore suorum descendentium edixerunt, ut provisi de hac dignitate qui de familia essent, eamdem tuta conscientia et absque dispensatione consequi possent, ad instar beneficiorum simplicium; ita ut Abbatiam retinere valerent, absque dispensatione, una cum Canonicatu et Capellania.

Pro congrua Abbatiae dote assignarunt scuta quadraginta

(libellas 235,20) annuatim ab Abbate percipienda, existentia in octo Locis Montium: nec non fructus procedentes ab emphyteusi unius molendini; cum onere celebrandi per se, vel celebrare faciendi ad praefatum altare quotidianum Missae Sacrificium « alternatis hebdomadis ». Adiecerunt tamen, quod tempore vacationis Abbatiae, fructus molendini per integrum annum deponerentur penes oeconomum ab Ordinario pro tempore eligendum, ad effectum efformandi pecuniae summam pro distributionibus necessariam.

Ordinarius die 10 Augusti 1826 decretum edidit, quo facultatem impertiebatur: « Unam perpetuam praebendam seu » Dignitatem abbatialem in Cathedrali sub titulo Conversionis » s. Pauli erigendi et competenter dotandi.... sicuti nos hoc » praesenti nostro decreto in titulum Dignitatis abbatialis sub » invocatione conversionis s. Pauli erigimus, constituimus, et » de novo creamus. »

In facto autem constat, nunquam patronos constituisse fundum in tabulis fundationis praescriptum pro distributionibus quotidianis, dotemque abbatiae ob Gallorum invasionem in totum periisse, praeter parvum reditum libellarum 33,60 in Locis Montium et ipsum fundatum.

Anno autem 1848 Canonicus Iosephus Fabbrini abbatialis Dignitatis Rector, supplicem libellum Vicario Capitulari V. porrexit, quo exposuit se a pio quodam benefactore habuisse summam libellarum 13524 ad effectum constituendi fundum, quem in censu iam ab anno 1847 constituerat, ex cuius fructibus Missa quotidiana in expiationem animae testatoris foret celebranda in perpetuum in Cathedrali Ecclesia. Quapropter exorabat ut per hanc pecuniae vim dos Abbatiae redintegrari posset, cum onere Missae quotidianae in perpetuum celebrandae; quod per decretum Ordinarii concessum fuit. Usurpatis sed vero a Subalpino gubernio Ecclesiae bonis per iniquam legem de anno 1867 editam, patroni sortem census a fisco vindicarunt, non autem supradictum reditum libellarum 33,60 qui cum solveretur a pontificio gubernio haud illum denunciarunt; quare posteriori tempore, expugnata nempe vi et armis hac alma Urbe, fru-

ctus iste licet minimus haud valuit rapacis fisci effugere manus.

Cum autem in praesens vacans existat Abbatia, Patroni ad eam praesentare intendunt Sacerdotem iam provisum de Canonicatu in Cathedrali et de simplici beneficio in quadam paroecia dioecesis fundato. Anceps haesit Ordinarius quoad institutionem dandam; ideo ad s. C. Congregationem recurrens, quaesivit ut duo dubia enuclearentur.

Disceptatio synoptica.

ABBATIA INCOMPATIBILIS IN CASU VIDETUR. Ad primum dubium quod attinet, ambigi non posse videtur Dignitatem abbatialem s. Pauli esse verum et proprie dictum Beneficium ecclesiasticum. Sane ad constituendum Beneficium sex potissimum requiri tradunt communiter canonistae cum *Ferraris verbo Beneficium art. 1 num. 8 et seqq.,* nempe: 1. Quod Beneficium ecclesiasticum Episcopi auctoritate sit erectum: *Cap. Nemo 9 de Consecrat. distinc. 22.* - 2. Quod habeat aliquod spiritualitatis adnexum: *Cap. ult. de Rescr. in 6.* - 3. Quod conferatur a persona ecclesiastica: *Cap. Ex frequentibus 3 de Constit. Cap. Si quis deinceps. 12 Cap. Si quis Clericus 16, et Cap. Nullus laicorum 18 caus. 16. q. 7.* - 4. Quod conferatur Clerico, scilicet saltem tonsura initiatio: *arg. cap. Ex literis 6 de Transact.* - 5. Quod sit perpetuum: *Cap. Praecepta 12 dist. 55, Cap. Sanctorum 2 dist. 70, Cap. Veniens de Filiis Presbyt. Cap. Ex parte 5 de Clerico aegrot.* - 6. Quod sibi non possit retineri, sed necessario sit conferendum alteri: *Cap. Cum ad nostram 7 de Institut.*

Iamvero haec omnia requisita adamussim concurrunt in Dignitate abbatiali s. Pauli; erecta enim fuit decreto Ordinarii; adnexum habet spirituale onus sacrum litandi alternatis hebdomadis; eiusdem collator est Episcopus V. ad patronorum praesentationem; personae in sacris constitutae conferenda est, quia a fundatoribus *subdiaconalis* vocatur; perpetua est, ut patet ex tabulis fundationis; ius patronatus passivum denique favore familiae a fundatoribus reservatum est.

Leviter autem obiici posse videtur, Dignitatem abbatialem in praesentiarum non amplius subsistere, uti Beneficium ecclesiasticum, quia cum eiusdem dos a piis fundatoribus constituta in totum perierit, periisse simul tenendum est ipsum Beneficium quod non in nomine, sed in re ipsa et substantia consistit *Abbas* in *consil. 47 n. 1 vers. non debet esse, Lotter. De re benef. lib. 2 quaest. 4 num. 36*. Cum enim per decretum Ordinarii de anno 1848, et de consensu patronorum, eidem unitus fuerit census a Canonico Fabbrini constitutus, concludendum videretur adhuc in suo esse Abbatiale beneficium permanere. Vix enim ac census, de Ecclesiastica auctoritate, Abbatiae unitus fuit, eamdem naturam induit et quid unum cum ipsa efformavit, per receptam iuris regulam *Accessorium sequitur naturam sui principalis: L. fin. Cod. De non numerat. pec., Reg. Accessorium De reg. iur. in 6*.

Hisce praeiactis, Abbatia videretur incompatibilis cum canonicatu et simplici beneficio iuxta Tridentinum *Sess. 24 cap. 17* in quo pluralitas beneficiorum omnino prohibetur; et secundum permittitur solummodo in casu, quo primum sit insufficiens *Fagnan. in Cap. Cum iam dudum 18 de Preb. n. 71*. Neque tertium beneficium obtineri potest absque speciali indulto Apostolico, etiamsi duo priora sint ad obtinentis sustentationem insufficientia, S. C. C. *Anagnina 15 Aprilis 1628*, Fagnan. *in Cap. Litteras 33 de concess. praeb.* Neque dici valet, Abbatiam in themate esse de iurepatronatus laicorum; nam etiam beneficia iuripatronatus obnoxia, cadere sub citata lege Tridentini autumat Garcias *de benef. part. 11 cap. 5 n. 280 et s. C. C. in Bovien. 13 Novembris 1629*. Praeterea neque fundatores loquuti sunt de simultanea possessione Abbatiae cum canonicatu aut Cappellania Ecclesiae Cathedralis; neque ullum fit verbum de potestate conferendi Abbatiam uni eidemque personae iam de aliis duobus beneficii provisae.

Abbatia compatibilis in casu videtur. Attamen in themate haud obliviscendum est priorem huius beneficii dotem periisse; sed dote pereunte, beneficium ipsum perit. Hinc beneficium quod nunc extat recenseri amplius nequit inter beneficia eccle-

siastica, sed inter cappellanias laicales vel legata pia accensendum est.

Neque obstat, quod dos Abbatiae fuerit redintegrata per constitutionem census Fabbrini. Census enim iste potius videtur esse quid distinctum a dote Abbatiae, quod specialia onera secumfert, quodque acceptatus fuerit ab Ordinario loci, ad instar laicalis cappellaniae.

Hoc posito lex Tridentina, quoad beneficiorum incompatibilitatem, in casu applicari nequit. Concilium enim videtur habuisse respectum ad pluralitatem titulorum beneficialium, uti colligitur ex eius verbis: *quando unus plurium officia occupat Clericorum;* et rursus: *neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi.* Quapropter legata pia et Cappellanias cum onere Missas celebrandi, licet obtineantur ad praesentationem patronorum, non comprehendi sub decreto Concilii Tridentini, erumpit ex causa *Bitecten. 22 Novembris 1721*, in qua ad tertium dubium: *An id quod procedit in retentione Beneficiorum, procedere etiam debeat in Legatis piis et Cappellaniis de iurepatronatus laicorum in casu,* respondit: *Ad III Negative.*

Ex quo concludendum videtur possessionem Abbatiae s. Pauli, incompatibilem non esse cum simultanea possessione Canonicatus in Cathedrali et simplicis Beneficii in dioecesi in eodem subiecto.

Quoad secundum dubium. In hypothesi autem quod EE. PP. placeat definire Abbatiam s. Pauli esse verum et proprie dictum Beneficium ecclesiasticum, ac per consequens incompatibile cum aliis duobus in eodem subiecto; incompatibile tamen non videtur vel cum Canonicatu vel cum chorali Cappellania eiusdem Cathedralis Ecclesiae, ceu in secundo dubio proponitur. Sane pluralitas Beneficiorum ab eodem simul retentorum incompatibilis redditur, vel quia Beneficii institutio non permittit, ut plura ab eodem administrentur; vel quia primum obtentum ad honestam Beneficiati sustentationem sufficit.

Iamvero ex neutro capite Abbatia s. Pauli incompatibilis videtur cum Canonicatu vel chorali Cappellania Ecclesiae Cathedralis. Non quidem quoad primum caput ex iure communi,

quia ius commune prohibet dumtaxat, ne quis sub eodem tecto obtineat et retineat duo Beneficia uniformia etiam simplicia: *cit. Cap. De multa* §. *Hoc idem de praeb., Cap. Litteras 9 De concess. praeb.* Atqui Abbatia s. Pauli uniformis, non est cum Canonicatu vel Cappellania chorali: nam ista, praeter alia onera, chori interessentiam et personalem residentiam requirunt. Dum Abbatia fundata est ad instar beneficiorum simplicium: et Abbas neque residere tenetur, neque choro interesse, quoad usque non constituatur fundus distributionum.

Et quod reapse res ita se habet, explicat observantia, quae optima dicitur legum et fundationum interpres, *L. Minime ff. de leg. Cap. Cum Dilectus De consuet., De Luca De iurep. disc. 60 n. 9, Lott. De re benef. lib. 2 quaest. 11 n. 125.* Ipsa namque nos edocet, non semel neque bis, sed ex duodecim Abbatibus quatuor eamdem, una cum Canonicatu possedisse, ceu ex regestris Capitularibus erui Canonici obtestantur.

E contra notandum venit, Abbatiam s. Pauli incompatibilem videri cum Canonicatu vel Cappellania chorali Ecclesiae Cathedralis; Beneficia enim sub eodem tecto existentia esse incompatibilia tradit *Rigant. in comment. ad reg. 1 Cancell.* §. *8.* Hoc autem apprime consonat menti Tridentinorum Patrum, qui ad hoc adamussim statuerunt, unum tantum Beneficium unicuique in posterum conferendum esse, ne per plurium cumulum in eodem subiecto ministrorum numerus minuatur, et cultus divinus detrimentum capiat. Accedit his implementum officiorum simplicis Canonici vel Cappellani, Abbatis decori non congruere, utpote qui in Dignitate constitutus, maiora officia exercere debet.

Quin obsit allata in contrarium consuetudo, tum quia haec consuetudo constans non est: quatuor enim tantummodo ex duodecim Abbatibus Canonici insimul fuerunt; tum quia haec asserta consuetudo, cum divino cultui adversetur, irrationabilis censenda videtur. Incompatibilitatem enim plurium Beneficiorum in eodem subiecto ex iure naturali descendere pluries tenent DD. si unum ad honestam Clerici sustentationem sufficiat, unde contrariam consuetudinem traducunt veluti nutritivam peccati, quia inducit vagationis, ambitionis et avaritiae materiam. *Fer-*

raris verb. Beneficium art. 6 num. 7 et seqq., Extrav. Execrabilis de Praeb.

Quapropter nihili facienda videntur fundationis verba, quae huiusmodi incompatibilitatem excludunt, quia licet fundatores clausulas et conditiones apponere possint iuri communi adversantes, nequeunt tamen corruptelas inducere per appositionem conditionis, ad peccatum allicientis et iuri naturae contrariae.

Hisce utrinque perpensis, remissum fuit prudentiae EE. PP. decernere, quonam responso dirimenda essent

Dubia.

I. *An abbatialis Dignitas s. Pauli incompatibilis censeri debeat cum duobus aliis beneficiis in casu.*

Et quatenus affirmative

II. *An incompatibilis pariter dicenda sit cum Canonicatu vel Cappellania chorali, sub eodem tecto in casu.*

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re ponderata, sub die 20 Martii 1880 respondere censuit:

Ad primum et secundum affirmative.

Ex quibus colliges:

I. Tridentinum, ad disciplinam ecclesiasticam restituendam, statuisse *Sess. 24 cap. 17*, ut unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferretur, praecipue si unum sufficiat ad honeste vitam sustendandam.

II. Dispositionem conciliarem, qua beneficiorum pluralitas improbatur, comprehendere etiam beneficia iurispatronatus laicorum, dummodo sint vera beneficia ecclesiastica; nec eorumdem respectu cessant rationes iuris communis et Concilii eiusdem.

III. Neque tertium beneficium ecclesiasticum, absque speciali indulto Apostolico, obtineri posse, etiamsi duo priora ad honestam obtinentis sustentationem haud sufficiant.

IV. In themate videri ambigi non posse, Dignitatem abbatialem verum esse beneficium ecclesiasticum; quum omnibus requisitis praedita sit, et adhuc maneat in suo esse abbatiale.

V. Beneficia ecclesiastica esse etiam incompatibilia, ratione eorum consistentiae sub eodem tecto, nempe in eadem ecclesia; tum quia ecclesia eadem privatur unius ministerio, tum quia pluralitas in eadem ecclesia invidiam generat inter fratres.

DISPENSATIONES MATRIMONIALES

Die 20 Martii 1880.

Per summaria precum

Compendium facti. Suppresso Tribunali quod Regiae Monarchiae dicebatur in Sicilia a s. m. Pio IX, edita ad hoc Constitutione *Superna*, die 28 Ianuarii 1864, quae in vulgus edita fuit die 10 Octobris 1867 (1) per summam eiusdem Summi Principis clementiam, eodem tempore, Constitutione *Multis gravissimis*, tributa fuit Episcopis Siciliae facultas gratis concedendi matrimoniales dispensationes in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu, sive simplici sive duplici ac etiam mixto, in favorem tantum eorum qui, causâ canonicâ haud destituti, vere pauperes existerent.

Cum vero Siciliae Episcopi uti vere pauperes retinerent, qui insimul possiderent libellas 306 aut uncias 24 annui redditus, uti dictum supremum tribunal in more habebat; Drepanensis Antistes a S. C. C. efflagitavit, num haec praxis tuto sustineri posset. Huiusmodi preces ventilatae in comitiis die 25 Maii 1875, dimissae fuerunt responso: *Dilata et audiantur sacra Poenitentiaria et Ministri Datariae Apostolicae.* Reproposita at vero in comitiis diei 15 Iunii 1878, una cum deductis a Poenitentiaria ac Dataria Apostolica, S. C. C. rescripsit « *Standum esse De-*

(1) Habes hanc Constit. Vol. III. pag. 177. Alia pariter *Multis gravissimis* prostat pag. 186. Per hanc concessa fuit ad decennium facultas concedendi dispensationes matrimoniales.

creto Benedicti XIV sub die 26 Septembris 1754, dummodo constet de prorogatione facultatum. » Quo decreto pauperes declarabantur qui aut nihil possiderent, aut summam non maiorem scutorum 300 monetae Romanae, si citra montes degerent, sin vero ultra montes extendebatur, eodem pro effectu, valor ad ducata de Camera 300 seu scuta 325 dictae monetae.

Quod tamen rescriptum non plene arrisit Siciliae Episcopis Cataniensi et Messanensi; quandoquidem, supplici oblato libello, die 24 Novembris elapsi anni, enixe exposuerunt esse factum constans, quod multi inter pauperes ad evitantam parvam s. Poenitentiariae taxam, coeant solo legum civilium vinculo. His de causis exorant Eminentiam Vestram ut Sapientiae Beatissimi Patris exposita submittere dignetur, eo consilio ut si expedire iudicaverit, summam determinatam a Benedicto XIV augeat ad mensuram, quam hisce temporibus convenire censeat.

Disceptatio Synoptica.

Ea quae petitioni adversantur. Quod Oratorum precibus indulgendum minime sit, evidenter patet ex decisione iam edita ab hoc sacro Ordine qui, minime attentis praesentibus circumstantiis, standum esse censuit decreto Benedicti XIV, nuper enunciato. Nec aliunde maior gratia concedenda est propter quorumdam pervicaciam. Norunt enim Oratores etiam *gratis* a sacra Poenitentiaria, post eorumdem attestationem, matrimoniales dispensationes concedi solere, ad quam ceteri huius peninsulae Episcopi confugiunt, qui in eadem ac ipsi conditione versantur. Quapropter ne perturbetur ordo Ecclesiasticae disciplinae, et ne insulani cives et Praesules, attento praesertim rapido commutationis commodo, meliori conditione quam ceteri evadant, obtento indulto contenti esse deberent, nec ampliori gratia donandi.

Ea quae petitioni favent. Contra sed vero perspectes quod Ecclesiastica disciplina, licet simillima semper sapientia et charitate condita fuerit, sui tamen non semper similis fuit, sed ad varias temporum vices attemperata est, ut inquit *Thomass.*

de nov. et vet. discipl. part. 1 lib. 1 cap. 48 num. 17, lib. 3 cap. 56 num. 19, et part. 2 lib. 1 cap. 45 num. 13 et 14. Iamvero si aetatis nostrae spectes tempora, non ea certo sunt quae Benedicti XIV tempore volvebant; qui enim tunc divites erant, in praesens eadem fortunae quantitate coacti sunt ex laboribus manuum suarum, etiam pro sustentanda vita, quaeritare praesidium. Neminem enim fugit enormium vectigalium onus in dies augentium, quemadmodum et ipsae annonae pretium, adeo ut merito vere pauperes dici possunt, qui valorem duplo maiorem, a Benedicto XIV statutum, possident.

Ad rem Oratores edicunt: hac in materia haud posse normam servari immutabilem, pro omnibus temporibus: quoniam paupertatis et commoditatis mensura variat iuxta temporum adiuncta. Nam si iuxta decretum Benedicti XIV anno 1754, pauper dicebatur familia possidens scutos 300; nunc ita miserabilis dicenda foret, ut quotidie laborare debeat ad victum sibi quaeritandum. Quapropter provida RR. Pontificum sapientia speciales indulsit s. Poenitentiariae facultates ad hoc, ut pro opportunitate moderari valeret mensuram pro suis temporibus constitutam a Benedicto XIV. His etiam de causis Dataria, a tempore remoto dispensavit in *forma pauperum*, etiam cum iis, quorum patrimonium haud excederet vim scutatorum Romanorum 1000. Animadversum praeterea fuit, repentinum transitum a praxi Siciliae, qua uti vere pauperes censebantur, qui insimul haberent annuum reditum libellarum 306, ad summam scutorum 300 iuxta Benedictum XIV, conscientias multorum turbavisse. Hinc multi matrimonio Ecclesiastico praetulerunt civile contubernium, forsan ope consilii perditorum: ex quo fit ut damna gignentur innumera in civili societate. Et quamvis fatendum sit s. Poenitentiariae tribunal saepe saepius gratis dispensare cum iis qui nil rependere queunt, attamen potest ne pro quolibet casu eadem exposci gratia? Dum pauperes quamplurimi, ut parvam vitent taxam a s. Poenitentiaria quaesitam, solo copulantur civili vinculo!

Quibus serio perpensis, attentoque quod legis vinculum quandoque relaxare expedit *Conc. Trid. sess. 25 cap. 18 de Reform.*

videretur quod Oratorum preces benigno essent suscipiendae favore.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, sub die 20 Martii 1880 censuit respondere:

Attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia ad effectum servandi consuetudinem, facto verbo cum SSmo.

Ex quibus colliges:

I. Pro temporum adiunctis suas moderari leges disciplinares Matrem Ecclesiam; ita ut vinculum legis relaxet, quando animarum salus (eius suprema norma) id exposcere censeat.

II. Hinc in themate, ex charitate animarum indultum esse, ex gratia, ut posthabito decreto Benedicti XIV quoad taxam, consuetudo vigens ab anno 1801 servaretur, in concedendis dispensationibus matrimonialibus; dum quamplurimi praeferant contubernium civile ecclesiastico matrimonio, ne parvam solvant s. Poenitentiariae taxam (1).

(1) Confer Vol. I. pag. 382 har. ephem. ut cognoscere possis quam parva sit eiusmodi taxa, et quanto rationabiliter exigatur.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MISSA ET OFFICIUM

SS. CYRILLI ET METHODII

Introitus. **Ps. 131.**

Sacerdotes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui.

Ps. ibid. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui Slavóniae gentes per Beátos Confessóres tuos atque Pontífices Cyríllum et Methódium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: præsta; ut quórum festivitáte gloriámur, eórum consórtio copulémur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum.

Léctio Epístolae beáti Páuli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 7.

Fratres plures facti sunt sacerdótes, idcírco quod morte prohiberéntur permanére: Iesus autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum: semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat, ut nobis esset póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cœli factus: qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo, Jesus Christus Dóminus noster,

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam c. 10.

In illo témpore: Designávit Dóminus et alios septuagínta duos,....

Offertorium. Ps. 77. Mirábilis Deus in Sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus.

Secreta.

Preces nostras, quæsumus Dómine, et tuorum réspice oblatiónes fidélium: ut tibi gratæ sint in tuórum festivitáte Sanctórum, et nobis cónferant tuæ propitiatiónis auxílium. Per Dóminum.

Communio. Matth. 10. Quod dico in ténebris, dícite in lúmine dicit Dóminus: et quod in aure audítis prædicáte super tecta.

Postcommunio.

Quæsumus, Omnípotens Deus: ut qui nobis múnera dignáris præbére cœléstia, intercedéntibus Sanctis tuis Cyríllo et Methódio, despícere terréna concédas. Per Dóminum.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter seq.

IN I. VESPERIS

Hymnus

Sédibus cœli nítidis recéptos
Dícite athlétas géminos, Fidéles;
Slávicae duplex cólumen, decúsque
Dícite gentis.

Hos amor, fratres sociávit unus,
Unaque abdúxit píetas erémo,
Ferre quo multis célerent beátae
Pígnora vitae.

Luce, quæ templis súperis renídet.
Búlgaros complent, Móravos, Bohémos;
Mox feras turmas numerósa Petro
Agmina ducunt.

Débitam cincti méritis corónam
Pérgite o flecti lácrimis precántum;
Prisca vos Slavis opus est datóres
Dona tuéri.

Qæque vos clamat generósa tellus
Servet ætérnæ fidei nitórem;
Quæ dedit princeps, dabit ipsa semper
Roma salútem.

Gentis humánae Sator et Redémptor,
Qui bonus nobis bona cuncta praebes,
Sint Tibi grates, Tibi sit per omne
Glória sæclum. Amen.

℣. Sacerdótes tui induántur iustítiam.
℟. Et Sancti tui exúltent.

Ad Magnif. Ant. O quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona, dicéntium Sion: regnábit Deus tuus.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Slavóniæ gentes per beátos Confessóres tuos atque Pontífices Cyríllum et Methódium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: præsta; ut quorum festivitáte gloriámur, eórum consórtio copulémur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM Hymnus ut supra.

IN I. NOCTURNO Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO Lectio IV.

Ex lit. Encycl. Leonis XIII.

Cyríllus et Methódius fratres germáni, Thessalónicæ amplíssimo loco nati, Constantinópolim matúre concessérunt ut in ipsa urbe Oriéntis príncipe humanitátis artes addíscerent. Utérque plúrimum brevi profecérunt: sed máxime Cyríllus, qui tantam scientiárum laudem adéptus est, ut singuláris honóris causa Philósophus appellarétur. Deínde mónachum ágere Methódius cœpit; Cyríllus autem dignus est hábitus, cui Theodóra imperátrix, auctóre Ignátio Patriárcha, negótium daret erudiéndi ad fidem christiánam Cházaros trans Chersonésum incoléntes; quos præcéptis suis edóctos et Dei númine instínctos, multíplici superstitióne deléta, ad Jesum Christum adiúnxit. Recénti christianórum communitáte óptime constitúta, Constantinópolim rédiit álacer, atque in monastérium Polychrónis, quo se jam Methódius recéperat, Cyríllus ipse secéssit. Interim cum res trans Chersonésum próspere gestas ad Rastiláum Morávïæ príncipem fama detulísset, is de áliquot operáriis evangélicis Constantinópoli arcesséndis cum Imperatóre Michaéle tértio egit. Igitur Cyríllus et Methódius illi expeditióni destináti, et in Moráviam célebri lætítia excépti, ánimos christiánis institutiónibus tanta vi, tamque operósa indústria excoléndos aggrediúntur, ut non longo intervállo ea gens nomen Jesu Christo libentíssime déderit. Ad eam rem non parum sciéntia váluit dictiónis Slavónicæ, quam Cyríllus ante percéperat, multúmque potuérunt sacræ utriúsque Testaménti Lítteræ, quas próprio pópuli sermóne reddíderat: nam Cyríllus et Methódius príncipes inveniéndi fuérunt ipsas lítteras, quibus est sermo ipsórum Slavórum signátus et expréssus, eáque de causa ejúsdem sermónis auctóres non immérito habéntur.

Lectio V.

Cum rerum gestárum glóriam secúndus rumor Romam nuntiásset, Sanctus Nicoláus Primus Póntifex Máximus fratres óptimos Romam conténdere iussit. Illi románum iter ingréssi, relíquias Sancti Cleméntis primi Pontíficis Máximi, quas Cyríllus Chersónæ repérerat, secum ádvehunt. Quo núntio, Hadriánus secúndus, qui

Nicoláo demórtuo fúerat suffectus, Clero populóque comitánte, óbviam eis magna cum honóris significatióne progréditur. Deínde Cyríllus et Methódius de múnere apostólico in quo essent sancte laborioséque versáti ad Pontíficem Máximum, assidénte Clero, réferunt; cum autem eo nómine ab ínvidis accusaréntur, quod sermónem slavónicum in perfunctióne múnerum sacrórum usurpavíssent, causam dixére ratiónibus tam certis tamque illústribus, ut Póntifex et Clerus et laudárint hómines et probárint. Tum ambo iuráti se in fide beáti Petri et Pontíficum Romanórum permansúros, epíscopi ab Hadriáno consecráti sunt. Sed erat provísum divínitus, ut Cyríllus vitæ cursum Romæ cónderet, virtúte magis quam ætáte matúrus. Itaque defúncti corpus elátum fúnere público, in ipso sepúlcro quod sibi Hadriánus extrúxerat compósitum fuit; tum ad Sancti Cleméntis dedúctum, et hujus prope cíneres cónditum. Cumque veherétur per urbem inter festos psalmórum cantus, non tam fúneris quam triúmphi pompa, visus est pópulus románus libaménta honórum cœléstium viro sanctíssimo detulísse. Methódius vero in Morávíam regréssus, ibíque factus forma gregis ex ánimo, rei cathólicae inservíre maióre in dies stúdio ínstitit. Quin étiam Pannónios, Búlgaros, Dálmatas in fide christiáni nóminis confirmávit; in Carínthiis autem ad uníus veri Dei cultum traducéndis plúrimum elaborávit.

Lectio VI.

Apud Joánnem Octávum, qui Hadriáno succésserat, íterum de suspécta fide violatóque more maiórum accusátus, ac Romam veníre iussus, coram Joánne, et Epíscopis áliquot Cleróque urbáno, fácile vicit cathólicam prorsus fidem et se retinuísse constánter, et céteros diligénter edocuísse; quod vero ad linguam slavónicam in sacris peragéndis usurpátam, se certis de causis ex vénia Hadriáni Pontíficis, nec Sacris Lítteris repugnántibus, iure fecísse. Quaprópter in re præsénti compléxus Methódium Póntifex, potestátem ejus archiepiscopálem, expeditionémque slavónicam, datis etiam lítteris, ratam esse iussit. Quare Methódius in Morávíam revérsus adsignátum sibi munus explére vigilántius perseverávit, pro quo et exílium libénter passus est. Bohemórum Príncipem ejusque uxórem ad fidem perdúxit, et in ea gente christiánum nomen longe latéque vulgávit. Evangélii lumen in Polóniam invéxit, et, ut nonnúlli Scriptóres tradunt, sede episcopáli Leópoli fundáta, in

Moscóviam próprii nóminis digréssus, thronum pontificálem Kiowénsem constítuit. Demum in Moráviam revérsus est ad suos; jamque sese ábripi ad humánum éxitum séntiens, ípsemet sibi successórem designávit, Clerúmque et pópulum suprémis præcéptis ad virtútem cohortátus, ea vita, quæ sibi via in cœlum fuit, placidíssime defúnctus est. Uti Cyríllum Roma, sic Methódium Morávia decedéntem summo honóre prosequúta est. Illórum vero festum, quod apud Slavóniæ pópulos iámdiu celebrári consuéverat, Leo décimus tértius Póntifex Máximus cum Officio ac Missa própria in Univérsa Ecclésia quotánnis agi præcépit.

IN III. NOCTURNO

Léctio Sancti Evangélii secúndum Lucam.

Léctio VII. Cap. 10.

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuaginta duos: ....

AD LAUDES.

Hymnus

Lux o decóra pátriæ,
Slavísque amíca géntibus,
Salvéte, Fratres; ánnuo
Vos efferémus cántico;
Quos Roma plaudens éxcipit,
Compléxa mater fílios,
Auget coróna Præsulum,
Novóque firmat róbore.
Terras ad usque bárbaras
Inférre Christum pérgitis;
Quot vanus error lúserat,
Almo replétis lúmine.
Noxis solúta péctora
Ardor supérnus ábripit;
Mutátur horror véprium
In sanctitátis flósculos.
Et nunc seréna Cœlitum
Locáti in aula, súpplici
Adéste voto; Slávicas
Serváte gentes Númini.
Erróres mersos únicum
Ovíle Christi cóngreget;
Factis avítis æmula
Fides viréscat púlchrior.
Tu nos, beáta Trínitas,
Cœlésti amóre cóncita,
Patrúmque natos ínclyta
Da pérsequi véstigia. Amen.

℣. Sapiéntiam Sanctórum narrent pópuli.
℟. Et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Ad Benedictus. Antiph.

In sanctitáte et iustítia serviérunt Dómino ómnibus diébus suis: ídeo stolam glóriæ índuit illos Dóminus Deus Israël.

Oratio ut supra.

IN II. VESPERIS.

Hymnus et ℣. ut in I.

Ad Magn. Ant. Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei, divínæ veritátis præcónio glorịósi: linguæ eórum claves cœli factæ sunt.

ELOGIUM

IN MARTYROLOGIO ROMANO INSCRIBENDUM

Septimo Idus Martii

Romae et in Morávia Sanctórum Episcopórum Cyrílli et Methódii, qui Slavóniae gentes earúmque Reges ad Christi fidem perduxérunt; ipsórum vero festivitátem tértio Nonas Iúlii Leo Papa Décimus tértius recoléndam mandávit.

Tertio Nonas Iulii

Sanctórum Episcopórum Cyrílli et Methódii, de quibus séptimo Idus Mártii (1).

(1) Decretum S. R. Congr. quoad officium et Missam istorum sanctorum iam relatum fuit pag. 238.

APPENDIX VIII.

IN QUA PLURA REFERUNTUR DECRETA S. RITUUM CONGREGATIONIS

ANGREN.

R̃mus D. hodiernus Episcopus Angrensis a sacra Congregatione humillime insequentium Dubiorum solutionem exquisivit, nempe:

R̃mus D. hodiernus Episcopus Angrensis a sacra Congregatione humillime insequentium Dubiorum solutionem exquisivit, nempe:

Dubium I. An Episcopus Ecclesiam ingrediens cappa magna, vel rochetto indutus caput cooperire possit cum bireto, postquam se et alios aqua benedicta aspersit, ad altare Ss̃mi Sacramenti progrediens?

Dubium II. An Episcopus Missae solemni assistens cappa vel pluviali indutus ante gradum altaris recitare debeat Confessionem usque ad orationem *Indulgentiam* etc. tantum exclusive, vel ut aliqui recentiores Rubricistae docent, usque ad finem versiculorum et ad verbum *Amen* inclusive?

Dubium III. An Episcopi extra suas Dioeceses versantes uti possint Mozzetta super Mantellettam sicut in Lusitania moris est?

Dubium IV. Utrum debeat Episcopus textum Evangelii osculari,

et *Per evangelica dicta* etc. dicere quando Missae solemni assistit Rocchetto et Mozzetta tantum indutus?

Dubium V. Utrum possit Episcopus cauda uti quando Ssmum Sacramentum adorationi expositum est?

Dubium VI. An Episcopus Sanctum verae Crucis lignum in Processionibus portans, Mitra uti possit, vel non?

Dubium VII. An Presbyter solemniter celebrans, quoties sedet, sacris ministris salutationem reddere debeat caput operiens, vel inclinationem tantum facere capite cooperto?

Dubium VIII. Utrum celebrans coram Ssmo Sacramento publice exposito genuflexus, debeat ad solum se provolvere toties quoties se erigit et rursus genuflectit, vel tantum quando ad altare pervenit, ab eo discedit, ante et post thurificationem?

Dubium VIII. An caput detegere debeant qui sedent in choro, quando verba *Tu autem Domine, miserere nobis* in fine lectionum recitantur?

Dubium X. An Presbyter Missam solemnem celebrans, concionatorem, qui post Evangelium praedicat, benedicere possit?

Sacra Rituum Congregatio, exquisito alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris voto, propositis dubiis maturo examine perpensis, sic rescribere censuit:

Ad I. Negative ad tramites Caeremonialis Episcoporum.

Ad II. Servetur consuetudo.

Ad III. Affirmative, quatenus vigeat consuetudo.

Ad IV. Servetur Caeremoniale Episcoporum.

Ad V. Affirmative, quatenus solemniter celebret.

Ad VI. Detur decretum in una Mutinen. die 22 Septembris 1837.

Ad VII. Servetur consuetudo.

Ad VIII. Detur Decretum in una Marsorum 12 Novembris 1831.

Ad IX. Negative, nisi adsit consuetudo.

Ad X. Negative. Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 18 Augusti 1877.

ILLERDEN.

Marianus Puigllat y Amigo cl. me. Episcopus Illerdensis Provinciae Ecclesiasticae Tarraconensis, novis editis Constitutionibus sub nomine vulgo *Regolamento Provisionale,* suffultus decreto Concilii Provincialis secundi, quo statutum fuit et Doctores et Licentiati in sacra theologia vel iure canonico. Commensales aut Beneficiati primum et immediatum ante Commensales seu Portionarios, tum in choro quam in processionibus obtineant locum, servatis cuiusque in praecedentia doctoratus antiquitate, novam induxit huiusmodi disciplinam ab universo clero, suae Ecclesiae Cathedralis observandam. Iam vero Sacerdos Felix Costa praefatae Cathedralis Ecclesiae Illerdensis Magister Caeremoniarum non graduatus, sed a quadraginta tribus annis in presbyteratus ordine constitutus aegre ferens quod Neosacerdos graduatus sedem choralem praecedentiae in vim praedicti decreti sibi arriperet a sacra Rituum Congregatione

insequentium Dubiorum solutionem petiit, nimirum:

Dubium I. An talis dispositio dicti regulamenti provisionalis sit admittenda et retinenda?

Dubium II. An Orator restitui debeat in sua sede praecedentiae, licet non sit graduatus?

Dubium III. Et supposito quod affirmative, an talis canonica praescriptio sit ab omnibus choralibus observanda?

Dubium IV. An talis constitutio synodi Tarraconensis possit stare, vel aliquam vim obtinere pugnans adversus tam repetita decreta sacrae Rituum Congregationis constituentis veram dignitatem in sacerdotio?

Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus rite perpensis, declarare censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. III. et IV. Provisum in primo.

Atque ita declaravit ac servari mandavit die 1 Septembris 1877.

SOCIETATIS IESU

Director Kalendarii pro divino Officio persolvendo Missisque celebrandis a Patribus Provinciae Aragoniae Societatis Iesu, sequentia Dubia humillime sacrorum Rituum Congregationi enodanda proposuit, nimirum:

Dubium I. Sunt in Hispania nonnulli Regulares, quibus ab Episcopo concessa est Ecclesia, quae olim erat alterius Ordinis Regularis. Quaeritur utrum qui actu Ecclesiam colunt, in qua nempe confessiones audiunt, concionantur et Missae Sacrificium celebrant, debeant facere officium Dedicationis, si sit consecrata et Titularis eius Ecclesiae ritu duplici primae classis cum octava, vel e contra debeant omittere?

Dubium II. Quum Rubricae generales praescribant praeter orationes communes seu suffragia Sanctorum, posita post Vesperas Sabbathi faciendam esse commemmorationem Tituli vel Patroni; quaeritur 1. utrum pro τo titulo intelligendus sit titulus Ecclesiae Cathedralis vel propriae Ecclesiae Regularis? 2. Utrum si fiat commemoratio Patroni, loco tituli, liberum sit eligere Patronum totius Regni prae Patrono Dioecesis et Civitatis facienda sit Commemoratio?

Dubium III. Sacra Rituum Congregatio decrevit die 31 Augusti 1839 Regulares debere se conformare Officio communitatis, in qua, licet ut mere transeuntes, habitant. Quaeritur utrum praecitatum decretum intelligendum sit de illis solis Regularibus recitantibus Officium divinum in choro, ut nonnulli opinantur, vel de omnibus indiscriminatim, licet ad chorum non teneantur?

Dubium IV. Cum iuxta Rubricas apponenda sit collecta de Ssmo Sacramento, disputatur de loco ubi ponenda est; et origo diversarum sententiarum habetur in diversa interpretatione decretorum sacrae Rituum Congregationis sub die 23 Iunii 1739, et 16 Februarii 1737, quae sane decreta iisdem verbis concipiuntur, videlicet: « Mechlinien. VIII. An dum Missa cantatur

coram Ven. Sacramento in altari exposito debeat fieri commemoratio de Venerabili ante omnes alias commemorationes, an post omnes Orationes de praecepto dicendas? Et s. Congregatio respondit: Esse faciendam commemorationem de Sacramento post alias omnes orationes de praecepto. » Alii igitur innixi verbis huius decreti fieri debere dicunt commemorationem de Venerabili post orationes omnes Officii illius diei, alii e contra post Orationes non solum illius diei, sed et post ab Episcopo imperatas, si quae habentur. Quaeritur quaenam interpretatio sequenda est ut verior, prior aut posterior?

Dubium V. Petentibus quamplurimis Archiepiscopis et Episcopis Hispaniarum, elevatum est ad duplex primae classis cum Octava et extensum ad totam Hispaniarum ditionem Officium de B. M. V. de columna vulgo *del Pilar,* quod antea erat proprium Regni Aragoniae dumtaxat, et in decreto extensionis a sacra Rituum Congregatione die 19 Iunii 1862 haec leguntur: « Has porro fervidas preces a subscripto sacrorum Rituum Congregationis Secretario relatas, Sanctitas Sua clementer excipiens indulsit ut ab omnibus qui in Hispania ad Horas Canonicas tenentur, in Festo B. M. V. de columna seu *del Pilar* ritu duplici primae classis cum octava amodo persolvatur Officium proprium cum Missa Aragoniae Regno iamdiu a sa. me. Pio Papa VII concessum; dummodo Rubricae serventur etc. » Quaeritur 1. Regulares vi huius Decreti possuntne acceptare Officium proprium de quo agitur in Decreto supracitato; praesertim cum de regularibus nulla fit specialis mentio? 2. Possuntne ac debent recipere Octavam? 3. Possuntne cogi ad recipiendam Octavam praesertim cum ad nullam Octavam quam celebrat clerus saecularis teneantur, ut eruitur ex decretis sacrorum Rituum Congregationis?

Sacra porro eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Circa Officium, eo quod saltem ex deductis, propria eorum Ecclesia dici nequeat, Sacerdotes Societatis Iesu non teneri: quoad vero Missam, quatenus ibi celebrent, teneri tum in die Dedicationis tum in Festo Titularis.

Ad II. 1. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam partem iuxta Decretum in Pernambucen. diei 4 Septembris 1715 ad 8 – 2. Quoad primam partem, detur Decretum diei 23 Septembris 1848 in Vapicen. ad I: quoad secundam partem, provisum per resolutionem diei 31 Augusti 1877 in Mechlinien. ad I.

Ad III. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad IV. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad V. Ad primam partem, affirmative seu teneri; ad secundam partem, negative; ad tertiam, provisum in secunda.

Atque ita respondit, et servari mandavit die 18 Septembris 1877.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

CONSTITUTIO

Qua nonnulla controversiarum capita inter Episcopos et Missionarios Regulares Angliae et Scotiae definiuntur.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Romanos Pontifices Decessores Nostros paterno semper caritatis affectu inclytam Anglorum gentem fovisse, et monumentis suis testatur historia, et felicis recordationis Pius IX in Litteris *Universalis Ecclesiae* III kalend. Octobris anno Incarnationis Dominicae MDCCCL datis, graviter ac diserte demonstravit. Quum autem per eas Litteras episcopalem hierarchiam idem Pontifex inter Anglos restitueret, cumulavit quodammodo, quantum temporum ratio sinebat, ea benefacta quibus Apostolica Sedes nationem illam fuerat prosequuta. Ex dioecesium enim restitutione pars illa dominici gregis ad nuptias Agni caelestis iam vocata, ac mystico Eius corpori sociata, pleniorem veritatis atque ordinis firmitatem per Episcoporum gubernationem et regimen rursus adepta est. *Episcopi quippe,* inquit s. Irenaeus, (1) *successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt;* atque inde fit, quemadmodum s. Cyprianus monet, (2) *ut Ecclesia super Episcopos constituatur et omnis actus Ecclesiae per eosdem Praepositos gubernetur.*

Huic sane sapienti consilio mirifice respondit eventus; plura nimirum Concilia provincialia celebrata, quae saluberrimis legibus religiosa dioecesium negotia ordinarunt: latius propagata in dies catholica fides, et complures nobilitate generis et doctrina praestantes

(1) *Adv. haer.* lib. IV cap. 26, n. 2.
(2) Epist. 29 *ad lapsos.*

ad unitatem Ecclesiae revocati: clerus admodum auctus: auctae pariter religiosae domus non modo ex regularibus ordinibus, sed ex iis etiam recentioribus institutis, quae moderandis adolescentium moribus, vel caritatis operibus execercendis optime de re christiana et civili societate meruerunt: constituta pia laicorum sodalitia: novae missiones novaeque Ecclesiae quamplures erectae, nobili instructu divites, egregio cultu decorae; permulta etiam item condita orphanis alendis hospitia, seminaria, collegia et scholae in quibus pueri et adolescentes frequentissimi ad pietatem ac litteras instituuntur.

Cuius quidem rei laus non exigua tribuenda est Britannicae gentis ingenio, quod prout constans et invictum est contra vim adversam, ita veritatis et rationis voce facile flectitur, ut proinde vere de ipsis dixerit Tertullianus *Britannorum inaccessa Romanis, loca Christo subiecta* (3). At praecipuum sibi laudis meritum vindicant cum assidua Episcoporum vigilantia tum Cleri universi docilis ad parendum voluntas, prompta ad agendum sollertia.

Nihilominus quaedam ex ipsa rerum conditione ortae difficultates dissensusque inter sacrorum Antistites et sodales ordinum religiosorum obstiterunt, quominus uberiores fructus perciperentur. Illi enim, cum praescripta fuisset per memoratas Litteras Praedecessoris Nostri communis iuris observantia, rati sunt se posse omnia decernere quae ad ipsius iuris executionem pertinent, quaeve ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum potestati permissa sunt. Plures contra gravesque causae prohibebant, ne peculiaris missionum disciplina, quae iam inveteraverat, repente penitus aboleretur. Ad has propterea difficultates avertendas et controversias finiendas Angliae Episcopi, pro sua in hanc Apostolicam Sedem observantia, Nos adiere rogantes, ut suprema auctoritate Nostra dirimerentur.

Nos vicissim haud gravate eam postulationem excepimus, tum quia nobilem illam nationem non minore quam Decessores Nostri benevolentia complectimur, tum quia nihil Nobis est antiquius, quam ut sublatis dissidii causis, stabilis ubique vigeat mutua cum caritate concordia. Quo gravius autem et cautius a Nobis iudicatio fieret, non modo iis quae ultro citroque adducebantur iuribus et auctoritatibus diligenter animum adiecimus, sed etiam sententiam perrogavimus Congregationis specialiter deputatae aliquot S. R. E. Cardinalium e duobus sacris Consiliis, quorum alterum Episcoporum et Regularium negotiis expediendis praeest, alterum christiano no-

(1) Lib. *adv. iudaeos* cap. 5.

mini propagando. Hi cunctis accurate exploratis quae in deliberationem cadebant, et rationum momentis, quae afferebantur utrinque, religiose perpensis, fideliter Nobis exposuerunt quid aequius melius de singulis quaestionibus decernendum sibi videretur in Domino. Audito itaque memoratorum Cardinalium consilio, causaque probe cognita, supremum iudicium Nostrum de controversiis ac dubitationibus quae propositae sunt per hanc Constitutionem pronunciamus.

Multiplex licet varieque implexa sit congeries rerum quae in disceptationem vocantur, omnes tamen ad tria potissimum capita commode redigi posse arbitramur, quorum alterum ad familiarum religiosarum exemptionem pertinet ab episcopali iurisdictione; alterum ministeria respicit, quae a regularibus missionariis exercentur: tertium quaestiones complectitur de bonis temporalibus deque usu in quem illa oporteat converti.

Ad regularium exemptionem quod attinet, certa et cognita sunt canonici iuris praescripta. Scilicet quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est *divina ordinatione* constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur (1); tamen quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni *religiosae conversationis* (2) consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regundos attribuere, Clerum Regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt. Cuius rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem; sed quod earum domus habitae fuerint iuris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est ut religiosae familiae, quas iure communi et Episcopis propter hieraticum principatum, et Pontifici maximo propter primatum Pontificium immediate subesse, oporteret (3), in Eius potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae.

De hoc itaque privilegio exemptionis dubitatum est, num eo mu-

(1) Concil. Trid. sess. 23 *de sacram. ord.* can. 7.

(2) S. Gregor. M. Epist. III lib. IX. — Bened. XIV Epist. Decret. *Apostolicae servitutis,* prid. Idus Mart. 1742.

(3) Concil. Vatic. Constit. *Pastor aeternus* cap. 3.

niantur religiosi sodales, qui in Anglia et Scotia missionum causa consistunt : hi enim ut plurimum in privatis domibus terni, bini, interdum singuli commorantur. Et quamvis Benedictus XIV in Constit. *Apostolicum Ministerium,* III kalen. Iunii anno Incarnationis Dominicae MDCCLIII, memoratos missionarios regulares privilegio perfrui declaraverit, subdubitandum tamen Episcopi rursus in praesens existimabant, eo quod, restituta episcopali hierarchia, rem catholicam ad iuris communis formam in ea regione gubernari oportet. Iure autem communi (1) constitutum est, ut domus, quae sodales religiosos sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant. Insuper ipse Constitutionis Auctor visus est ponere privilegii causam in « pubblici regiminis legibus..... quibus coenobia quaecumque prohibentur »; hanc vero causam compertum est fuisse sublatam, quum plures iam annos per leges illius regni liceat religiosis sodalibus in collegia coire.

Nihilominus haec tanti non sunt, ut reapse privilegium defecisse iudicemus. Nam quamvis hierarchiae instauratio facit, ut res catholica apud Anglos ad communem Ecclesiae disciplinae *potentialiter* revocata intelligatur; adhuc tamen res ibi geruntur eodem fere modo atque in missionibus geri solent. Iamvero sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries declaravit, Constitutiones Clementis VIII *Quoniam* IX kal. Iulii MDCIII, Gregoiii XV *Cum alias* XVI kalen. Septemb. MDCXXII, Urbani VII *Romanus Pontifex* V kal. Septemb. MDCXXIV. itemque Constitutiones Innocentii X non esse de domibus atque hospitiis missionum intelligendas (2). Ac merito quidem; nam quum dubium iamdudum fuisset propositum Clementi VIII, utrum religiosi viri ad Indos missi in culturam animarum existimandi essent quasi vitam degentes extra coenobii septa, proindeque Episcopis subesse Tridentina lege iuberentur, Pontifex ille per Constitutionem *Religiosorum quorumcumque* VI Idus Novembris MDCI decreverat eos « reputandos esse tamquam religiosos viventes intra » claustra — quamobrem — in concernentibus curam animarum Or- » dinario loci subesse ; in reliquis vero non Ordinario loci, sed suis » superioribus subiectos remanere. » — Neque aliud sensit iudicavitque Benedictus XIV in suis constitutionibus *Quamvis* V kalend. Martii MDCCXLVI, *Cum nuper* VI Idus Novembris MDCCLI, et *Cum alias* V Idus Iunii MDCCLIII. Ex quibus omnibus liquet, etiam ho-

(1) Innocent. X Constit. *Instaurandae,* die 15 Octob. 1652. Constit. *Ut in parvis,* die 10 Februar. 1654.

(2) S. Cong. de Prop. fide 30 Ianuarii 1627; 27 Martii 1631; 5 Oct. 1655; 23 Septembris 1805; 29 Martii 1834.

spitia ac domos quantumvis incolarum paucitate infrequentes huius, de quo agitur, privilegii iure comprehendi, idque non in locis solum ubi Vicarii apostolici, sed etiam ubi Episcopi praesunt: de Episcopis enim in Constitutionibus, quas memoravimus, agebatur. Apparet insuper rationem potissimam exemptionis missionariorum regularium in Anglia non esse exquirendam in legibus civilibus, quae coenobiis erigendis obessent; sed magis in eo salutari ac nobilissimo ministerio, quod a viris apostolicis exercetur. Quod non obscure Benedictus XIV significavit inquiens, « regulares Anglicanae missioni destinatos illuc proficisci in bonum sanctae nostrae religionis ». Eamdemque causam pariter attulerat Clemens VIII, cum de sodalibus religiosis ad Indos profectis docuerat, ipsos antistitum suorum iussu illuc concessisse, ibique sub disciplina praefecti provinciae versari « ad praedicandum sanctum Dei Evangelium et viam veritatis et salutis demonstrandam. » Hinc post sublatas leges sodalitii regularibus infensas, et hierarchia catholica in integrum restituta, ipsi Britannorum Episcopi in priori Synodo Westmonasteriensi testati sunt rata sibi privilegia fore, « quibus viri religiosi suis in domibus vel extra legitime gaudent » quamvis « extra monasteria ut plurimum degant. »

Quamobrem in praesenti etiam Ecclesiae catholicae apud Britannos conditione declarare non dubitamus Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac regulares intra claustra viventes, praeter quam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem.

Praecipuam hanc quam definivimus controversiam altera excipiebat affinis, de obligatione qua teneantur Rectores missionum creditam habentes animarum curam, eorumque vicarii, aliique religiosi sodales, facultatibus praediti quae missionariis conceduntur, ut intersint iis Cleri conventibus, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, neque non Synodis dioecesanis. Cuius quaestionis vis et ratio ut intelligatur, praestat memorare quod in Concilio Westmonasteriensi Provinciali IV praecipitur his verbis: « Si duo vel plures sint sacerdotes in eadem missione, unum tantum primum designandum, qui gerat curam animarum et administrationem Ecclesiae..... ceteros omnes curam quam habent animarum cum dependentia a primo exercere. » (1) Comperta itaque natura facti de quo agitur, et semota tantisper ea quaestionis parte quae Synodos respicit, ambigi nequit, quin Rectores missionum ad-

(1) Dec. 10. n. 10.

esse debeant iis Cleri coetibus, qui *collationes* dicuntur. Namque eorum causa eadem ferme est ac parochorum: parochos autem etiam regulares ea obligatione adstringi et docuit Benedictus XIV Constit. *Firmandis* §. 6. VIII Idus Novembr. MDCCXLIV, et sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis pluries declaravit (1). Recte igitur in praedicta Synodo Westmonasteriensi fuit constitutum « Ad suam collationem tenentur convenire, respondere parati omnes sacerdotes saeculares et regulares, salvis eorum iuribus, qui curam habent animarum. » Aliter dicendum videretur de vicariis, aliisque religiosis viris apostolica munia obeuntibus. His enim integrum quidem est de *iure constituto* a memoratis collationibus abstinere, prout alias fuit a sacra Congregatione Concilii declaratum (2). At Nos minime praeterit Concilium Romanum habitum anno MDCCXXV auctoritate Benedicti XIII iussisse confessarios omnes etiam ex ordinibus regularibus intra fines provinciae commorantes coetus illos celebrare « dummodo morales in eorum conventibus lectiones non habeantur. » Quum autem quod sine effectu geritur id geri nullo modo videatur, sacrum Consilium christiano nomini propagando merito existimans domesticas regularium collationes in quibusdam missionum locis parum fructuosas ob exiguum sodalium numerum futuras, cunctis et singulis illic munere perfungentibus imperavit, ut Cleri conventibus interessent. Hisce igitur rationibus permoti declaramus, omnes missionum rectores Cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decernimus ac praecipimus ut iisdem intersint vicarii quoque, aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia, parvasque missionum domos incolunt.

De officio conveniendi ad Synodum explorata Tridentina lex est (3): « Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur, ad » quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere tenentur. Ratione autem parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum etiam adnexarum, debent ii qui illarum curam gerunt, » quicumque illi sint, Synodo interesse. » Quam legem egregie illustravit Benedictus XIV (4). Neque vero putamus cuiquam negotium facessere decretum Alexandri VIII, III kalen. Aprilis MDCXCI quo

(1) *Forosempronien.* 5 Septem. 1650 Lib. 19 Decret.

(2) *Forosempronien.* 12 Maii 1681 Lib. 53 Decr. fol. 258 *Aquipendien.* VV. SS. LL. 12 Martii 1718.

(3) Sess. 24 cap. 2. *de reform.*

(4) *De Synod. dioec.* lib. 3 cap. 1 § 11.

cavetur, ut ad synodum accedant Abbates, Rectores, Praefecti, omnesque antistites domorum religiosarum quas Innocentius X Episcoporum potestati subiecerat. Quum enim Innocentianae Constitutiones viros apostolicos, qui in sacris missionibus versantur, non attingant, facile intelligitur, neque decretum Alexandri VIII ad eos, de quibus modo apud Nos agitur, pertinere. Quare huic posteriori quaestionis parti hoc unum respondemus: standum esse decretis Synodi Tridentinae.

Proxima est quaestio quae respicit appellationem ab interpretatione, quam Episcopi ediderint, decretorum synodalium. Namque hisce decretis pareant oportet etiam religiosi sodales in iis quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem referuntur (1), ceterisque in rebus « in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta. (2) » Profecto dubitare non licet quin ab iis interpretationibus ad Sedem Apostolicam provocatio sit: « siquidem, Gelasio I (3) et Nicolao I (4) auctoribus, » ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt: » ab illa autem nemo sit appellare permissus. » Quare huius appellationis tantummodo vis et effectus potest in dubitationem adduci. At haec dubitatio facile tollitur, si apta fiat causarum distinctio. Fas est nimirum Regularibus appellare *in devolutivo* tantum, quoad interpretationem decretorum, quae de iure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum etiam *in suspensivo*. Authentica namque interpretatio quae manat ab Episcopis, qui Synodorum auctores sunt, tanti profecto est, quanti sunt ipsa decreta. Ex quo illud omnino est consequens, licere religiosis sodalibus a primo decretorum genere appellare eo iure et modo, quo licet cuilibet e dioecesi appellare a lege communi, scilicet *in devolutivo* (5). At vero ad reliqua decreta quod attinet, ea certe lata contra regulares vim rationemque legis amittunt: quare constat illos sic exemptionem a iurisdictione episcopali possidere uti ante possederint; donec Pontificis maximi auctoritate iudicetur, iure ne an secus cum iis actum sit.

Hactenus de exemptionis privilegio; nunc de iis quaestionibus dicendum, quibus ministeria quaedam per regulares exercita occa-

(1) Concil. Trid. sess. 25 cap. 11 *de regular.*
(2) Innoc. IV cap. 1 *de privileg.* in 6.
(3) Epist. 7. *ad Episc. Dardan.* ann. 495 Tom. 2 collect. Harduini.
(4) Epist. 8 ad Michael. Imperat. Tom. 5 collect. Harduini.
(5) Bened. XIV *de Synod. Dioec.* Lib. 13 cap. 5 § 2.

sionem praebuerunt. Excellit inter haec munus curationis animarum, quod saepe, ut innuimus, religiosis viris demandatur intra fines ab Episcopis praestitutos; locus autem iis finibus comprehensus *missionis* nomine designatur. Iamvero de his missionibus disceptatum fuit, an et quomodo fieri possit ab Episcopis earum divisio, seu, ut dici solet, dismembratio. Nam qui Regularium iura tuebantur, negabant hanc divisionem fieri posse nisi legitimis de causis, adhibitisque iuris solemniis quae praescripta sunt ab Alexandro III (1) et a Concilio Tridentino (2). Alia vero erat Episcoporum opinatio.

Profecto si divisio fiat paroeciae veri nominis, sive antiquitus conditae, sive recentiore memoria iure constitutae, dubitandum non est quin nefas sit Episcopo canonum praescipta contemnere. At Britannicae missiones generatim in paroecias ad iuris tramites erectae non sunt: idcirco sacrum Consilium christiano nomini propagando anno MDCCCLXVI officium applicandi missam pro populo ad Episcopum pertinere censuit, propterea quod dioecesium Britannicarum non ea sit constitutio, ut in veras paroecias dispositae sint. Itaque ad divisionem missionis simplicis ea iuris solemnia transferenda non sunt, quae super dismembratione paroeciarum fuerunt constituta: eo vel magis quod propter missionum indolem et peculiares circumstantias, numero plures ac leviores causae possint occurrere, quae istarum divisionem suadeant, quam quae iure definitae sint ut fiat paroeciarum divisio. Neve quis urgeat similitudinem quam utraeque inter se habent; cum enim obligatio servandi solemnia iuris libertatem agendi coerceat, ad similes causas non est pertrahenda. Silentibus itaque hac super re generalibus Ecclesiae legibus, necesse est ut Concilii Provincialis Westmonasteriensis valeat auctoritas, cuius hoc decretum est: « Non obstante rectoris missionarii » deputatione, licebit Episcopo de consilio Capituli, intra limites » missionis cui praeponitur, novas Ecclesias condere ac portionem » districtus iis attribuere, si necessitas aut utilitas populi fidelis » id requirat. » Quae cum sint ita, ad propositam consultationem respondemus: licere Episcopis missiones dividere, servata forma sancti Concilii Tridentini (3), quoad missiones quae sunt vere proprieque dictae paroeciae; quoad reliquas vero, ad formam Synodi I Provincialis Westmonasteriensis (4). Quo melius autem missioni, quae dividenda sit, eiusque administris prospiciatur, volumus ac

(1) Cap. ad *audientiam* de Eccles. aedific.

(2) Sess. 21 cap. 4. *de reform.*

(3) Cap. 4 sess. 21 *de reform.*

(4) *De regimine congregationum* seu *missionum*. n. 5.

praecipimus, ut sententia quoque rectoris exquiratur, quod iam accepimus laudabiliter esse in more positum: quod si a religiosis sodalibus missio administretur, Praefectus Ordinis audiatur; salvo iure appellandi, si res postulet, a decreto episcopali ad Sanctam Sedem *in devolutivo* tantum.

Peracta missionis, cui regulares praesint, dismembratione, alia nonnunquam quaestio suboritur: utrum nempe Episcopus in praeficiendo Rectore missioni, quae nova erigitur, ipsos religiosos sodales ceteris debeat praeferre. — Quamvis illi hanc sibi praerogativam adserant, obscurum tamen non est, haud leves exinde secuturas difficultates et offensiones. Ceterum in ea, de qua sermo est, nova erectione necesse est alterutrum contingere: nimirum ut paroecia veri nominis, aut mera missio constituatur. Si primum fieret, per quam alienum esset ab Ecclesiae disciplina e religiosa familia arcessitum parochum praeferri; sic enim iure quod modo viget arcentur regulares a parochi munere, ut illud suscepturi venia Apostolica indigeant. Ad rem Benedictus XIV in Constit. *Cum nuper*, VI idus Novembr. MDCCLI, « Quemadmodum, inquit, negari nequit, » ex veteri canonum lege, monachos et regulas ecclesiarum paro- » chialium regiminis capaces fuisse, ita certum nunc est ex recen- » tiori canonica disciplina interdictum esse regularibus parochiarum » curam adsumere sine dispensatione Apostolica. » Hinc sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis (1) ad dubium « an » annuendum sit precibus Patrum Augustinianorum de nova paroe- » cia iisdem concedenda » rescripsit — negative et amplius —. Sin autem, quod secundo loco posuimus, mera missio erigitur, ius certe non obest religiosis viris ne inter eos eligatur rector; ast ne iis quidem praeferri optantibus suffragatur. Rem itaque integram et in sua potestate positam aggrediens Episcopus, libertate sua utatur oportet; ubi enim iura silent, loco legis est Praesulis auctoritas; praesertim vero quod, ut doctorum fert adagium, Episcopus *intentionem habet in iure fundatam* in rebus omnibus, quae ad dioecesim suam administrandam attinent. Quamobrem praelatio quoad novam missionem, a Regularibus expetita; aut nullo iuris subsidio fulcitur, aut in disertam iuris dispositionem offendit.

Officium curationis animarum sedulitati Regularium commissum alias etiam dubitationes gignit; eaeque loca spectant finibus comprehensa missionum quae ab ipsis reguntur. Coepit enim ambigi utrum coemeteria et pia loca, intra fines illarum sita, Episcopus visitare possit. Ast in coemeteriis facilis ac prona suppetit distin-

(1) In Ianuen. *dismembrationis* XXV Ianu. MDCCCLXXIX.

ctionis adeoque finiendae controversiae ratio. Nam si de coemeterii, agatur quae solis religiosis familiis reservantur, ea plane ab Episcopi iurisdictione, proindeque a visitatione exempta sunt; cetera vero fidelium multitudini communia, quum uno ordine haberi debeant cum coemeteriis paroecialibus, iurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo iure ab Episcopo visitantur, quemadmodum statuit Benedictus XIV in Constit. *Firmandis* VIII Idus Novembris MDCCXLIV. Haud absimili distinctione de locis piis quaestio dirimitur, ea secernendo quae exempta sunt ab iis quibus praeests Episcopus sive ordinario iure, sive delegato. De utrisque igitur, tum coemeteriis tum piis locis, sententiam Nostram paucis complectimur pronunciantes: sacrorum canonum et constitutionum Apostolicarum praescripta esse servanda.

Superioribus dubiis arcto iungitur nexu illud quo quaeritur an Episcopis subesse debeant scholae pauperum, quae *elementares* etiam *primariae, puerorum* nuncupantur; est enim sanctissimum docendi ministerium, et proximum piis locis ordinem tenent scholae de quibus agendum est. Quo illae pertineant ex ipso nomine dignoscitur; intendunt nimirum ad puerilem aetatem primis litterarum elementis primisque fidei veritatibus, ac morum praeceptis apte instituendam: quae quidem institutio omnibus est temporibus, locis et vitae generibus necessaria, ac multum habet momenti ad universae societatis humanae nedum singulorum hominum incolumitatem; ex puerili enim institutione pendet, ut plurimum, qua quis ratione sit reliquae aetatis spatium acturus. Itaque quid a docentibus eo loci praecipue praestandum sit, sapienter Pius IX significavit scribens, « In hisce potissimum scholis omnes cuiusque e populo classis pueri vel a teneris » annis sanctissimae nostrae religionis mysteriis ac praeceptionibus » sedulo sunt erudiendi et ad pietatem morumque honestatem, et » ad religionem civilemque vivendi rationem accurate formandi, » atque in iisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium » in institutione et educatione locum habere ac dominari debet, ut » aliorum cognitiones, quibus iuventus ibi imbuitur, adventitiae » appareant. » (1) — Nemo exhinc non intelligit istam puerorum institutionem in Episcoporum officiis esse ponendam, et scholas, de quibus agitur, tam in urbibus frequentissimis, quam in pagis exiguis inter opera contineri quae ad rem dioecesanam maxime pertinent.

(1) Epist. ad Archiep. Friburg. *Cum non sine maxima* XIV Iulii MDCCCLXIV *Acta* vol. 3.

Insuper quod ratio suadet lux historiae confirmat. Nullum quippe fuit tempus quo singularis non eluxerit Conciliorum cura in huiusmodi scholis ordinandis ac tuendis, pro quibus plura sapienter constituerunt. Eorum nempe decretis prospectum est ut illas Episcopi in oppidis et pagis restitui et augeri curarent (1), puerique ad discendum admitterentur, qualibet, si fieri posset, impensa remissa (2). Eorumdem auctoritate dictae leges, quibus alumni religioni ac pietati operam darent, (3) definitae dotes et ornamenta animi, quibus magistros praeditos esse oporteret (4), iisque imperatum, uti iurarent iuxta formulam catholicae professionis (5): demum scholarum curatores constituti qui eas adirent, ac circumspicerent nequid inesset vitii aut incommodi, neve quid omitteretur ex iis rebus, quas de illarum disciplina leges dioecesanae sanxissent (6). Ad haec, quum Patres Conciliorum probe intelligerent parochos etiam pastoralis ministerii compotes esse; partes haud exiguas iisdem tribuerunt in scholis puerorum, quarum cura cum animarum curatione summa necessitate iungitur. Placuit igitur in singulis paroeciis pueriles scholas constitui (7), quibus nomen est *parochialibus* impositum (8); iussi sunt parochi munus docendi suscipere, sibique adiutricem operam magistrorum et magistrarum adsciscere (9): iisdem negotium datum scholas regendi et curandi diligentissime (10): quae omnia si non ex fide integreque gesserint, officium deseruisse arguuntur (11), dignique habentur in quos Episcopus animadvertat (12). In unum ergo collineant argumenta ex ratione et factis petita ut scholae, quas pauperum vocant, institutis dioecesanis et paroeciali-

(1) Synod. I Provincial. Camerac. tit. *de scholis* cap. 1 — Synod. provinc. Mechlin. tit. *de scholis* cap. 2.

(2) Synod. Namurcen. an. 1604 tit. 2 cap. 1.

(3) Synod. Antuerpien. sub Mireo tit. 9. cap. 3.

(4) Synod. Cameracen. an. 1550.

(5) Synod. II Provinc. Mechlinien. tit. 1. cap. 3.

(6) Synod. II Provinc. Mechlinien. tit. 20 cap. 4. — Synod. Provin. Pragen. an. 1860, tit. 2. cap. 7.

(7) Synod. Valens. an. 529. can. 1. — Synod. Nannet. relat. in cap. 3. *de vit. et hon. clericor.* — Synod. Burdigal. an. 1583. tit. 27.

(8) Synod. 1. Provinc. Mechlin. tit. *de scholis* cap. 2. — Synod. Provinc. Colocen. an. 1863, tit. 6. — Synod. Provin. apud Maynooth anno 1875.

(9) Synod. Nannet. sup. cit. — Synod. Antuerp. sup. cit. — Synod. Prov. Burdig. an. 1850. tit. 6. cap. 3.

(10) Synod. Prov. Vienn. ann. 1858, tit. 6. cap. 8. — Synod. Prov. Ultraiect. an. 1865 tit. 3. cap. 2.

(11) Synod. Prov. Colocen. an. 1863. tit. 6. cap. 5. — Synod. Prov. Colonien. an. 1860, tit. 2. cap. 23. — Synod. Prov. Ultraiect. an. 1863. tit. 9. cap. 5.

(12) Synod. I Prov. Cameracen. tit. *de Scholis* cap. 2.

bus praecipuo iure adnumerandae sint; eaque de causa Britannorum Episcopi ad hanc usque aetatem in missionibus tam saecularibus quam regularibus easdem pro potestate sua visitare consueverunt. Quod et Nos probantes declaramus: Episcopos ius habere quoad omnia visitandi huiusmodi scholas pauperum in missionibus et paroeciis regularibus aeque ac in saecularibus.

Alia profecto causa est ceterarum scholarum et collegiorum, in quibus religiosi viri secundum ordinis sui praescripta iuventuti catholicae instituendae operam dare solent; in hisce enim et ratio postulat, et Nos volumus firma atque integra privilegia manere quae illis ab Apostolica Sede collata sunt, prout aperte est declaratum anno MDCCCLXXIV a sacro Consilio christiano nomini propagando, quum acta expenderentur Concilii Provincialis Westmonasteriensis IV (1).

Quum res in vado sit quod ad scholas attinet et collegia regularium iam constituta, adhuc tamen est in ancipiti, si de novis erigendis agatur. De his enim quaeritur; an et cuius superioris venia sit impetranda? Porro cum latius ea dubitatio pateat et ecclesiarum quoque ac coenobiorum erectionem pertingat, omnia haec unius quaestionis et iudicii terminis complectimur. Atque hic primo occurrunt Decretales veteres, quibus est cautum ne quid huiusmodi quisquam institueret absque Sedis Apostolicae licentia speciali (2). Postmodum Tridentina Synodus in eodem genere quidquam operum fieri prohibuit « sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia » prius obtenta (3) »: quo tamen Concilii decreto haud est superioribus legibus derogatum, veniam ab Apostolica Sede impetrari iubentibus. Quapropter cum ea in re liberius passim ageretur, Urbanus VIII (4) pravam consuetudinem emendaturus, opera eiusmodi improbavit tam quae sine venia Episcopi, quam quae sola illius auctoritate susciperentur, et veterum canonum simul Conciliique Tridentini leges omnino in posterum servari decrevit. Huc etiam spectavit Innocentius X in Constitut. *Instaurandae* Idibus Octobris MDCLII, qua praecepit ut nemo ex familiis regularibus « domos » vel loca quaecumque de novo recipere vel fundare praesumat absque » Sedis Apostolicae licentia speciali ». Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere

(1) Decret. 26.

(2) Cap. Religiosorum § *confirmatas de relig. domib.* et cap. *Ex eo* de excess. praelat. in 6.

(3) Concil. Trident. sess. 25 cap. 3 *de Regular.*

(4) Constit. *Romanus Pontifex* XIII kalen. Septembris 1624.

regularibus; tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri (1). Iisdem insistens vestigiis sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries decrevit, veniam Apostolicae Sedis et Episcopi aut Vicarii Apostolici ecclesiis collegiisque erigendis, etiam in missionibus, ubi religiosi sodales domos sedesque habeant, esse omnino necessariam (2). His ergo de causis ad propositum dubium respondemus: sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere.

Fieri solet utique subtilior inquisitio, an duplex ea venia sit impetranda, si non prorsus novum opus regularis familia moliatur; sed ea quae sunt instituta velit in alios usus convertere. Verum neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis serio dubitet, an ea quae pietatis religionisque causa instituta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere? Restat itaque ut de tribus hisce dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat dimovere de loco instituta alioque transferre: aut immutare in usum consentaneum, qualis esset si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur; aut demum, priore usu retento, novam causam sive usum inducere. Iam vero quominus duo illa prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat decretum Bonifacii VIII, qui eos vetuit « ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, » seu hactenus recepta mutare (3). » Rursus qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam « Monaste- » riorum, Collegiorum, domorum, conventuum et aliorum Regularium » locorum huiusmodi? » Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII per constitutionem *Romanus Pontifex,* « servata in omnibus et » per omnia sacrorum canonum et Concilii Tridentini forma. » Sic unum superest de quo contendatur; num priore usu retento, nova causa vel usus adiici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispicere, utrum ea inductio alterius usus ad interiorem administrationem, disciplinamque domesticam spectet, velut si tiro-

(1) Bened. XIV, *Synod. dioeces.* lib. 9. cap. 1. num. 9 — Monacelli. *formula legal.* part. 1, tit. 6, form. 19, num. 31.

(2) Sac. Congreg. de Prop. Fide in coetibus habitis diebus 22 Mart. 1669; 3 Nov. 1688, 1704, 1768; 23 Aug. 1858; 30 Maii 1864; 17 Iulii 1865.

(3) Cap. *Cum ex eo* de excess. praelat. in 6.

cinium aut collegium studiorum causa iunioribus sodalibus in coenobio constituatur; an fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibi schola fiat aut collegium quod pateat etiam alienis. Plane si dictos fines excesserit, res redit ad alterutram illarum, quae a Bonifacio VIII et Urbano VIII fieri pro lubito, ceu diximus, prohibentur. Sin autem intra limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe iure Regulares utentur, nisi forte leges fundationis obsistant. Ex quibus singillatim perpensis manifesto colligitur: Religiosis sodalibus non licere ea quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem.

Nunc ad illud progredimur controversiae caput, in quo de temporalibus missionum bonis disputatum est. Ex liberalitate fidelium ea parta bona sunt, qui cum sua sponte et voluntate dona largiantur, vel intuitu missionis id faciunt, vel eius qui missioni praeest. Iam si missionis intuitu donatio contigerit, ambigi solet, an viri religiosi quibus donum sit traditum, accepti et expensi rationem reddere Episcopo teneantur. Atque istud quidem fieri oportere, sacrum consilium christiano nomini propagando super dubio proposito ob missiones Britannicas religiosis Ordinibus sive Institutis commissas die XIX Aprilis MDCCCLXIX, rescripsit in haec verba: « 1. Missiona-
» rii regulares bonorum temporalium, ad ipsos *qua regulares* spe-
» ctantium, rationem Episcopis reddere non tenentur. 2. Eorum ta-
» men bonorum, quae missioni, vel regularibus *intuitu missionis*
» tributa fuerunt, Episcopi ius habent ab iisdem missionariis regu-
» laribus, aeque ac a Parochis cleri saecularis, rationem exigendi. »
Quo vero tabulis accepti et expensi ratio constaret, sacer idem Coetus die X Maii anno MDCCCLXVIII, in mandatis dederat ut bona missionum diligenter describerentur, ea secernendo quae propria missionum essent ab iis que ad sodalitia sodalesve singulos pertinerent.

Nihil enimvero in his decernendis vel praecipiendis est actum, quod iuris communis doctrinis vulgatissimis apprime non congruat. Nam quaevis oblatio parocho aut alteri Ecclesiae Rectori data piae cuiusdam causae intuitu, ipsimet piae causae acquiritur. Ex quo fit, ut qui rem pecuniamve oblatam accepit administratoris loco sit, cuius est illam erogare iuxta mentem et consilium largitoris (1). Quoniam vero administrantis officio incumbit rationes actus sui

(1) Fagnan. in cap. *Pastoralis, de his quae fiunt a Prealatis*, n. 29 — Card. de Luca *in Conc. Trid.* discur. 18, n. 5 — Reiffenst. Lib. 3 *Decret.* tit. 30, n. 193.

conficere, eique reddere cuius res gesta fuit (1), ideo parochus vel Ecclesiae Rector facere non potest quin rationes reddat Ordinario loci, cuius est iurisdictio et causae piae tutela (2). At missiones, de quibus apud Nos actum fuit, pleno iure ad Episcopum pertinent; huic ergo cuiusque oblationis earum intuitu collectae rationes oportet exhibere. Neque haec ex eo infirmantur, quod Urbanus II in Concilio Claromontano, aliique post eum Romani Pontifices decreverunt (3) circa Ecclesias Parochiales, quoad temporalia Monasteriis iunctas, teneri vicarios respondere Episcopis de *plebis cura*, de temporalibus vero non ita, cum monasterio suo sint obnoxii; siquidem seposita etiam ratione historica unde ea profecta est iuris dispositio (4), certum exploratumque est, in iis pontificiis decretis ac litteris appellatione temporalium, beneficii fructus et quae beneficiati personae adhaerent compendia significari.

Quocirca ea confirmantes quae a s. Congregatione de Propaganda Fide rescripta et mandata sunt, statuimus, religiosos sodales, redditis Episcopo rationibus, docere debere de pecunia, intuitu missionum sibi allata, et quantum de ea et quos in usus impenderint aeque ac missionarios Cleri saecularis, iuxta praedictas resolutiones eiusdem Congregationis die XIX Aprilis MDCCCLXIX, et Instructionem die X Maii MDCCCLXVIII.

Tandem ne quis obrepat error aut dissensus in his quae modo iussimus exequendis, definiendum censemus, quae pecuniae, quaeque res viris religiosis oblatae intuitu missionum intelligantur. Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largitor voluerit; quod si non appareat, placuit, parocho vel rectori ecclesiae collatam donationem praesumi (5). At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem, quam quidam ecclesiastici iuris periti fere communem evasisse docent, cuius vi « hodie pene solae » oblationes quae in Ecclesia sub missis ad altare fiunt et quae pro » administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis aut mu- » lieribus post partum, pro exequiis et sepulturis, aut aliis simili-

(1) L. 1. § *officio* ff. *de tutelae et rat. distr.* — L. 2 § *et sane* ff. *de negot. gest.* L. *Curator,* L. *Tutor* Cod. *de negot. gest.*

(2) Sac. Cong. Concilii *Nullius,* seu *Nonantulan. iurium parochialium* 27 Iunii 1744 ad dub. XII.

(3) Lucius II *ad Priorem s. Pancratii in Anglia,* Alexander III *ad Monaster. s. Arnulphi,* Lucius III *ad Superior. Praemonstrat. et ad Abbatissam s. Hilarii in dioecesi Fesulana.*

(4). Gonzal. Comment. in Cap. I. *de Cappel. monach.*

(5) Argum. ex cap. *Pastoral. 9 de his quae fiunt a Praelat.* cap. *Transmissa, de Verb. sign.* ac praesertim cap. I *de Statu Monach.*

» bus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectant; con-
» suetudine reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis aut
» aliis certis finibus applicante (1). » Praeterea si in parochum rectoremve, a quibus spiritualia adiumenta fideles accipiunt (2), haud inconcinne praesumi potest collata liberalitas, ubi Ecclesia bonis praedita sit, per quae religionis decori et ministrorum tuitioni prospiciatur longe, aliud iudicium esse debet ubi eam bonorum copiam Ecclesia non habeat, ac liberalitate fidelis populi unice aut potissimum sustentetur. Tunc enim largitores putandi forent voluisse consulere cultus divini splendori et religionis dignitati, ea ratione et modo quem ecclesiastica auctoritas decerneret. Ideo apud christianos primaevos lege cautum fuerat ut pecunia omnis dono accepta, inter Ecclesiam, Episcopum, Clericos et egenos divideretur. Legis porro sese interponens auctoritas, si largitionum tempora et causas praestituat, illud efficit quoque, ne fideles semper pro arbitrio possint modum et finem designare in quem oblatam stipem erogari oporteat; nequit enim facere privatorum voluntas, ut quod a legitima potestate in bonum commune praecipitur certo destituatur effectu. Haec Nobis considerantibus visi sunt prudenter et opportune egisse Patres Concilii provincialis Westmonasteriensis II, cum partim interpretantes piam et aequam donantium voluntatem, partim ea, quae Episcopis inest, utentes potestate imperandi pecuniae collationes decernendique quo tempore et qua de causa conferri oporteat, statuerunt in capite *de bonis ecclesiasticis*, quid censendum sit intuitu missionis collatum. Iubet igitur ratio, itemque Nos constituimus, hac in re religiosos ad leges Westmonasteriensis Synodi sese affatim accomodare oportere.

Sublatis controversiis cognitioni Nostrae propositis, confidimus, curam a Nobis in iis componendis adhibitam eo valituram, ut ad tranquillitatem et incrementum rei catholicae in Anglia non leviter conferat. Equidem pronunciationes Nostras ad iuris et aequitatis regulam studiose religioseque exegimus, nec dubitamus quin in iis exequendis par diligentia et religio eniteat illorum inter quos iudicium protulimus. Sic enim fiet, ut Episcoporum ductu et prudentia religiosi sodales de Anglicis missionibus apprime meriti strenue et alacriter e laboribus suis fructus salutis ferre pergant laetissimos, atque utrique (ut voce utamur Gregorii Magni ad Angliae Episcopos) *communi... consilio, concordique actione quae sunt pro*

(1) Reiffenst. *L. 3 Decretal.* tit. 30, n. 193. Van. Espen *ius eccles. univ.* part. 2, sect. 4, tit. 2, cap. 10, nn. 20 et 21.

(2) Argum. ex cap. *quia Sacerdotes* 13, caus. 10, quaest 1,

Christi zelo agenda disponant unanimiter, recte sentiant, et quae senserint, non sibimet discrepando perficiant (1). Concordiam hanc postulat paterna caritas Episcoporum in adiutores suos et mutua Cleri in Episcopos observantia; hanc concordiam flagitat finis communis qui situs est in salute animarum iunctis studiis ac viribus quaerenda; hanc eamdem exigit necessitas iis resistendi qui catholico nomini infensi sunt. Haec vires gignit et infirmos quoque pares efficit ad grandia quaeque gerenda; haec signum est quod sinceros Christi discipulos ab iis disterminat qui se tales esse mentiuntur. Ad hanc igitur singulos et universos enixe cohortamur in Domino, rogantes cum Paulo ut impleant gaudium Nostrum, ut idem sapiant eamdem caritatem habentes unanimes. idipsum sentientes (2).

Demum ut firmiter ea consistant quae constituimus, volumus atque decernimus, praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti religiosi sodales et alii quicumque, in praemissis interesse habentes cuiusvis status, gradus, ordinis et dignitatis existant, seu alias specifica mentione digni iis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, causaeque propter quas praesentes emanaverint sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum aliudve quodcumque iuris remedium intentari vel impetrari; sed ipsas praesentes Litteras semper firmas validas et efficaces existere et fore, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas ad effectum impediendi vel retardandi earum executionem quovis modo vel quavis de causa opponi possent minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus obtinere, easque propterea, omnibus et singulis impedimentis penitus reiectis, ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter servari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere, ac irritum fore et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

(1) Apud Bedam *Histor. Angl.* II, 29.

(2) Philip. II, 2.

Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula *de iure quaesito non tollendo,* aliisque Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, et Societatum, etiam Iesu, et quarumvis Ecclesiarum et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis et factis ac licet pluries iteratis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum derogatione specialis forma servanda foret, tenores earumdem praesentibus pro plene ac sufficienter expressis habentes ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Quocumque autem modo earumdem praesentium Litterarum exempla in Anglia publicata fuerint, volumus ut statim post huiusmodi publicationem omnes et singulos quos concernunt vel concernent in posterum perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae ac notificatae fuissent.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrarum decisionum, declarationum, decretorum, praeceptorum et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno Dominicae Incarnationis Millesimo octingentesimo octuagesimo primo, Octavo Idus Maii, Pontificatus Nostri Anno IV.

C. CARD. SACCONI *Pro-Dat.* - T. CARD. MERTEL.

Visa

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium.

I. CUGNONIUS.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito die 13 Maii 1881.

Sanctissimus Pater hac mane sequentes proposuit ecclesias:

METROPOLITANAM ECCLESIAM S. SALVATORIS in Brasilia, vacan. per obitum bo.me.Ioachim Gonçalves de Azevedo,ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Aloisii Antonii dos Sanctos, hactenus Antistitis Fortalexiensis, ad praesentationem Serenissimi Brasiliae Imperatoris.

METROPOLITANAM ECCLESIAM CAMERACEN. vacan. per obitum clar. mem. Renati Francisci dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis Regnier, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Alfredi Duquesnay hucusque Episcopi Lemovicensis, ad nominationem perillustris Viri Julii Grevy, Gallicae Reipublicae Praesidis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM CAMBERIEN. vacan. per obitum bo. me. Petri Anastasii Pichenot, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R.P.D.Francisci Salesii Alberti Leuillieux hactenus Antistitis Carcassonensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis.

ECCLESIAM AQUILAN. a sa. me. Pio PP. IX. per Apostolicas Literas « *suprema dispositione* » sub plumbo expeditas die decima nona Ianuarii anni 1876 Archiepiscopali honore condecoratam et vacan. per obitum bo. me. Aloisii Filippi, ultimi illius Archipraesulis,extra romanam curiam defuncti,favore R.P. D. Augusti Antonii Vicentini, hactenus Episcopi Conversani.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CONCORDIEN. vacan. per dimissionem a R. P. D. Pietro Cappellari ultro, libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam, et ab EADEM admissam, favore R. P. Fr. Dominici, Pii Rossi Ord. Praedicatorum; qui ex legittimis, catholicis, honestisque parentibus Bononiae progenitus et in quinquagesimo secundo aetatis suae anno constitutus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM LIPAREN. vacan. per obitum bo. me. Ludovici Idèo ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Mariani Palermo Presbyteri archidioeceseos Catanensis; qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido, Malecti archidioceseos Catanensis progenitus et in quinquagesimo sexto aetatis suae anno constitutus est.Patrio in oppido Curatum et Vicarium agens Foraneum, in nova, pulcherrimaque aedificanda Ecclesia paroeciali mirifice adlaboravit.

CATHEDRALEM ECCLESIAM VAPINCEN.vacan. per obitum bo.me.Ludovici Mariae Roche, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ioannis Baptistae Simonis Jacquenet, Presbyteri archidioeceseos Bisuntinae, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis. Anteacti Rhemensis Archipraesulis a

Secretis, et apud Concilium Vaticanum Oecumenicum pro re dogmatica Consultoris munere perfunctus, inter SANCTITATIS SUAE Protonotarios Apostolicos admuneratus, et Ecclesiae s. Iacobi Rhemense in urbe Parochus ad praesens usque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Carcassonen. vacan. per translationem R. P. D. Francisci Salesii Alberti Leuillieux ad Metropolitanam Sedem Camberiensem, favore R. D. Felicis Arsenii Billard, Presbyteri archidioeceseos Rhotomagensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Felix Arsenius Billard ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Saint-Valery-en-Caux* Rhotomagensis archidioeceseos progenitus, in quinquagesimo secundo aetatis suae anno constitutus est. Canonicus Theologalis ipsa in metropolitana, et pro archidiocesi Rothomagensi hactenus Vicarius in spiritualibus Generalis renunciatus fuit.

Cathedralem Ecclesiam Lemovicen. vacan. per traslationem R.P.D. Alfredi Duquesnay ad sedem metropolitanam Cameracensem, favore R. D. Petri Henrici Lamazou, Presbyteri dioeceseos Baionensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis. In paroeciis s. Sulpitii et s. Mariae Magdalenae Lutetiae Parisiorum Vicarium agens, Apostolicae Sanctae Sedis iura defendit, et Ecclesiam, praesertim s. Mariae Magdalenae ab ausu nefario eripuit. Parochus ad Beatam Mariam Virginem Antolioli, *Auteuil*, ubi novam Ecclesiam construendam curavit, ad praesens usque renunciatus est.

Cthedralem Ecclesiam Apamien. vacan. per obitum bo. me. Ioannis Antonii Augusti Bélaval ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Petri Eugenii Rougerie, Presbyteri dioeceseos Lemovicensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis. In parvo suae dioecesis seminario humaniores literas, et philosophicas tradens facultates, Parochus Sancti Iuliani in oppido *Rochechouart* eiusdem dioecesis hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam s. Dionysii vacan. per dimissionem a R.P.D. Dominico Clemente Soulè ultro, libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam, et ab EADEM admissam, favore R.D. Josephi Coldefy, Presbyteri dioeceseos Cadurcensis, ad nominationem perillustris Viri Julii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis. Nonnullis in paroeciis Vicarii munere perfunctus, Dominae Nostrae de Thiviers, Petrocoricensis dioecesis hucusque Parochus renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Constantinien. vacan. per obitum bo. me. Francisci Caroli Mariae Gillard ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Bartholomaei Clementis Bombes, Presbyteri dioeceseos Carcassonensis, ad nominationem perillustris Viri Julii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis. Animarum curae tum qua Parochus incumbens, et Archipraesulis Algeriani a Secretis electus, Metropolitanae Ecclesiae Juliae Caesareae ad praesens usque Canonicus titularis, et pro eadem archidioecesi Vicarius in spiritualibus Generalis renunciatus est. (1)

(1) In sequenti fasciculo reliquas dabimus propositiones.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

NULLITATIS RENUNTIATIONIS

Die 24 Aprilis 1880

Compendium facti. Denuntiationem receperat in scriptis Archiepiscopus C. mense Octobris anni 1878, qua Aloysius, Parochus oppidi cuiusdam S.B. triplicis criminis accusabatur, nempe sortilegii sodomiae et fraudis. Accusationes documentis, idest epistolis propria accusati manu scriptis, instrumentis publicis, ac testibus sustinebantur. De fraudibus in totius populi sibi commissi damnum recidentibus, nec non de sortilegiis probationes aderant: de sodomia non ita: sed graves suspiciones non deerant. Cumque accusatores uno ore minitarentur, se coram secularibus iudicibus rem propondituros, Archiepiscopus, ut iras contineret documentaque servaret, opportunum duxit regularis processus confectionem indicere, ad rem delegatis Canonicis Cathedralis Archipresbitero, Poenitentiario et Theologo, cum facultatibus necessariis et opportunis.

Sortilegium in hoc consistebat, quod Aloysius ad civitatem N. se contulerat, ut Nicolaum quemdam inviseret amicum suum magicum, cum quo de thesauris extrahendis ex Montis S. B. visceribus ope spirituum, loqueretur, ac epistolas ad fideles quosdam, suae paroeciae scripserat, fidem in magico habendam esse suadentes, et media ac suppellectiles ad spirituum evocationem necessarias indicantes.

Sodomiam, testes qui eam se passos fuisse narrabant, pene in comperto ponebant.

Fraus in eo fuerat, quod quidam X proprias Communitatis

Montis S. B. herbas pascendas conduxerat, depacta pensione, fideiussore accedente Syndici cognato. Cum vero X pensionem haud persolveret, in iudicium raptus fuerat a Municipio, et iam iam sententia exequutioni proxima erat, qua Municipium propria X bona licitationi exponeret. Tunc Aloysius haec ipsa bona simulato contractu emerat, eademque filiabus ipsius X debitoris vendiderat. Ita Municipio materia sublata unde creditum pensionum hauriret, fideiussorem ac integrum populum ad deficientes pensionum summas reparandas coegerat. Hoc facto universi sui populi iras in se excitaverat.

Iam eo deventum erat ut tria criminum capita ex processu in patulo essent, cum delegati iudices consilio cum Archiepiscopo, inito, Aloysium alloquuti sunt, eidem ostendentes: ipsum gravissimis poenis canonicis iri mulctatum, si processus ad exitum perduceretur: et suadentes opportunius suo decori provisurum, nec non Ecclesiae et civium Montis S. B. utilitati, si paroeciae nuncium mitteret.

Placuit consilium parocho, et ipsemet die 21 Ianuarii 1879 de mane scriptam renuntiationem in Ordinarii manibus tradidit ita conceptam: « Attenta mea gravi aetate, probe noscens
» me esse Ionam cuius causa procella fremit, eam sedatu-
» rus in mare me deiicio et hoc actu nuncium mitto Archi-
» presbyterali paroeciae Montis S. B. Ecclesiae charitati confi-
» sus, ne obliviscatur privationum ac expensarum quae in eius-
» dem Paroeciae bonum a me latae sunt, veniamque peto ab
» Ecclesiastica auctoritate, si culpa in me est, ut poenas mitiget
» sponte comparentis etc.

Renuntiationem huiusmodi illico accepto habuit Ordinarius: atque in calce authentici exemplaris scripsit « constito Nobis de
» veritate rerum expositarum, resignationem et renuntiationem su-
» pra factam admittimus et acceptamus; et per nostram Curiam pu-
» blicari mandamus. Volumus autem ut praedictus dominus Aloy-
» sius P. in spiritualibus et temporalibus Ecclesiam ipsam ad-
» ministrare pergat, usquedum per Nos huic de idoneo Oeconomo
» provideatur. »

» Hanc ipsam resignationem ac renuntiationem confirmavit die

insequenti, qua die eam iterum scripsit in folio obsignato (vulgo *bollato*) cum Archiepiscopum adivit, opportunas instructiones recepturus.

Post biduum, coram Archiepiscopo inopinatus comparuit, folii renuntiationis restitutionem enixe postulans: ast illius sermone iterum ac tertio convictione acquisita, unicam salutis tabulam emissam renuntiationem sibi superesse, ad Montis S. B. oppidum reversus est. Quo cum pervenisset, epistoliis ad revocationem renuntiationis redivit: et tandem civilis apparitoris opera adhibita, protestationis actum ad Archiepiscopum misit, quo declarabat: se retractare ac nullam habere renuntiationem in manibus Archiepiscopi sui emissam: ac velle in officio Archipresbyteri Parochi manuteneri.

Protestationes huiusmodi nihili fecit Ordinarius: et die 18 eiusdem mensis, literis ad hoc editis, Aloysii renuntiationem in vulgus edidit. Tunc nova protestatione emissa, Aloysius ad S. C. provocavit, inquiens nonnisi sub coactionis pressura se renuntiationem emisisse. Precibus pro informatione ad Archiepiscopum ablegatis, hic processus suspensionem indixit: Accepta vero informatione S. C. rescripsit « *afferantur a recurrente probationes assertae coactionis* ».

Loco probationum, novam edidit instantiam actor, qua nullas alias se probationes afferre posse asserebat, quam testium, quos indicabat, depositiones, et S. C. die 28 Iunii 1879 testium examen in Archiepiscopali Curia explendum indixit per rescriptum quod habet. - *Archiepiscopo pro informatione et voto; ut procedat ad examen enunciatorum testium super asserta coactione, ac de resultantibus S. C. certioret.*

Testium examine ad exitum perducto, causa Emorum Patrum iudicio proposita est.

Disceptatio Synoptica

QUAE ALOYSIUS ALLEGARET. Compertissimum in iure est (ita ille) renuntiationem cuiuslibet beneficii non libere ac sponte, sed metu emissam, nullius roboris esse nullumque parere effectum. Cap. *Ad aures*, de Renunciat. Cap. *Abbas*, et Cap. *ad*

audientiam, De his quae vi metusque causa fiunt. Cap. *Sciant* 12 de Elect. in 6. Clement. *Multorum* de Renuntiat. num. 7 et ad cit. Cap. *Ad audientiam. num 2. Rufin. de benef.* Cap. *19 num. 5 et 6* aliique quamplurimi. Atqui in facto consistere Aloysii renuntiationem, non libere ac sponte, sed metu editam fuisse. Ergo nullius esse roboris.

Sane in casu parochum haberi sexaginta annis natum, nervorum morbo laborantem, a suis adversariis, uti talibus Curiae notis, gravissimorum criminum accusatum, quae gravissimas secumferunt poenas, quem ipsi iudices hortati sunt ad nuncium paroeciae mittendum ut maiora mala vitaret, quin serio librassent, accusatores et testes ex asperrimis parochi inimicis esse.

His accedere, quod ex testium examine eruitur, Aloysium, tamquam ad occisionem ductum, Curiam C. adivisse ut propositam renuntiationem subsignaret. Nec ipsum Archiepiscopum diffiteri in suis litteris informatoriis renuntiationem editam fuisse « sub impressione timoris cuiusdam, non iniuste in-
» cussi, sed rationabiliter producti a maiorum malorum praevi-
» sione ».

Gravius est (prosequebatur allegatio) quod qui accusatorum caput atque instigator existebat, scripto declaraverit se malignitate ductum in Parochum calumniis saevisse: quodque perturbatio in familiis excitata, modo opera ipsius Aloysii sedata dici possit.

Ad sortilegium quod attinet, nihil epistolas conficere. Nam illae quas magicus conscripsit, hunc demonstrant potius ad stellionatum exercendum, quam ad sortilegium operandum tendisse. Talibus autem nugis nunquam Aloysius fidem praestitisse: et si quandoque ad scribendum se praestitit, ad iocum et ut amicis gratum faceret egisse, quam ut magici adiutor esset, vel cum eo societatem iniret.

Ergo etiam timore seposito, cum crimina quibus accusatio innitebatur in purum phantasma recidant, nullam aeque diiudicandam esse resignationem, quia sine causa. Teste namque *Parisio de Resignat. lib. 5 q. 1. 2 seqq. in resignationibus requiri causam, est communis doctorum sententia.*

Quae Archiepiscopus opponeret. Duo demonstranda sumebat eius patronus 1. renuntiationem validissimam esse; 2. dato et non concesso renuntiationis vitio, Aloysium talem esse parochum, quem cura privare oportebat.

Primam partem exordiebatur proponens, tria in iure requiri ad validitatem, cuiusvis resignationis 1. Resignationis causam. 2. Actum. 3. Acceptationem. Causam resignationis necessariam esse ex Constitutione Pii V. Fel. Rec. quod incipit *Quanta Ecclesiae* §. 3. quaeque sese refert ad aliam constitutionem Pontificis Innocentii III *de dimittendis* Cathedralibus Ecclesiis. In hac postrema causas omnes resignationum numerari contentas duobus illis versiculis. *Debilis, ignarus, male conscius, irregularis, Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.*

Hisce praeiactis adiiciebat: duplex in Aloysio renuntiationis causa reperitur: erat enim *male conscius,* eumque *plebs* oderat. Ex processus actibus constare ipsum societatem inivisse cum praestigiatore magico Nicolao, cumque aliis quorum plerique de eius grege erant, ad thesauros e montis cuiusdam visceribus trahendos. Haec non tam ex testibus, quam ex litteris ab eodem conscriptis eruuntur. Ipse enim dum in N. civitatem se contulisset ut Nicolaum alloqueretur, inde litteras ad consocios scribebat quibus omnia ad spirituum evocationem necessaria describebat. Cum autem inter cetera quae paranda erant, etiam non indifferens pecuniae vis indicaretur, cumque Aloysius protestatus esset in suo examine, se nunquam spirituum evocationibus fidem praestitisse, incertum manet num revera se sortilegio immiscuerit, vel particeps fuerit fraudis a magico paratae ad credulos decipiendos, et pecuniam ab ipsis extorquendam. Utrumque, aiebat Archiepiscopi defensor, sacerdote, et praesertim parocho indignum.

Nec minus certum est, prosequebatur, plebis odium in se ipsum excitasse, ob fraudes quibus operam dedit ut X bona servarentur, quae ob non solutas herbarum pensiones venui expositurum erat Municipium Montis S. B. Factum huiusmodi in omnium civium damnum recidit, qui eo maioribus subiiciebantur vectigalibus, quo subtiliores reditus exigebantur. Praecipue vero dam-

num persentiebat ille Syndici cognatus qui vadimonium pro X praestiterat.

Duo haec accusationum capita dum eum suae plebi invisum ac male conscium evincebant, binas causas praestabant utramque gravissimam editae resignationis, seposito etiam nefando sodomiae crimine, de quo ex processus tabulis quasi ad certitudinem constabat.

Renuntiationis actus existentiam, nec ipse Aloysius inficiatur, immo ea intrinsecus admittit, cum editam resignationem revocari postulat. Multominus in dubium revocatur Ordinarii acceptatio. Quae cum ita sint, concludebat, stat suo robore renuntiatio.

Scire aiebat opponere Aloysium sub metus gravis incussione se paroeciae nuncium misisse : et respondebat : inspecto renuntiationis tempore nihil inveniri quod talis metus existentiam evinceret unde nullitas exoriretur. Etenim cum iam processus ad exitum properaret, cumque necessitas praevideretur Aloysium gravissimis poenis canonicis puniendi, ipsi iudices delegati suasionibus, ac ratione maioris vitandi mali, de resignatione loquuti sunt utpote, de suprema ac unica salutis tabula, et consilium sibi in omnibus utile recognitum amplexus est Aloysius. Ergo punitionis vitandae ratio ea fuit quae ad resignationem Aloysium impulit : et metus qui a punitionis periculo oriri potuit *ab extrinseco* est non *ab intrinseco*, ideoque actum non vitiat.

Talis timoris existentiam qui non amplius sui compotem Aloysium redderet, excluditur tum rei facie inspecta, tum testium examine. Nam non semel, sed bis renuntiationem edidit scripto Aloysius, et placide cum Archiepiscopo omnia disposuit circa oeconomicam paroeciae administrationem tenendam, usque ad diem praestitutum. Testes vero vel eum non viderunt ea die qua renuntiationem edidit, vel in eo praetensam mentis alienationem haud inspexerunt.

Ad rem citabat advocatus, utpote huic simillimam causam renuntiationis actam coram s. C. C. die 30 Aprilis 1869 et relatam in nostra hac Ephemeride *Vol. IV. pag. 596* nec non

causam cui titulus *Romana Nullitatis Renuntiationis* coram eadem S. C. actam die 24 Augusti 1878: et postulabat ut applicaretur casui dispositio *Cap. III de Restit. spol. et Cap.* Quidam *n. 12 de Renuntiat.*

In secunda allegationis parte iisdem facti circumstantiis innixus quae contra Aloysium stabant, evincebat: etiamsi nulla renuntiatio existeret, eum esse indignum qui parochi officium diutius adimpleret.

His ita hinc inde disputatis, Eminentissimis Patribus quaestio dirimenda proposita est per

Dubium

An constet de nullitate renuntiationis in casu.

Resolutio. Eminentissimi porro Patres S. C. Concilii praepositi die 24 Aprilis 1880 plenis habitis Comitiis responsum dederunt.

Negative et ad mentem. Mens est ut scribatur Archiepiscopo ut provideat sacerdoti de congrua pensione.

Ex his deduces

I. Sortilegium, sodomiam, fraudes tales esse noxas in parocho, quae nullo modo ab Ordinariis tolerari valeant.

II. Nihilominus existentibus etiam in manibus Ordinarii admissarum culparum probationibus, absque processus confectione, ad perpetuam parochi titularis remotionem procedi nequire.

III. Malam sui conscientiam et plebis odium inter praecipuas recenseri causas edendae resignationis.

IV. Resignationem, quae ad maiora mala vitanda cuidam proponitur, ab eoque accepto habetur, utpote sub metus influxu emissam, ac nullitate infectam haberi nequire, cum timor hoc in casu ab extrinseco sit non ab intrinseco.

V. In casu, inspecta gravi parochi aetate, nec non processus complementi defectu, S. C. benigne indulsisse ut congrua pensione eius necessitatibus provideretur.

DOCTRINAE CHRISTIANAE

Die 20 Septembris 1879, et 29 Ianuarii 1881.

Compendium facti. Episcopus P. prospicere cupiens religiosae instructioni commissi sibi gregis, ac praesertim ruricolarum, die 2 Augusti 1877 in actu s. Visitationis circulares litteras edidit, quibus praecipiebatur ut populus doceretur circa rudimenta doctrinae christianae. In omnibus Ecclesiis et oratoriis publicis, ait Antistes, in quibus celebratur Missa in diebus praecepti, tradatur catechismus. Post duas omissiones, spatio trium mensium, sacerdotes delinquentes illico suspensi manebunt a celebratione Missae per quinque dies. Quum Antistes prospiceret decretum huiusmodi torqueri ad falsas interpretationes, iterum iussit doctrinam tradi christianam in quibuslibet Ecclesiis aut oratoriis urbanis aut ruralibus, per dies festos post evangelium primae Missae. Voluit autem, ut in ecclesiis in quibus plures dicerentur Missae, catechismus traderetur in prima et ultima Missa; et ut delinquentes plecterentur *ipso facto* poena suspensionis a Missa per tres dies - Declaravit tandem hac ordinatione obligare velle omnes Dioeceseos sacerdotes, cuiuscumque gradus aut dignitatis, haud exceptis Vicariis Foraneis, Canonicis aut Dignitatibus. Huic decreto obedientiam abnuit Capitulum Cathedralis, quippe quod choralis officii ordinem turbaret: declaravitque sese interponere appellationem apud s. Concilii Congregationem, eo quod Antistes fines suae potestatis excesserit. Rectores quoque plurium Confraternitatum questi sunt de hoc decreto apud s. C. C. eoquod per illud quasi desertae manserunt earumdem Ecclesiae. Episcopus de more rogatus, retulit exposita in precibus a Canonicis non esse veritati conformia; Confraternitates vero ita nunc procedere ut prorsus auctoritati Episcopi se subtrahant, et de bonorum administratione rationem amplius non reddant.

Disceptatio synoptica.

Defensio Capituli et Confraternitatum. Observat itaque praeprimis Capituli patronus populum Dioecesis P. adeo crassa et generali ignorantia in rebus religionis haud laborare, ut necessaria scitu ad salutem prorsus ignoret, imo ne se quidem signare sciat Crucis signo, ceu tradit Ordinarius. Quandoquidem ipse Episcopus, cum instructioni catechisticae interfuerit in Ecclesia s. Augustini Civitatis apprime dignoverit, pueros ac puellas probe doctrinam christianam callere; adultos vero eam pernoscere cognovit, eo quia non admittuntur ad Sacramentum Matrimonii, nisi receperint a Parocho attestationem, episcopali Curiae exhibendam, se esse in christiana catechesi instructos. Id tantum notat defensor, eos doctrinam christianam addiscere iuxta methodum Ven. Card. Bellarmini, prout in Italia communiter fit, non autem iuxta methodum ab Episcopo traditam. Everso itaque fundamento Episcopalis decreti, ipsum decretum corruat necesse esse certat, cum instructio haec possit et debeat commode praestari a Parochis, aliisque personis ad parochialia deputatis, minime vero a toto clero.

Paullisper at vero concesso, universum populum super fidei rudimentis crassâ ignorantiâ laborare, haud sequi urget, universum Clerum posse obligatione devinci, doctrinam christianam populo tradendi. Canones namque Ecclesiae, et precipue Concilium Tridentinum in *sess. 23 cap. 18, et sess. 24 cap. 7 de Reform.* de instructione religiosa onerant, praeter Episcopum, Parochos et alios Sacerdotes ad parochialia deputatos, quorum exclusivum ius et onus est in tali instructione insistere. Munus ergo Episcopale esse colligit, Parochos aliosque Sacerdotes ad parochialia deputatos paterne atque efficaciter exhortari, et quatenus id non sufficeret, etiam interminatis poenis adigere ad suum officium adimplendum. Et profecto urget Parochorum multitudinem, sicut et aliorum Sacerdotum ad munera parochialia exercenda deditorum talem esse in Dioecesi P. et praecipue in Civitate Cathedrali atque in suburbiis, ut satis superque sit pro universi populi instructione religiosa.

Quod si aliquando, subdit, propter populi numerum Parochi insufficientes reputantur pro hoc sancto opere explendo, tunc minime adigendi sunt simplices Sacerdotes, sed iuxta Constitutionem Benedicti XIV: *Etsi minime* diei 7 Februarii 1742, dantur eis coadiutores Clerici, Magistri et Magistrae scholarum, aliique pii laici et Sodalitates ad hoc institutae.

Unico tantum in casu, prosequitur, Episcopus alicui Sacerdoti imponere onus valet doctrinam christianam tradendi, de quo loquitur Benedictus XIV in citata Constitutione, dum videlicet Missa diebus festis celebratur in Ecclesiis ruralibus, a parochiali longe dissitis, ne populus illis Ecclesiis vicinus careat instructione catechismi. At cum nonnulli Episcopi confisi istius Constitutionis auctoritate, voluissent id muneris imponere Sacerdotibus in quibuscumque Ecclesiis celebrantibus et sub poena suspensionis, S. C. C. non semel consulta, praesertim in *Neritonensi diei 3 Decembris 1757*, et *18 Februarii 1758* respondit: « *Sustineri edictum Episcopi, quoad Ecclesias rurales tantum, sublata poena suspensionis.* »

In themate autem agi edicit de obligatione tradendi doctrinam christianam, ipsis Canonicis Ecclesiae Cathedralis imposita, qui propter potioritatem beneficii accedunt ad dignitates, ut expresse habet Glossa in *Cap. 11 de Rescriptis in VI.* Idque praecipi non in quavis Ecclesia rurali a parochiali longe dissita et cum magna populi confluentia, sed in ipsa Ecclesia Cathedrali nec numerositate populi aucta, sed pene deserta, in qua idem Episcopus aegre fert homilias habere ad populum, quia, excepto Clero, vix unus aut alter de laicis solet convenire.

Nec demum praeterit observare praefixam docendi catechesim methodum, minime utilem adinveniri. Consulta siquidem hac de re S. C. Episcoporum et Regularium negotiis praeposita *die 16 Ianuarii 1590* sequentia decrevit: « *Non placet quod doctrina christiana legatur inter Missarum solemnia, sed ut cum sonitu campanulae congregentur pueri, post prandium, ante vesperas et eam recitent per dialogum.* » Quod in omnibus dioecesibus et in hac alma urbe observari ait. Confidit propterea EE.PP. propositum primum dubium negativo responso dimissuros esse.

Confraternitatum vero Priores primum queruntur de iis, quae apud S. C. C. contra easdem retulerat Episcopus, profitentes sodales omnes sinceros esse Catholicos, atque in omnibus regulam observare proprii instituti, morem iugiter Episcopi praeceptis gessisse, rationem de bonorum administratione reddere coactos esse consilio vulgo *delle opere pie*, ceu lex, quae adhuc viget in Neapolitano regno, demandabat. Dein quaestionem aggredientes, referunt edita decreta potius esse damnosa quam incolis utilia; quandoquidem plures abstinent a satisfaciendo dominicali praecepto, eam praecique ob rationem, ob quam etiam ipsae Confraternitates amplius Capellanum adinvenire non valent. Cum igitur, concludunt lex non in destructionem, sed in aedificationem ferri debeat, cumque in damnum animarum et Sodalitiorum vertant lata ab Episcopo decreta, prono veluti alveo fluit eorumdem Cappellanos, haudquaquam obligari posse lectioni doctrinae christianae, quando pro Confratribus una simul congregatis, Missam celebrare debent.

Defensio Episcopi. Hucusque dictis a partibus actricibus obsistit Episcopus, qui ignorantiam in fidei rudimentis in populo illius Dioecesis esse, rursum commemorat ob Parochorum ignaviam, paucis exceptis, in negligendo plures per annos sacrae catechesis atque ipsius Evangelii explanationem; atque subdit suae curae pastoralis fuisse subinde efficacia remedia adhibere ad tantum malum aversandum. Methodum autem ab ipso praeelectam perutilem esse, nedum comprobat facto aliarum Dioecesum, sed et experientia usque huc in Dioecesi P. servata. Populus namque attente dictae explicationi adsistit, ceu Cappellani Confraternitatum una echo testantur.

Episcopum autem presbyteros quoscumque compellere posse ad sacram catechesim tradendam, etiam in Missae celebratione scatere edicit ex Synodo Romana anno 1725 celebrata *tit. 1, Cap. 5.* Apprime enim interest Episcoporum christifideles instrui in fidei rudimentis, ad quod saepenumero opera Episcopi et Parochorum impar est.

Omnem sed vero hac super re amaritudinem tolli subdit, si attendatur sapientissimum responsum a S. C. C. editum in *Ci-*

vitatis Castellanae 25 Septembris 1762 dub. 2 relat. a Zamboni in sua Collect. verb. Canonici §. *6 num. 86* - ibi - « Canonici » Collegiatae Ecclesiae terrae Stabiae primam Missam sub au- » rora celebrantes, principaliora fidei misteria edocere, ita ut » decretum ab Episcopo, occasione visitationis, editum sustineri » debeat, tenentur ». Nec secus decretum quoad religiosos viros adinvenitur in *Ugentina, Visitationis SS. LL. diei 2 Martii 1861*. Agebatur inibi de praecepto facto in Synodo Dioecesana docendi christianam doctrinam *in diebus Dominicis aliisque festis de praecepto in prima Missa, in omnibus Ecclesiis et publicis Oratoriis, post Evangelium clara et intelligibili voce, sacerdote verbo ad verbum praeveniente, et populo comitante.* Porro, cum tali mandato minime adstringi Regulares portendissent, utpote ab Episcopi iurisdictione exempti: hinc ventilata fuerunt sequentia dubia: « *An Regulares teneantur statutum de quo agitur servare in suis Ecclesiis, ex vi legis Synodalis in casu* - Et quatenus negative - II. *An cogi ad id possint ab Episcopo uti delegato Sedis Apostolicae in casu;* quibus consultissimum datum fuit responsum : « Ad I. et II. *In proposito casu servetur mandatum Episcopi* ». Quod si nulla poena recitata in Synodo contra latum praeceptum negligentes, statuta fuerat, ex hoc tamen haud moderanda lata, ab ipso, edicta propugnat. Siquidem in arbitrio legislatoris est sanctionem legi imponere, et hoc ipse peregit ne de facili latum contemneretur decretum, utens certo mitiori poena quam ipse Benedictus XIII inculcat in recitata Synodo Romana.

Iis igitur, aliisque deductis, EE. PP. rogati fuerunt sequentia enodare

Dubia.

I. *An Canonici Ecclesiae Cathedralis P. Missam celebrantes teneantur legere doctrinam christianam, sub poena suspensionis in casu.*

II. *An Sacerdotes Missam celebrantes pro Confratribus in dictis Ecclesiis idem servare teneantur sub poena suspensionis in casu.*

Resolutio. Sacra C. Congr. die 29 Iannarii 1881 censuit respondere:

Ad primum et secundum, attentis peculiaribus circumstantiis, Episcopus curet ut in prima et ultima Missa tradatur doctrina christiana, iuxta methodum Bellarmini, ita ut de verbo ad verbum repetatur a populo, dempta suspensione. »

Ex quibus colliges:

I. Ex Trid. *Sess. 5 cap. 2.* erui officium esse proprium Parochorum sermocinandi et erudiendi suos parochianos in doctrina christiana, ita ut negligentes plecti et coerceri possint etiam poenis Ecclesiasticis.

II. Episcopos vero curare debere *ex Trid Sess. 24 cap. 4* ut in singulis paroeciis pueri erudiantur, saltem dominicis et aliis festivis diebus, in fidei rudimentis et in obedientia erga Deum et parentes, ab iis, ad quos spectat.

III. Quapropter S. C. Concilii in suis ad Episcopos responsionibus semper eisdem inculcat, ut ad hoc munus absolvendum parochos diligenter excitent et assidue in eosdem invigilent.

IV. Experientiâ tamen compertum esse, saepenumero imparem fieri solius parochi laborem, ideoque posse Episcopos cogere ad hoc munus clericos, qui ad maiores ordines promoveri vel ecclesiastica beneficia consequi cupiunt; sicque constabit non rectori tantum impositum esse docendi munus (1).

V. In themate parochorum negligentiam causam dedisse vi-

(1) Romani Pontifices numquam destiterunt adlaborare ad promovendam doctrinae christianae institutionem. Nominatim id fecerunt s. Pius V, Gregorius XIII, Clemens VIII et Pius IX praecipue in littera *Encycl. Nostis quidem.* Bened. XIV in sua Constit. *Etsi minime* §. 6 inculcat Episcopis ut clericos ad ordines maiores promovendos, et Sacerdotes beneficia cupientes excitent ad coadiuvandos parochos « Gravissimis » idcirco verbis (et verbis facta respon- » deant) affirmet Episcopus, numquam » se facturum, ut tonsura inauguret » grandiores aetate, aut minores, prae- » sertim vero maiores ordines iis confe- » rat, qui in tradenda christiana doctrina » operam suam parochis commodare ne- » glexerint..... Denunciet praeterea, ac » fidem praestet, in conferendo parochia- » rum et aliorum beneficiorum iure, plu- » rimum apud se ponderis et momenti » habiturum studium, et diligentiam in » hoc opus a clericis collatam ».

deri, ut omnes Sacerdotes qui in Cathedrali, aut in Ecclesiis Confraternitatum, primam et ultimam Missam celebrent, populum erudire cogantur in doctrina christiana, iuxta Bellarmini methodum (1).

IURIUM

Die 24 Aprilis 1880.

Compendium Facti. Anno 1879 inter Parochum C. et Praepositum L. quaestio agitata est quoad iura parochialia: ambo enim curae animarum addicti sunt. Praesumebat Praepositus, qui Paroeciae s. Georgii praeest, ut parochus C. sibi quotannis 125 libellas rependeret, et ut quolibet die festo s. Georgii recur-

(1) Immortalis Pontifex Bened. XIV quum in memorata Const. *Etsi minime* egerit de obligatione Episcoporum, quoad erudiendos pueros in doctrina christiana, proponit ad id faciendum §. 17 libellum a Vener. Bellarmino conscriptum et a sa. mem. Clemente VIII comprobatum. Sacra autem C. C. Episcopis iniungit ut parochi prae oculis habeant catechismum Romanum, pro ampliori christifidelium instructione. Multa enim secum fert incommoda catechismorum multiplicitas. Quapropter Clemens XIII in Const. *Dominici agri* §. *Ab his* rationem innuit, qua pastoribus porrexit catechismum Romanum inquiens « Nec per invia ducendae sunt oves ad pascua, nec singularia quaedam, etiam catholicorum doctorum placita iis sunt proponenda, sed illa certissima catholicae veritatis nota tradenda est, doctrinae universitas, antiquitas et consensio. Praeterea quum non possit vulgus ad montem ascendere (Exod. 119. 1) in quem gloria Domini descendit, et trascendens terminos ad videndum peribit, termini figendi sunt populo ab eius doctoribus per circuitum, ut ultra ea quae sunt ad salutem necessaria, aut summopere utilia, sermo non divagetur, et fideles Apostolico dicto pareant (Roman. 12. 3) non plus sapere quam oportet sapere ». Dolens autem idem Pontifex quod ex amore novitatis catechismus Romanus a pastoribus posthabitus sit, pergit: « Unde duo mala extiterunt; alterum quod illa fuerit in eadem docendi ratione prope sublata consensio, oblatumque pusillis quoddam scandali genus, quibus sibi ipsi iam non amplius esse videantur in terra labii unius, et sermonum eorumdem; alterum quod ex diversis, variisque tradendae veritatis catholicae rationibus, ortae sunt contentiones et ex emulatione, dum alius se Apollo, alius Cephae, alius Pauli se dictat sectatorem, disiunctiones animorum et magna dissidia; quarum dissensionum acerbitate, nihil ad Dei gloriam minuendam exitialius putamus, nihil ad extinguendos fructus, quos ex christiana disciplina aequum est fideles percipere, calamitosius ».

rente teneretur Missae cum cantu assistere in Ecclesia paroeciali eiusdem Praepositi. Nec satis, sed insuper idem Praepositus asserebat, sibi facultatem factam fuisse, die festo ssmae Assumptionis in Ecclesia Parochi P. Missam in cantu celebrandi, oblationesque percipiendi, quae ab interessentibus fierent. Quoties autem de funeribus ageretur statutum fuisse reclamabat, ut, si ad eadem alii Sacerdotes vocarentur, ipse s. Georgii Rector, ante ceteros omnes, invitaretur eique liceret stolam in eo casu deferre et merces atque candela, non aliter ipsi daretur, quam eidem Rectori. Haec omnia reclamabat Praepositus, innixus instrumento, vi cuius Ecclesia Parochi C. die 13 Aprilis 1653 ab Ecclesia Paroeciali s. Georgii separata, atque in Paroeciam erecta fuit. Quaestio autem cum amice componi haud potuisset, Praepositus ad curiam episcopalem recursum habuit, quae rationum momentis hinc inde libratis, sub die 23 Iulii anni 1879 sententiam Praeposito amicam formiter protulit.

Huiusmodi sententia Parocho C. haud arrisit; qua de re sub die 3 Augusti ad s. Principem, quo sospite laetamur, illico confugit expostulans, ut eadem, utpote suorum iurium laesiva, qualibet vi destituta renunciaretur.

Disceptatio synoptica

Iura Praepositi. Praepositus L. Curiae Episcopalis sententiam confirmandam esse sustinet, eo quod iura ab eadem asserta, tum in iure scripto, tum in iure consuetudinario fundamentum habere censet. Sane quoad primum Praepositus meminit Ecclesiam Parochi C. ab Ecclesia Parochiali s. Georgii separatam fuisse atque in Paroeciam erectam; ea tamen conditione ut parochus Ecclesiae matricis universis iuribus frui valeret, quae superius in factorum historia enucleata fuerunt. Idque ita esse debere, colligi censuit ex verbis ipsis, quae leguntur in instrumento dismembrationis.

Hisce in facto praeiactis, Praepositus ait, nihil rectae rationi ac utriusque iuris principiis tam consentaneum esse, quam ut pacta et conventiones in contractum deductae rite religioseque serventur. Patet id *ex arg. leg. 1. in princ. ff. de pactis* - ibi -

Quid enim tam congruum humanae fidei, quam ea servare quae inter eos placuere? Patet *ex leg. sicut 5 C. de oblig. et act.* - ibi - *sicut initio libera potestas unicuique est habendi vel non habendi contractus, ita renuntiare semel constitutae obligationi, adversario non consentiente, nemo potest.* Iuris autem caesarei sanctionibus chorum agit ius canonicum, idque manifestum erumpit praesertim ex *Regula XXI iuris in 6.* - ibi - *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Cui concinit altera iuris regula: *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.* - *Reg. 33. de Reg. Iuris in 6.*

Idque fortius in themate in quo de contractu oneroso agitur. Dismembratio siquidem paroeciae s. Georgii ab Episcopo ideo executioni demandata fuit, et vicissim Ecclesia C. ab Ecclesia Matrice avulsa fuit atque in paroeciam constituta, ea tamen conditione atque lege adiecta, ut scilicet paroeciae s. Georgii Praeposito, praeter memoratas annuas praestationes et munia exercenda, ius insuper incumberet stolam in funeribus, ad quae ante ceteros omnes sacerdotes invitari debebat, deferendi et mercedem atque candelam non secus ac ipse Ecclesiae C. Rector, percipiendi.

Atque optimo sane iure id factum esse contendit. Explorati siquidem iuris esse ait, Ecclesiam novam teneri antiquam parochiali exhibere competentem honorem prout habetur in *Cap. Ad audientiam 3. de Eccl. aedif. vel reparandis* - ibi - « *providens tamen ut competens in ea honor pro facultate loci Ecclesiae matrici servetur* » Huiusmodi vero honor iuxta unanimem expositorum doctrinam vel in censu annuo consistit, arbitrio Episcopi moderando, vel in aliis iuribus ab Episcopo Ecclesiae matrici reservatis in vim decreti, quo novae paroeciae erectio constituta fuit. Hinc Fagnanus praefatum caput *Ad audientiam 3* commentans sub. num. 10 haec tradit - ibi - « Itaque » verius videtur, excepto patronatu, et competenti honore, iura » subiectionis non deberi Ecclesiae matrici, nisi in quantum » Episcopus praedicta iura illi reservaverit in limine erectio- » nis. Quod clarius procedit hodie post Concilium Tridentinum » *Cap. 4 Sess. 21.* »

Si itaque Episcopus in erectionis limine decrevit, ut Praepositus L. in funeribus prae aliis sacerdotibus omnibus ad eadem invitaretur ac ceteris praeficeretur: si decrevit secundo loco ut ipsi Praeposito stolam deferre liceret: si decrevit tandem ut eidem merces et candela, non aliter quam dictomet Rectori C. daretur; sponte sua fluere asserit Parochum C. ea omnia in praesentiarum praestare teneri, quae ab Episcopo, utriusque Ecclesiae parochis consentientibus in pactum deducta fuere.

Verumtamen admisso parumper quod decreti verba ab Episcopo in erectionis actu editi, sint aliqua ambiguitate involuta et quod per consequens interpretatione indigeant: huiusmodi interpretationem ad tramitem consuetudinis, quae hac de re iugiter inolevit, peragendam esse Praepositus ait. Notum siquidem iuris est axioma: *Consuètudo est optima legum interpres.* Maxime vero quia in themate agitur de re, quae, in dubiis totam vim ab observantia mutuatur ceu tradit *s. Rota decis. 55. n. 15 tom. 1 coram Ansaldo* et alibi passim. Proinde, ait Praepositus, consuetudo in dubium, favet Ecclesiae pollenti matricitatis iure; nam iura de quibus agitur semper servata fuere, istius matricis favore et eorum exercitium gaudet praescriptione plusquam saeculari. Id per testes quamplurimos evincere sategit Praepositus.

Hisce in facto positis, quinam sint consuetudinis praesertim centenariae seu immemorabilis effectus et quaenam eius vis, neminem latere edisserit. Sane consuetudinem centenariam seu immemorabilem praesumptionem cuiuscumque tituli praebere liquet tum ex *leg. 2 pr. ff. de aqua et aqu. pluvia part. 1. 3 et 7. tum ex leg. 33 p. 2 ff. eod. tum ex leg. ff. de divers. tempor. praescriptionib.* tum denique ex *lib. 2 tit. 13 Cap. 1 de praescript. in 6.* Quibus utriusque iuris principiis concinunt Murga *Comment. ad Constit. 8 num. 16 Pignatell. tom. consultat. 3 n. 4, Lotter. de re benefic. lib. 1 quaest. 22 n. 223, Amostaz de Caus. Piis lib. 5. cap. 12 n. 44,*

Huiusmodi autem consuetudinis centenariae seu immemorabilis plenam ac perfectam probationem ex testibus elici posse,

evincunt *lex. 28 ff. de probationibus, lex. 2 §. 8 ff. de aqua etc.* atque praxis s. Rotae passim, praesertim vero in *decis. 933 n. 19 et 20 cor. Ansaldo.*

Ex his tum in iure tum in facto hactenus delibatis, cum manifestum erumpat iura ab Ecclesia matrici s. Georgii vindicata, nedum in lege scripta verum etiam in consuetudine fundamentum habere: cum pariter resultet praefatam Ecclesiam matricem a tempore, quod vocant immemorabile, seu ab ipso dismembrationis decreto hisce iuribus fruitam fuisse; sponte sua fluere videtur, s. Georgii Ecclesiam, quippe quae matricitatis iure pollet, in huiusmodi iurium exercitio atque possessione manutenendam esse; ideoque Curiae Episcopalis sententiam, utpote numeris omnibus absolutam, substineri et confirmari oportere.

Iura Parochi C. Verumtamen ex alia parte, iura quae Ecclesia Matrix iactitat atque subsecutam a Curia Episcopali, eiusdem favore, prolatam sententiam, ab ipso iudicii limine repellendam esse Parochus C. totius viribus evincere sategit, ex eo quod nullo fulciantur valido fundamento. Sane rationum momenta pro huiusmodi iuribus tuendis, tum a Parocho L. tum a Curia Episcopali deducta, dismembrationis decreto, seu iuri scripto et consuetudini innituntur. Porro utraque parvipendenda esse Parochus C. urget.

Ad dismembrationis decretum quod attinet, hoc nullam vim sibi captare posse ait, quia iuris canonici regulis refragatur. Profecto Alexander III Eboracen. Archiepiscopo antiquae parocciae dismembrationem indulgens, eidem praecepit *ut competens in ea honor pro facultate loci ecclesiae matrici servetur. Cap. ad audientiam 3. de Eccles. aedific. vel reparandis.* Huiusmodi vero honorem ecclesiae matrici, in obsequii atque reverentiae signum a nova paroecia exhibendum, in exiguis praestationibus vel in re parvi momenti consistere, omnes iuris pontificii expositores unanimi consensu tradunt. Sane Fagnanus in *Cap. ad audientiam 3. de Eccl. aedif. vel reparan. n. 8.* ad rem docet: « Ecclesiam constructam infra limites alterius Paro-
» chiae teneri aliquem honorem impendere matrici Ecclesiae,

» scilicet annuum censum in signum subiectionis arg. cap. » omnis anima, supra de censib. moderandum tamen arbitrio » Episcopi arg. C. de causis supra de offic. deleg. secundum » gloss. hic in ver. Honor vel dic. Clericos Ecclesiae noviter » aedificatae teneri maiorem adire pro baptismo, scrutinio, Ca- » pitulo et consimil. vel solvere illa iura quae capellae debent » ecclesiae matrici ut 2 de capell. Monach. etc. His quae de » maior. et obed. secundum Innoc. et Abb. antiq. in ver. Ho- » nor. Hostien. n. 3. in ver. Provideas tamen Io. Andr. n. 10 » Butr. n. 12 Anchar. in 5 Notab. et Abb. n. 6 vel certe » antiquae Ecclesiae reservabitur sepultura ut Cap. Transmissa » de Praescript. et tenet. Io. Andr. n. 10 et in Cap. Certi- » ficari de sepultur. » Fagnano chorum agit Ferraris *verb. dismembratio art. 11 n. 21.* Concinit Monacelli *in adnotat. Erectionis novae Parochiae per dismembrationem form. 121 n. 13 tit. 11* qui insuper ad num. 14 in themate haec addit: - ibi - « Quem autem ex his honoris signis debeat impendere Ecclesia » filialis erga matricem, prudentiae Episcopi in dismembratione » facienda relinquitur, qui perpensis loci, Ecclesiae, Rectoris, » distantiae, incolarum facultatibus, moribus, qualitatibus et » congruentius *unum ex recensitis reservabit*, ut monet Gloss. » in dicto Cap. ad Audientiam in verbo honor, nulla habita » prorsus consideratione ad expressum in formula, quia tan- » tum pro exemplo reposcitur. » Quae cum ita sint mirum non est si s. C. C. expositam doctorum doctrinam sequuta in paroeciarum dismembratione decernenda, Ecclesiae filialis Rectori, non aliud onus matrici praestandum imposuerit, quam vel moderati annui census solutionem, vel parvi pretii candelae traditionem aut aliud quid simile. Cum igitur onera Ecclesiae filiali C. in actu dismembrationis, ab Episcopo taxata longe alia sint, cumque eadem a iuris pontificii sanctionibus atque a S. C. C. praxi adeo exorbitent, pleno alveo fluere Parochus edisserit, ea quavis roboris vi esse destituenda. Explorati siquidem iuris est, Episcopum ea praecipere haud valere, quae iuris communis regulis adversantur, vel ab eis exorbitant.

Porro quaedam ex iuribus Praeposito L. ab Episcopo in li-

mine indulta adeo exorbitantia sunt, ut si in honore essent habenda, de libertate atque independentia Paroeciae C. iam actum esset: huiusce vero Paroeciae Rector nihil aliud evaderet quam Praepositi Ecclesiae simplex Vicarius, seu vice-parochus. Quae omnia quam aliena sint, tum a iuris communis regulis, tum a reliquis praescriptionibus in ipso erectionis Paroeciae decreto adiectis, quisque ingenio suo facile percipit. Revera ad ius commune quod spectat, notum est novas Ecclesias utique debere quaedam reverentiae atque obsequii signa Ecclesiae matrici praestare: sed in comperto pariter est, eas nullo subiectionis vinculo erga matrices Ecclesias teneri. Docet id Fagnanus qui in loco superius citato sub *n. 9* ait-Ibi- « Ceterum adverte, quia dum Glossa dicit huiusmodi honorem » deberi antiquae Ecclesiae in signum subiectionis, haec ratio » est falsa et nullo iure probatur secundum Abb. n. 8. Imo » hic textus probat oppositum: nam reservando maiori Eccle- » siae patronatum et competentem honorem pro facultate loci, » in reliquis videtur illam Cappellam eripere a potestate Re- » ctoris antiquae Ecclesiae ». Si vero erectionis decreti verba et spiritum inspicimus, luce meridiana patet Ecclesiam C. in veram, absolutam, ac independentem paroeciam erectam fuisse; eiusque Rectorem esse proprie ac vere parochum, seu sub nullius potestate constitutum atque ad omnia iura ac munia exercenda admissum, quae quilibet parochus in propria paroecia exercere potest et valet. Cum itaque luculenter pateat erectionis decreto, quaedam iura Ecclesiae antiquae Rectori reservata fuisse, quae cum iuris pontificii sanctionibus atque cum legibus in erectionis actu in stipulationem adductis confligunt; prono alveo fluere videtur, huiusmodi decretum atque iura ab eodem confirmata in honore haud haberi oportere.

Veruntamen dato, at non concesso, quod Praepositus L. in huiusmodi iurium possessione manutenendus sit, mordicus sustinet talia iura ab eo exerceri posse non in funeribus, quae toto anni cursu accidere possunt, sed in iis tantum quae unico Beatae Virginis in Coelum Assumptionis die occurrunt. Id usque

ad evidentiae fastigium, e toties memorato erectionis decreto, erui possè edisserit.

Tandem quoad consuetudinem pro controversis iuribus tuendis, ex adverso invocatam, triplici ratione Parochus C. respondit. Meminit nempe praeprimis huiusmodi observantiam si reapse in vigore fuerit, reiiciendam omnino esse, utpote iuris corruptelam, cum in themate de parochialibus iuribus agatur, quae praescribi nullatenus possunt. Secundo autem loco contendit consuetudinem invocari iu themate haud posse, ex eo quod Parocho facultas facta fuerit stolam et pluviale deferendi in funeribus, quae in paroecia C. peragebantur. Id enim non ex animo consuetudinem inducendi, quae obligandi vim haberet, sed ex quadam comitatis seu reciprocitatis gratia factum esse autumat.

Tandem, admissa etiam adversarii Parochi hypothesi, concludit praefatam consuetudinem in praesentiarum perdere officium suum, cum ea pluribus abhinc annis, per actos contrarios interrupta fuerit, quin aliquid in contrarium obmussitatum fuerit.

Hisce tum in facto, tum in iure positis, EE. PP. iudicio remissum fuit enucleandum

Dubium

An sententia Curiae Episcopalis..... sit confirmanda vel infirmanda iu casu.

Resolutio. Sacra C. Congr. re perpensa, sub die 24 Aprilis 1880, respondere censuit:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ex quibus colliges:

I. Ex ss. Canonum spiritu, Ecclesiae filiali haud imponi solere onera gravia et immodica erga matricem, cum Alexander III Archiepiscopo Eboracensi tantum indulserit, *ut competens in ea honor, pro facultate loci, ecclesiae matrici servetur.*

II. Qua de re convenire Canonistas in dismembratione Ec-

clesiarum, filialem debere ecclesiae matrici aliquem impendere honorem, nempe annuum moderatum censum, in signum suae subiectionis.

III. Ex hisce honoris signis, quodnam filialis impendere debeat matrici, relinqui, in actu dismembrationis, prudentiae Episcopi; qui omnibus perpensis quoad locum, Ecclesiam, Rectorem, distantiam, incolarum facultates et mores, unum reservabit.

IV. Hinc perperam agere Ordinarios, qui in actu dismembrationis onera immodica ecclesiae filiali imponerent, quoniam adversus commune ius agerent, contra quod omni destituuntur auctoritate.

V. Relationes inter Ecclesiam matricem et filialem, eas esse ut, reservato maiori Ecclesiae patronatu et competente honore, in reliquis filialis ecclesia omnino erepta sit a potestate rectoris antiquae Ecclesiae, plenâque gaudeat libertate.

VI. In themate onera, in actu dismembrationis, ecclesiae filiali imposita iuri et Canonistarum sententiae refragari: quia exorbitantia videntur, neque suffulta longâ consuetudine, numquam interruptâ: et quia per onera huiusmodi libertas et independentia novi rectoris prorsus extingui videntur.

EXCARDINATIONIS

Die 29 Maii 1880.

Compendium facti. Clericus R. Dioecesis S. ut sedulo studiorum curriculo et praesertim Theologico incumberet, de licentia proprii Antistitis, ann. 1875 Neapolim contendit. Qua in civitate degens, in votis habuit inter Clerum Neapolitanum adscribi ex duplici potissimum ratione, quia scilicet pater, ob rei familiaris angustias, relicto loco suae originis, ibi lares suos transtulerat, et quia pia persona Neapoli commorans, eidem constituere spopondit patrimonium sacrum, quo destituitur, ut ad sacros Ordines ascendere valeat, ea tamen conditione, ut in suo privato Oratorio diebus festis sacrum litet. Renuente at vero

Praesule Dioecesis S. eidem literas excardinationis concedere, quin imo praecipiente, ut dioecesanum repeteret Seminarium, Clericus supplicem obtulit libellum ad s. C. C. ut, attentis deductis, ex plenitudine potestatis, haec gratia eidem largiatur.

Disceptatio synoptica

PRECES CLERICI REIICIENDAE VIDENTUR. Incontroversum in iure est quemlibet titulo sive *originis* sive *domicilii* subditum illius Episcopi evadere, in cuius dioecesi vel natus est, vel domicilium ad legis tramitem ibi constituit. Utrumqne ex Constitutione Innocent. XII. quae incipit, *Speculatores domus Israel*, usque ad evidentiae fastigium evincitur. Audiatur sane quid praefatus Pontifex, quoad *originis* titulum, decrevit - ibi - « Caeterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur qui naturaliter ortus est in ea dioecesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturae, vel cuiusvis alterius temporalis morae, seu permanentiae eius patris in illo loco: quo casu non eiusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda. » Relate vero ad domicilii titulum idem Pontifex in superius citata Constitutione subdit: - ibi - « Subditus ratione domicilii, ad effectum suscipiendi ordines, is dumtaxat censetur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando satis, superqne suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius in utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmat. » Hisce in iure praeiactis, Archiepiscopus S. contendit Clericum R. ad suam iurisdictionem et potestatem pertinere, ex eo quia in facto consistit quod tum ipse, tum eius pater in urbe S. ortum habuerunt, ibique fixum habent domicilium.

Inutiliter autem orator recurrit ad domicilium a familia Nea-

poli contractum; Ordinarius enim respondet quod e loco originis haud exierit clerici pater modo absoluto, sed tantum ut industriam sequeretur ad breve tempus; et in patria adhuc retinet domum et fundos, licet aere alieno praegravatos. Quae certe cum non revelent animum Neapoli, perpetuo manendi, perperam ad Constitutionem Innocentianam appellatur. Verum dato etiam at non concesso, quod pater reapse Neapoli proprium domicilium fixerit, filius tamen independenter a patre domicilium loci in quo ortum habuit retinere potest, cum necesse haud sit, ut filius patris domicilium sequatur, ad tradita per *leg. placet 3 et per leg. 4 ff. ad Municipal.* - ibi - « placet etiam filium familias domicilium habere posse, non utique ibi, ubi pater habuit, sed ubicumque ipse domicilium constituerit. » In themate vero videtur quod domicilium loci in quo natus est, habere teneatur, quia, ait Ordinarius, facultas concessa Clerico petendi Lyceum neapolitanum, conditioni subiecta fuit ut appropinquante s. Ordinationis tempore, seminarium patrium remearet, iuxta Dioecesis leges et consuetudinem. Neque desunt in sua Dioecesi tituli pro s. Ordinatione, ceu Praesul autumat; et perperam haec adducitur difficultas.

Tandem, hisce omnibus omissis, excardinationis gratiam oratori denegandam esse urget ordinarius, ne in irritum cedat s. Concilii Tridentini decretum *Sess. XXIII Cap. 16 de Ref.* contra inutiles et vagos datum.

Preces Clerici excipiendae videntur. Ex altera vero parte scitum est quod iuxta citatam Innocentii XII Constitutionem quadrupliciter quis potest esse Episcopo subiectus, relate ad Ordinationem, ratione nempe originis, domicilii, familiaritatis et beneficii ut fuse explicat *Honorante in sua praxi Card. Vicarii.* Iam vero prohibitum non est, ut quis, relicto Episcopo originis, ordines recipiat a Praesule illius loci, in quo domicilium contraxit, ita docente cit. auct. cap. 9 adnot. 3. Et re quidem vera ut concinne traditur in *L. 31 ff. ad Municipal.* nihil impedimento esse potest, quod quis domicilium alibi transferat; Clerici vero, iuxta communem doctrinam Canonistarum, ne indigent quidem licentia, ut alibi suum transferant domici-

lium *C. Abbas de Paroc. num. 1. Pax Iordan. elucubrat. lib. 3 L. 6 num. 56; Taurinen. adscriptionis seu incardinat. 25 Augusti 1877* §. *Inutile exinde.* (1) Quod autem Clerici post alibi contractum domicilium, ordines ab Episcopo domicilii possint recipere, praeter cit. Honorante, perbelle confirmatur etiam a *Passerin. in Lib. de temporib. ordin. in 6 decretal. art. 2 num. 31* - ibi - « Nulla est limitatio per se et forma- » liter admittenda, quod Episcopus ratione domicilii potest cle- » ricum quemque ordinare et non prohibetur id facere ex lege » prohibente ordinare alienum subditum, quia Clericus quicum- » que ratione domicilii acquisiti in Dioecesi, fit subditus eius » Episcopi. » Translato vero domicilio a Clerico ab una in aliam dioecesim videtur iurisdictio prioris Praesulis extincta, et secuta subiectio ditioni alterius iuxta *text. in Can. ubicumque 13 q. 2* - ibi - « Item si quis de provincia ad Provinciam trans- » ierit et ibi domicilium sibi collocaverit, liber factus a ditione » prioris Iudicis, iurisdictioni illius Iudicis subditur, in cuius » Provincia sedem sibi elegit *C. Pit. Discept. 122 num. 17.* »

Hisce in iure praenotatis, in facto nihil obstare videtur quominus dicatur vere et realiter ab Oratore Neapoli domicilium esse contractum: eius enim pater nedum familiam et res suas ibi transtulit aedesque instruxit, sed etiam solemnem emisit declarationem, perpetuo fixam sedem retinendi, ad tramites Innocentianae Constitutionis, uti ex literis informativis Praesulis Neapolitani constat. Quare hic recurrit applicanda doctrina memorati Honorante *cit. cap. adnot. 2* « Si quis in aliena Dioecesi » sedem domicilii firmat, ipsumque sequitur filius, nondum eman- » cipatus, iste filius ab Episcopo praedictae Dioecesis, ubi pater » domicilium contraxit, titulo domicilii poterit ad Ordines pro- » moveri, quin filius expleat conditiones Innocentianae Consti- » tutionis, dummodo pater eas in loco novi domicilii expleverit » et ita resolvit s. Congregatio Concilii in *Materanen. Ordina-* » *tionis sub die 4 Decembris 1706.* »

Posito autem quod Clerici R. pater stabile domicilium Neapoli fixerit, sponte veluti sua fluere videtur, quod immerito

(1) Habes hanc quaestionem iam relatam Vol. X. 485.

Archiepiscopus S. contra praefatum Raphaelem modo questus movet, cumque de inobedientia atque reluctantia in exequendis obligationibus arguit. Rectae sane rationi consentaneum videtur, ut filius, sub paterna constitutus potestate, ibi vitam ducat, ubi pater eius cum ceteris de familia domicilium perpetuum sibi elegit.

Argumentis usque huc adductis fastigium imponit optimum testimonium, quod de clerico R. Archiepiscopus Neapolitanus perhibet; quique precibus ab oratore pro excardinatione impetranda oblatis, votum suum addit.

Hisce omnibus tum in facto, tum in iure libratis, remissum fuit EE. PP. prudentiae decernere quonam responso dimittendum esset sequens

Dubium

An et quomodo annuendum sit precibus Oratoris in casu.

Resolutio. Sacra C. Congr. re cognita, sub die 29 Maii 1880 censuit respondere: - *Pro gratia, facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

I. Proprio videri uti iure clericum, qui domicilium mutat eo consilio, ut ab Episcopo novi domicilii ad ss. Ordines promoveatur.

II. Episcopum posse ad ss. Ordines promovere quemlibet alienum clericum, qui ratione acquisiti domicilii in sua Dioecesi, eiusdem Episcopi fiat subditus.

III. Nam clericus qui suam relinquit Dioecesim, ut in alia verum atque reale domicilium figat, liber fit a ditione prioris Episcopi, sed iurisdictioni subiicitur illius Episcopi, in cuius Dioecesi sedem sibi elegit.

IV. Filium nondum emancipatum haud explere teneri, ex Canonistis, conditiones Constitutionis *Speculatores* pro domicilio acquirendo, respectu sacrae ordinationis, quatenus pater eius, sedem domicilii in aliena firmaverit Dioecesi, easdem explendo conditiones.

V. In themate patrem Clerici R. ex depositione Archiepiscopi Neapolitani, nedum familiam resque suas Neapolim transtulit, sed solemniter declaravit, se inibi perpetuam constituere sedem ad normam Const. *Speculatores*.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM

BISINIANEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Humilis a Bisiniano Laici Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum. Super dubio. « An stante approbatione Virtutum et duorum miraculorum tuto procedi possit ad eiusdem Ven. Servi Dei Beatificationem? »

Assisiensis Patriarchae fidelissimus filius Ven. Humilis a Bisiniano sodalis laicus Franciscalis familiae Reformatorum, Sancti Patris sedulo vestigia sectatus est. Humilitatem enim, quam suo praeferebat nomine, impensissime coluit, paupertatem adamavit quam qui maxime, sui ipsius abnegatione, et carnis dira maceratione, corpus suum exhibuit hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Verum etsi ex munerum quoque exercitio in domo Dei abiectior fieri conaretnr, virtutum praestantia qua fulgebat, et caelestibus quibus illustrabatur donis, decessit sanctitatis fama conspicuus. Heroicas proinde eiusdem virtutes solemni decreto pronunciavit sa. me. Pius Papa VI die Sancto Patriarchae Francisco sacra anno MDCCLXXX. Perfectionis autem christianae, et claustralis disciplinae exercitationi, cui Venerabilis Servus Dei ad mortem usque omnem dederat operam, supernum miraculorum testimonium accessit, quorum duo Ven. Dei Famulo intercedente patrata, post rigidam, ut moris est, Sacrorum Rituum Congregationis discussionem, sa. me. Pius IX vera Apostolico edixit Decreto ultima post Pentecosten Dominica anno MDCCCLXXV.

Quamvis autem ex memoratis Decretis de virtutibus et miraculis Ven. Humilis a Bisiniano iam constaret, dubium supererat discutiendum, an inter Beatos tuto foret recensendus: Propositum itaque hoc fuit coram Sanctissimo Domino Nostro LEONE Papa XIII in frequentissimo sacrorum Rituum conventu octavo Idus Martii vertentis anni, atque concordi suffragio et Reverendissîmi Cardinales sacris tuendis Ritibus praepositi ac Patres Consultores proposito dubio annuerunt. Attamen Sanctissimus Dominus Noster ingeminandas esse censuit preces, ut in tam gravi negotio maius sibi a Patre luminum auxilium compararet. Ad explenda tandem Minoriticae familiae vota, postquam Sacrum pientissime peregit in do-

mestico Oratorio Palatii Vaticani, aulam adiens nobiliorem coram Reverendissimis Cardinalibus Dominico Bartolini Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, et Antonio Maria Panebianco Causae Relatore, nec non R. P. Laurentio Salvati s. Fidei Promotore et infrascripto Secretario decrevit : « *Tuto procedi posse ad Beatificationem Ven. S. D. Humilis a Bisiniano* ».

Atque hoc Decretum publici iuris fieri, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis expediri iussit de beatificatione suo tempore celebranda, sexto Kalendas Aprilis anno MDCCCLXXXI.

D. CARD. BARTOLINIUS S. R. C. PRAEFECTUS.

Loco ✠ Sigilli

Placidus Ralli S. R. C. Secretarius.

DECRETUM.

CEPHALUDEN. Seu Ordinis Minorum Sancti Francisci Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Gandulpho a Binasco Ordinis Minorum Sancti Francisci Sancto et Beato Nuncupato.

Quum in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu hodierna die ad Vaticanum coadunato Emus et Rmus Dominus Cardinalis Thomas Maria Martinelli supradictae Causae Ponens proposuerit Dubium : « *An sententia lata a Rmo Episcopo Cephaluden. super cultu ab immemorabili tempore praefato Servo Dei praestito, seu super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* » Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt : « *Affirmative seu sententiam esse confirmandam* » Die 12 Februarii 1881.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit die 10 Martii anno eodem.

D. CARD. BARTOLINIUS S. R. C. PRAEFECTUS.

Loco ✠ Sigilli

Placidus Ralli S. R. C. *Secretarius.*

LITTERAE SSmi D. N. Leonis XIII ad Episcopum Pineroli; quibus gaudet quod adhaereat doctrinis Angelici Doctoris, aliis posthabitis.

LEO PP. XIII.

Venerabilis Frater et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratulamur vobis, venerabilis frater et dilecti filii, quod cum simul conveneritis consulturi profectui et perfectioni vestrae per spiritualem recessum et impensiorem caelestium rerum commentationem, nec non inde quaesituri novam efficaciam novasque vires vestro ministerio, perspicue videritis hasce vobis eo uberius esse accessuras, quo arctius adhaereatis huic Petri Cathedrae, a cuius doctrina et monitis qui deflectunt sterilitate damnantur et dispergunt. Iucundissimum idcirco Nobis accidit, vos in eo sententiarum conflictu, qui iamdiu scindit animos, illorum partes abiicere decrevisse, qui, decepti a subtilitate ingenii scientiaeque apparatu, alicuius e recentibus auctoribus mordicus placita retinent et documenta propugnant; ac statueritis eam potius sequi doctrinam, quam Nos designavimus utpote tutam ac solidam, et non modo commendatam a compluribus sanctis doctissimisque viris, a Romanis Pontificibus et ipsis generalibus Conciliis, sed et ab experientia, quae edocet eo magis inclinatas fuisse sublimiores disciplinas et eo latius et impudentius invaluisse errores, quo longius ab ipsa recessum fuit. Profecto, si angelicum Doctorem sequamini, non solum purissimos haurietis ab ipso scientiae latices, sed eiusmodi robur et arma, quae vos et adolescentem clerum aptissimos faciant ad profligandam delendamque irrumpentium errorum phalangem. Hunc vobis ominamur propositi vestri successum; dum divini favoris auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae gratissimique ob stipem collatam animi pignus benedictionem apostolicam vobis, venerabilis frater et dilecti filii, totique isti dioecesi peramanter impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum die 15 Novembris 1880, Pontificatus Nostri anno tertio.

LEO PP. XIII.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

De Consistorio habito die 13 Maii 1881. (1)

SSmus Pater hac mane sequentes proposuit Ecclesias:

Cathedralem Ecclesiam Olinden. vacan. per obitum bo. me. Vitalis Mariae Gonçalves de Oliveira, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Pereira da Silva Barros, Presbyteri dioeceseos s. Pauli in Brasilia, ad praesentationem Serenissimi Brasiliae Imperatoris. In dioecesano s. Pauli seminario Praeceptorem olim agens, ibique Rector novissime nominatus, per plures annos patriae urbis de *Taubaté* Parochus hucusque renunciatus, et inter intimos SANCTITATIS SUAE Cubicularios supranumerarios adscitus est.

Cathedralem Ecclesiae Goyasen, adhuc ut prius vacan. per translationem R. P. D. Ioachim Gonçalves de Azevedo, modo vita functi, ad Metropolitanam Sedem. s. Salvatoris in Brasilia, nam R. P. D. Antonius Maria Corrêa de Sà et Benavides die 18 Decembris 1876 electus Episcopus Goyanensis, cuius Ecclesiae possessione nondum capta, nec munere consecrationis suscepto, ad sedem Mariannensem in Brasilia die 25 Iunii subsequentis anni translatus fuit; favore R. D. Claudii Iosephi Gonçalves Ponce de Leão, Presbyteri s. Salvatoris in Brasilia. Cathechizantis munere plures per annos Parisiis et Fortalexiis perfunctus, in seminariis Fortalexiensi atque Fluminis Ianuarii, fere omnium facultatum, signanter Iuris Canonici, Theologiae Moralis, sacrarumque literarum Professor renunciatus est.

Episcopalem Ecclesiam Sionnen. sub Archiepiscopo Petrense in partibus infidelium, vacan. per successionem R. P. D. Aloisii Martucci ad sibi invicem unitas Sedes Cathedrales Pennensem et Atriensem, favore R. D. Francisci Ludovici Fleck, Presbyteri Metensi dioecesi adscripti, qui deputatus fuit in Coad-

(1) Alias propositiones Episcopales dedimus in praecedenti fasciculo 499.

iutorem cum futura successione R. P. D. Pauli Georgii Mariae Dupont des Loges, Episcopi Metensis, cum istius expresso ad hoc assensu, ob suam ingravescentem aetatem. Ad s. Martini paroeciam Metense in urbe translatus, ac inter Cathedralis illius Canonicos ad honores adscitus, eiusdem Episcopatus Secretarius adlectus est. Pro ipsamet civitate ac dioecesi Vicarius in spiritualibus Generalis, et Officialis, nec non districtus de Sarreguemines Archidiaconus hucusque renuntiatus est.

Episcopalem Ecclesiam Tipasitan. sub Archiepiscopo Caesariense in partibus infidelium, vacan. per obitum bo. me. Aloisii Elloy, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Francisci Lichtensteiger Presbyteri archidioeceseos Colocensis: qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem Emi ac Rmi Domini Ludovici, Titulo s. Mariae Angelorum urbis S. R. E. Presbyteri Cardinalis Haynald, Archiepiscopi Colocensis et Bacsiensis ad pontificalia, caeteraque pastoralia munia, de eius consensu ac lubito Colocense in urbe, eiusque archidioecesi obeunda. Canonicus a latere metropolitanae Colocensis renunciatus, et hucusque inibi tertia dignitate auctus Canonici Cantoris, et in Vicarium atque causarum Auditorem Generalem illius archidioeceseos assumptus fuit.

Episcopalem Ecclesiam Trapezopolitan. sub Archiepiscopo Laodiceno in partibus infidelium, vacan. per translationem R. P. D. Antonii Mariae Grasselli, Ordinis Minorum Conventualium s. Francisci, ad Ecclesiam Archiepiscopalem Colossensem; favore R. P. D. Severini Morawski, Presbyteri archidioeceseos Leopoliensis Latini Ritus, qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem P. D. Francisci Xaverii Wierzchleyski, Archiepiscopi Leopoliensis, latini ritus ad pontificalia ceteraque pastoralia munia de eius consensu ac lubito Leopoliense in urbe, eiusque archidioecesi obeunda. Capituli Leopoliensis latinorum Canonicus adlectus, Scholastici dignitate successive honestatus, et hactenus ad Decani dignitatem assumptus, atque inter SANCTITATIS SUAE Praelatos Domesticos adscitus est.

Episcopalem Ecclesiam Canopen. sub Patriarcha Alexandrino in partibus infidelium, vacan. per translationem ad sedem Suessanam R. P. D. Caroli de Caprio; favore R. P. D. Innocentii Mariae Yeregui, Presbyteri dioeceseos Montisvidei, qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Hyacinthi Vera Episcopi Montisvidei ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia, de eius consensu ac lubito illa in civitate ac dioecesi obeunda. Apud Apostolicam Sedem publicae auctoritatis Montisvidei Officiosi Oratoris munere aliquando perfunctus, atque inter SANCTITATIS SUAE Urbanos Antistites adscitus est.

Episcopalem Ecclesiam Gra-

TIANOPOLITAN. sub Archiepiscopo Caesariense in partibus infidelium vacan. per obitum bo. me. Octaviani Mariae Sabetti e Congregatione SSmi Redemptoris, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. P. D. Francisci Lönhart, Presbyteri Transylvaniensis dioeceseos. Qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Michaelis Fogarasy Transylvaniensis Episcopi, ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia, de eius consensu ac lubito illa in civitate, atque dioecesi obeunda. Parochus Claudiopolitanus et Custos archivii regnicularis, Canonicus a latere, et hactenus Ecclesiae Albensis Praepositus Maior renunciatus, inter SANCTITATIS SUAE Domesticos Praelatos adscitus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CONVERSAN. vacan. per translationem R. P. D. Augusti Antonini Vicentini ad Archiepiscopalem sedem Aquilanam, favore R. D. Casimiri Gennari, Presbyteri Cassanensis dioeceseos.

CATHEDRALEM ECCLESIAM AMERIN. vacan. per dimissionem a R. P. D. Nicolao Pace ultro, libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam, et ab EADEM admissam; favore R. P. Fr. Eusebii Magner a Monte Sancto, Firmanae archidioeceseos, Ordinis minorum Capulatorum s. Francisci. In sui Ordinis Collegio exterarum missionum Praefectum, et sacrae controversiae Professorem agens, eiusdem Ordinis vel generalis Consultoris, vel provincialis atque semel iterumque generalis Definitoris munere perfunctus est, pro Senogalliensi dioecesi Examinator pro-Synodalis adlectus et quarumdam academiarum Socius Romae effectus, inter sacrarum Congregationum de Propaganda Fide, ab Indice et a sacris Ritibus Consultores connumeratus et Domus Pontificis Maximi Concionator hucusque renuntiatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TROADEN. sub Archiepiscopo Cyziceno in partibus infidelium, vacan. per translationem R. P. D. Placidi Petacci ad Cathedralem sedem Tiburtinam, favore R. D. Aloisii Mariae Pellegrini, Presbyteri Hydruntinae Archidioeceseos. Hydruntino in seminario philosophiae, sacraeque theologiae professorem aliquando agens, illius Metropolitanae Canonicus ad praesens usque renuntiatus est. Barense in provincia utriusque Archipresbyteralis Ecclesiae Alti Muri et Aquae Vivae, *Nullius* dioeceseos, a sa. me. Pio Papa IX per Apostolicas Literas « *Si aliquando* » sub die septima decima Augusti 1848 sibi invicem aeque principaliter unitae, per Sanctissimum Dominum Nostrum LEONEM, divina providentia PAPAM XIII, Archipresbyterali et ordinaria Praelatura nuperrime ditatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM SERGIOPOLITAN. sub Archiepiscopo Hierapolitano in partibus infidelium, vacan. per obitum bo. me. Adriani

Languillat, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Caietani Blandini, Presbyteri dioeceseos Calatayeronensis. In patrio oppido vices agens Parochi, ac sui praedefuncti Antistitis a Secretis extans, inter SANCTITATIS SUAE Capellanos ad honorem extra Urbem adscitus, et a Sanctissimo Domino Nostro LEONE, divina providentia PAPA XIII, s. Luciae de Plano Melatii, nunc s. Luciae vulgo *del Mela,* Praelatus ordinarius nuperrime renunciatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM LETEN. sub Archiepiscopo Tessalonicense in partibus infidelium, vacan. per translationem ad Sedem Gaudisiensem R. P. D. Michaelis Francisci Buttigieg, modo vita functi; favore R. P. D. Tobiae Kirby e dioecesi Waterfordiense ac Lismorense. Plurimis abhinc annis Romae penes Collegium Hybernense vices Rectoris, et hactenus Rectorem agens; pro Hyberniae Antistitibus Procuratoris munere apud Apostolicam Sedem perfunctus, Canonicus ad honorem Basilicae Collegiatae s. Marci de Urbe adlectus, et a SANCTITATE SUA Antistes Pontificiae domus renuntiatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM DOMITIOPOLITAN. sub Archiepiscopo Seleuciense, in partibus infidelium vacan. per obitum bo. mé. Eugenii Stephani Charbonnier, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Alphonsi Giordano e dioecesi Abellinense, Presbyteri Congregationis SSmi Redemptoris. Patriae Ecclesiae Archipresbyteralis Vicarius Curatus aliquando adlectus, Collegii s. Reparatae Theanense in urbe Superior hucusque renunciatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM CAESAROPOLITAN. sub Archiepiscopo Philippense in partibus infidelium, vacan. per translationem R. P. D. Cutberti Hedley ad sibi invicem unitas Sedes Neoportensem ac Menevensem, favore R. D. Petri Pauli Stumpf, Presbyteri Argentinensis dioeceseos, qui etiam deputatus fuit in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Andreae Raess Episcopi Argentinensis. Ad Sanctum Laurentium Argentinense in civitate Vicarium agens parochialem, ac dein Romae penes seminarium gallicum Rectoris et sacrae theologiae Professoris munere perfunctus, hucusque vero maioris seminarii Argentinensis Rector, Cathedralis eiusdem Canonicus, ac pro ipsa dioecesi Vicarius in spiritualibus Generalis renunciatus est.

Per Breve autem Pontificium collatae fuerunt sequentes Ecclesiae:

Ecclesia Archiepiscopalis Amiden. *in par. infid.* R. P. D. Francisco Norberto Blanchet, dimissionario Oregonopolitano.

Ecclesia Archiepiscopalis Emesen. *in part. infid.* R. P. Fr. Anacleto Chicaro a s. Felice, Visitatori Apostolico s. Bartholomaei in Insula, deputato Vicario Apostolico Aegypti latinorum.

Ecclesia Episcopalis Eumenien. *in part. infid.* R. P. D. Nicolao Pace, renunciatario Sedis Amerin. quam retinet in provisoriam administrationem.

Ecclesia Episcopalis Antinoen. *in part. infid.* R. P. D. Ignatio Mrak, iam Episcopo Marianopolitan. et Marquetten.

Ecclesia Episcopalis Cyrenen. *in part. infid.* R. P. D. Petro Cappellari, renunciatario Concordien. quam retinet in provisoriam administrationem.

Ecclesiae Cathedrales unitae Neoporten. et Meneven. R. P. D. Ioanni Cuthberto Hedley, translato e Caesaropol. *in part. infid.*

Ecclesia Cathedralis Natcheten. R. P. D. Francisco Ianssens. Vicario generali Richmondiensi.

Ecclesia Cathedralis s. Antonii. R. D. Claudio Neraz, inibi hucusque administratori *in spiritualibus.*

Ecclesia Episcopalis Lystren. *in part. infid.* R. D. Gonzalvo Canilla, deputato Vicario Apostolico Giblatarien.

Ecclesia Episcopalis Albae *in part. infid.* R. D. Hermanno Koeckemann, deputato in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Aloisii Maigret, Vicarii Apostolici Sanwichen.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 28 Maii et 11 Decembris 1880.

Compendium Facti. Anno 1877 inter Theolindam, in aetate 32 annorum constitutam, et Iacobum annos natum 41 nuptiales tractatus incoepti sunt. Accidit tamen ut puella suspicaret de nonnullis Iacobi ridiculis consuetudinibus, quum vir domum suam peteret, aut cum ambulatum irent per frequentiores civitatis vias. Suspicio eiusmodi aliquam mulieris animo adiecit anxietatem, quae tamen operâ confessarii pacata fuit; ideoque haud desiit illa benevolentiae signa, etiam per amatorias epistolas, suo sponso manifestare.

Celebratis tandem nuptiis die 23 Ianuarii 1878, Florentiam illico petierunt sponsi, ibique per tres dies totidemque noctes commorati sunt, eodem in toro cubantes, quin tamen ex mulieris reluctantia matrimonium consummassent. In patriam mox reversi, in eadem domo permanserunt circa mensem unum; ast in eodem cubiculo atque lecto eodem, unam tantum noctem, hac conditione permansit mulier, ut cubiculi porta reserata esset, et in adiacenti cubiculo aliquis advigilaret. Hisce etiam pactum adiecit mulier, ne vir ullum conatum faceret pro matrimonii consummatione, a qua omnino abhorrebat, etiam indolis Iacobi causâ.

Elapso igitur mense communis habitationis, cum Iacobus animum suae uxoris haud flectere valuisset, adhibita ad hoc etiam operâ sui germani, religiosi viri, et aliunde Theodolinda paternam mariti domum petere recusasset, Iacobus hospitium reliquit uxoris. Una tantum vice in posterum cum ipsa collocutum

esse fatetur, eamdem rursus invitans, at incassum, ad matrimonialia obsequia praestanda, vitamque communem agendam.

Hinc mense Iunio 1878 supplicem dabat Sanctissimo libellum Theodolinda, quo dispensationem super matrimonio rato et non consummato expostulavit.

Disceptatio Synoptica

Mulieris defensio. Per nimiam atque evidentissimam probationum copiam, corporum coniunctionem defecisse oratricis defensor affirmat: quae sunt iusiurandum coniugum, eorum religione ac fide validatum, communis quae in omnibus insedit opinio, et confessarii testimonium. Tum trium obstetricum ac duorum medicorum iudicia breviter enucleat, qui omnes, nemine excepto, de actricis virginitate apertissime constare tradiderunt: unde supremus attingitur evidentiae gradus.

De altera potius dispensationis conditione fusius disceptandum ait, scilicet de causis: quae tunc legitimae censentur ac prae ceteris attendi debent, cum animarum incolumitatem respiciunt, et scandalum removent: *Cosci de sep. tor. lib. 3 cap. 2 num. 99, Fagnan. in cap. Quia circa 6 num. 7 de consang. et affin.* Animarum vero discrimen ex invincibili mulieris aversione, ex perpetua resistentia ad praestandum uxoris officium, ex gravioribus malis quae expectanda sunt, dimanare contendit.

Aversionem quod attinet, mulieris verba refert, quae se horrore erga hominem perculsam ait, ac tali horrore ut se mori malle quam invisas nuptias celebrare affirmaverit. Neque de protestationis veracitate dubitari posse ostendit: nam plenam pientissima mulier fidem meretur, atque eius confessarius, qui nuptias inivit, quique nihil intentatum reliquerat, ne illae effectu destituerentur, invincibilem animorum aversionem non modo inficiatus non est, sed indubiis verbis admisit et probavit.

Atque animorum disiectionem maximopere ad dispensationem attendi tradit, iuxta *Clericat. de sacr. matrim. dec. 15 n. 45, De Luca de matrim. disc. 3 num. 8, Lancellot. in voto penes Ursayam to. 3 par. 2 disc. 21 annot. 62, Corrad. in praxi disp. lib. 8 cap. 7 n. 33.*

Nec gravissimum illud periculum praetereundum, subdit defensor, quod cum alter ex coniugibus thalami officium semper recusaverit ac semper se recusaturum polliceatur, alter assiduo adulterii discrimine versetur. Nam, prout docet *Ursaya discept. eccl. to. 2 par. 2 disc. 21 num. 95* est in longa mora fornicationis periculum. Mulier autem invisum complexum vehementer reiecit ac semper propulsavit, prout vir ipse tradidit qui nil intentatum reliquit, ut eam ad hoc induceret; sed perperam; quod actricis mater, aliique testes retulerunt. Quinimo frustra confessarius illam, quousque animum non mutaret, in poenitentiae sacramento audire recusavit.

Neque miram in puella huiusmodi resistentiam affirmat. Nihil enim magis in corporum coniunctione necessarium, quam animi quaedam conniventia: terror autem ac repugnantia quemlibet naturae igniculum restinguunt. Atque actricem vehementissimâ repugnantiâ perculsam ait, cum in actu ipso primi congressus, non levia *insaniae* indicia in coniuge deprehendit.

Hinc, posita dispensandi causa, nullo modo alterius coniugis consensum in iure requiri affirmat: quia non decet alterum ex coniugibus alterius arbitrio vexari et animae discrimen alterius malignitati posthaberi prout docet *Sanchez de matrim. lib. 2 disp. 15 num. 7.* « Ut Pontifex dispenset in matrimonio rato » non desideratur mutuus coniugum consensus, sed existente » iusta causa potest Pontifex dispensare, altero eorum invito, » et confirmant *Barbosa tit. Cod. soluto matr. par. 2 rubr. n. 103, Clèricat. in Erothem. eccles. Cap. 143 num. 14, Corrad. in praxi dispensat. lib. 8 cap. 5 num. 13, Guttier. de matr. cap. 53 num. 3, Perez. de matrim. disp. 20 sect. 7 num. 8.*

Singularem vero in praesenti iudicio causam occurrere ait, scilicet amentiae periculum ac vesanam formidinem, unde uxor contremiscit. Multa enim sunt in hoc homine quae satis gravia dici possunt, ac non sanae mentis indicium praebent. Haec omnia per plurium testium depositiones probat, atque a testibus ipsis, per virum inductis non modo non oppugnari contendit, sed aperte admitti.

Graviora tamen urgent, quae viri mentem infirmam esse

probant, et vitae totius consuetudinem nullo modo cum eo securam ostendunt. Iure igitur meritoque mulier de non sana viri sui mente dubitavit, qui gravibus atque assiduis hallucinationibus laborat: quae omnia quidem adeo dementiae proxima sunt, ut mentis alienationem ostendant. Hinc ex toto corporis habitu ac fatuis actibus, quibus vir excellit, censet gravissima hallucinationis argumenta deduci, *Zacchia quaest. medico leg. lib. 2 tit. 1 quaest. 3 num. 3.*

Neque obiiciendum propugnat multa virum provide gerere atque in multis negociis, instar sani hominis se habere. Id enim commune est iis omnibus quos neoterici nuncupant – *mattoidi* quia nonnulla stultissime faciunt, alia prudenter absolvunt, ac de quibus docet *Zacchia quaest. medico legal. lib. 2 tit. 1 quaest. 3 num. 20.* « Omnia interdum non modo cum prudentia, » sed etiam cum providentia insani gerunt: tamen manifestum » est, illos in quibusdam particularibus apertissime insanire ». et concinit *Girolami* in opere *Sulla pazzia studi psicologici e patologici vol. 4 pag. 380 ac 409.*

Igitur quum agatur de causa dispensationis satis esse, ait defensor, ab altero coniuge alterius dementiam metui, ac non improbabilem opinionem istius animo insidere de instante periculo. ut intolerabile contubernium appareat, atque ut coniugalis affectus continua formidine removeatur. Hanc opinionem in muliere ostendit, tum ex actricis ipsius testimonio, tum ex testium ac praecipue confessarii depositionibus, atque ita brevi aucta est, ut gemeret ac contremisceret, et domum ipsam deserere vellet.

Viri demum obiectioni occurrit, qui actricis literas producit, ut probet eam infirmitatem suam ab initio cognovisse, et concludit, causam ad dispensationem allegari non posse a coniuge, qui illam ante matrimonium perspectam habuit. Mulier revera nonnulla se ante matrimonium cognovisse ingenue fatetur, sed parvi momenti rem censuit: initis nuptiis infirmae mentis speciem manu contrectavit. Quam iudicii varietatem et ipse confessarius obivit, ut ex illius testimonio patet. Ille enim qui viri hallucinationes parvi faciendas ab initio censuit, novitate rerum

perculsus, consilium mutavit et dispensationis postulandae necessitatem agnovit.

Animadversiones vindicis s. vinculi. Theodolindae petitioni obsistit matrimonii vindex, nedum spectatis *extrinsecus* processualibus actis, sed et *intrinsecus*, quia deficit fundamentum concedendae dispensationis, quod in probatione inconsummationis matrimonii, et legitimarum causarum existentia consistit. Quoad *extrinsecus* ait, processum peccare in formis substantialibus, ab *Instructione* s. C. C. praestitutis et dubitavit an sanari posset processus ille.

Dato parumper, at minime concesso, quod recitati defectus diiudicentur sanabiles, attamen, intrinsecus quaestionem aggrediens, recolit ex ipsius Theodolindae supplici oblato libello deprehendi, per quatuor integras noctes cum sponso, eodem in lecto condormiisse, et quidem, veluti acta perhibent, inter reciprocos amplexus et oscula. Quibus in facto constitutis, iam spontanea exsurgit iuris et de iure praesumptio, matrimonium fuisse consummatum. Quandoquidem tritissimi iuris esse certat, ex cohabitatione et condormitione coniugum, praesumptionem enasci *iuris et de iure* matrimonium fuisse consummatum *Gloss. in cap. 4 Si quis accepit caus. 3, De Iustis De dispens. matr. lib. 2 cap. 10 num. 21, Pignatell. consult. 149 num. 1,* S. C. in *Comen. Matrim. 17 Decembris 1768.* Imo praesumptionem consummationis oriri subdit ex sola sponsorum mora in loco secreto et abdito, per tantum tempus, quantum satis est ad copulam exercendam, ceu una veluti echo tradunt Canonistae et praecipue *Panormitanus in cap. Litteris de praesumpt. num. 4, Menoch. De praesumpt. lib. 6 q. 89, Abbas in cap. 3.*

Huiusmodi autem praesumptionem non destrui propugnat, nisi concludentissimae probationes afferantur, *Pignat. Consult. 149 n. 1, Rota decis. 54 n. 8 recent.* et DD. communiter, quae prorsus deficiunt in praesenti controversia; in qua tam ampliora sunt extrema facti, ut nullimode praesumptio ipsa destrui valeat, sive per coniugum et septimae manus iuramentum, sive per ipsum virginitatis experimentum. Quandoquidem ad primum quod attinet, ait, quod in iure praesumitur facile coniuges contra

matrimonium colludere, in confessionem impedimenti prosilire, atque ita auxilium septimae manus sibi procurare; non est ea propter ipsis adhibenda fides, nisi certo constet numquam una simul cohabitasse: *Consc. De separat. tor. lib. 1 cap. 1 n. 17, Hostiensis in Summ. tit. de Conv. Coniug. num. 9.* In themate contrarium evincitur, dum uti causam inconsummationis adducat repugnantiam mulier, in provecta adolescentia constituta; quae declaraverat, se nolle innuptam permanere, matrimonium cum Iacobo exoptavisse, laetamque fuisse, quod pro nuptiis ineundis electi essent dies, quibus a menstruis erat libera.

Omnia haec ipsa bene pernoscens, novum effugium quaerit in qualitatibus sponsi. Perdito sed vero consilio, cum ex actis constet, sponsi indolem eidem fuisse perspectam, et solam cum solo contendisse Florentiam, quin ipsius indolem pertimesceret.

Minusque vehentissimam probationem praestare adurget virginitatis experimentum, quod secundo loco proponitur. Neminem enim fugit ipsum fallax argumentum reputari, atque obstetricum et peritorum saepe saepius fallere manus, ceu sacri canones aperte perhibent, et passim legitur in thesauro resolutionum, praesertim in *Corduben. Dispens. Matr. 20 Sept. 1760* §. *Dispensationi, Neapolitana Dispensationis Matr. 15 Sept. 1821* §. *Ex inspectione.* Re at vera intimius perpendendo totum argumentum fulciri sustinet praesentia integritatis hymenis, de quo obstetrices loquuntur, quin referant utrum mollior vel durior in Theodolinda ipse existat, cum in primo casu coniunctio facile dari posset, quin ipse abrumpatur, teste *Albini Acad. Annot. lib. 4. cap. 10 pag. 52.* Virginitatem imo statuere ex sola hymenis praesentia ab ipsis in arte peritis errorem reputare, *Barzellotti med. leg. cap. 1* §. *82. Puccinotti lezione di Medicina legale lez. 2.* § *9, Metaxà* in suo opere, typis edito anno 1824, *Scipioni* in suo voto legali, apud Advocatum Ala, in opere cui titulus *Ala foro criminale tom. 7. pag. 203.*

Inspectis at vero obstetricum relationibus, nullum de hymenis duritie vel flacciditate habetur verbum, nulla partium descriptio, quae necessario requirebatur, ut, omnibus confluentibus signis, de integritate ferri posset iudicium, sed tantum inventum fuisse

asseritur integrum hymenem. Neque huic defectui suppletum fuisse prosequitur, sive per responsiones interrogationibus medicorum datas, nam neque ipsos constat circa singula obstetrices interrogasse; cum vix relationibus auditis pro Theodolindae virginitate iudicarunt: sive per interrogatoria ab officioso defensore facienda, quae prorsus deficiunt in actis.

Ita inconsummationis fundamento refutato, superfluum esset immorari in discutiendis causis dispensationis. Stante enim possibilitate consummationis, denegatur dispensatio: S. C. in *Chien. Matr. 16 Dec. 1791* §. *6.*, *Spoletana Matrim. 20 Dec. 1873* §. *Hoc*. At data etiam non consummationis hypothesi, Theodolindae conditio haud melior evadit; quia semper deficerent iustae ac rationabiles causae ad dispensationem obtinendam, sine quibus neque Summus Pontifex valet dispensationem concedere. Istam in themate deficere causam patet. Nulla enim adsunt iurgia aut discordiae inter partes, nulla scandala aut inimicitiae, nullum incontinentiae periculum. Ambo religione et virtute praestant, post separationem insimul placide et benevole sunt collocuti, et ipso fervente processu, nullum contumeliosum aut iratum vir contra sponsam protulit verbum, interrogatoria patienter sustinuit, qui, christiana patientia duce, omnia suffert. De discordiis ideo atque rixis, ne datur quidem reperiri vestigium.

Periculum incontinentiae prorsus abest sive ex parte mulieris, sive ex parte sponsi. Ex parte illius, quae matrimonii consummationem abhorrere fassa est, atque viro proposuerat vitam insimul degere uti frater et soror. Ex parte alterius, quia tam integer est, ut in primo maritali amplexu se virginem coram sponsa ploclamare potuerit.

Alteram causam ex amentia vel amentiae periculo depromptam oppugnans sacramenti vindex, eamdem potius ad ornatum prolatam fuisse sustinet, cum amentiae vel ipsius perîculi iudicium in arte peritis relinquendum esset, de quo nec habetur verbum, neque vola. Contrarium quin imo ex actis resultat. Quandoquidem, si demas Iacobum nonnullis scrupulis vexari, qui a muliere ante matrimonium dignoscebantur, nil aliud in sua agendi

ratione deprehenditur. Minusque ob praedictos scrupulos in amentiae periculo versari posse propugnat.

Uxoris tandem de viro suo metum, qui demum adducitur pro dispensatione obtinenda, sine causa esse et a sola phantasia ortum, non esse duraturum dicit, ita ut ipse pro gravi causa concedendae dispensationis adduci possit. Istiusmodi imo timorem spernendum ait, quia et ipse ad ornamentum adductus est. Constat enim ex actis Theodolindam viro suo proposuisse simul vivere, ceu frater et soror. At commorari cum amente, vel in amentiae periculo versante non solum uxorem, sed et amicam et sororem et ancillam iure pertimescere, neminem latet, dum Theodolinda ut uxor timet, ut soror non timet.

Hisce itaque expositis, remissum fuit sapientiae EE. PP. sequens dirimere

Dubium

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re perpensa, sub die 29 Maii 1880, respondere censuit:

Affirmative.

Beneficio novae audientiae, ad petitionem Defensoris matrimonii concesso, iterum quaestio disceptata fuit sub dubitandi formula:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

Ast sub die 11 Decembris 1880 responsum paruit – *In decisis.*

Ex quibus colliges:

I. Probata mulieris integritate, ab Apostolica Sede haud denegari solere dispensationem super matrimonio rato et non consummato, quoties pro dispensatione petita legitimae adsint causae.

II. In iure tamen nil definitum esse de legitimitate causarum, ast Doctores tradidisse: ope dispensationis providendum esse quoties *aut valetudinis, aut concordiae, aut animae discrimen metui possit.*

III. Totam ideo quaestionem in iudicum arbitrio versari, quoties dubitetur an adsint legitimae dispensationis causae, vel uti tales habendae sint, quae actu adducuntur.

IV. Hoc tamen sic intelligendum esse, ut non liceat matrimonium ratum labefactare sine probabili prudentiae, honestatis, et aequitatis causa, arbitrio iudicum aestimandâ; sed pariter ne dispensatio denegetur sine capitis aut salutis aeternae discrimine.

V. Ideo causarum magnitudinem haud esse ita extollendam, ut omnis dispensatio in matrimonio rato pene impossibilis evadat: tunc enim perperam frueretur R. Pontifex auctoritate dispensandi super matrimoniis ratis.

VI. Eiusmodi enim matrimonia haud frui absolutâ indissolubilitate; quia deest eisdem plena significatio unionis Christi cum Ecclesia, quae perficitur carnali coniunctione, quando nempe fiunt *duo in carne una*.

VII. Existente iustâ dispensationis causâ, non desiderari mutuum coniugum consensum; sed, etiam altero eorum invito, Pontifex dispensare valere.

VIII. In themate probata mulieris integritate, graves videri adfuisse dispensationis causas; quales sunt mulieris in virum aversio, quotidie crescens, absque spe futurae conciliationis; eiusdem mulieris magna formido propter dementiae periculum; nec non gravis timor futuri scandali, quod per dispensationem praecavendum est.

REDDITIONIS RATIONUM ET SERVITII CHORI

Die 29 Maii 1880.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus W. munere s. Visitationis expleto, in sua Cathedrali Ecclesia nonnulla iam ab antiquis temporibus inolevisse cognoverat, quae Ecclesiasticis sanctionibus minus conformia videbantur. Qua de re commotus huic malo

occurrere, pastoralis suae sollicitudinis esse duxit. Hinc, peculiari edito decreto, quaedam reformavit, quae suae episcopali iurisdictioni subiecta esse censuit, quaedam vero intacta reliquit, verens, ne in alienam messem falcem immitteret, neve ex reformationis causa, aliquid deterius contingeret. Verumtamen, ne eadem diu irresoluta remanerent, retulit s. C. Congregationi: Capitulum Cathedralis administrare bona Fabricae et piarum fundationum, neque quotannis Ordinario reddere rationem administrationis, iuxta *Trid. Sess. 22 cap. 9 de ref.* Adiecit etiam, idem Capitulum ex immemorabili consuetudine, per cantores laicos, officium recitare divinum in Cathedrali Ecclesia; et longa expositione refert, quibus horis adsint, quibus absint Canonici, omnes lucrando tamen distributiones. Quinimo uti praesentes horis audiendis haberi canonicos, Missam privatam celebrantes.

Disceptatio Synoptica.

QUAE CONSUETUDINI ADVERSANTUR. Consuetudinem ex qua Capitulum Ecclesiae Cathedralis W. rationes quotannis per suos deputatos revidet et liberationes concedit, quin Ordinario, nisi in visitatione, rationes reddat, nullo pacto sustineri posse Episcopus autumat. Huiusmodi siquidem mos nedum iuri antiquo et novissimo; sed etiam constantissimae S. C. C. praxi refragari videtur. Sane Clemens V in *Cap. 2 Lib. 3 Tit. 11 de Relig. domibus* sermonem de piorum locorum administratione instituens, haec statuit – ibi – « Illi etiam quibus dictorum » locorum gubernatio seu administratio committetur: ad in» star tutorum et curatorum iuramentum praestare, ac de lo» corum ipsorum bonis inventaria conficere *et Ordinariis seu » aliis, quibus subsunt loca huiusmodi, vel deputandis ab eis » annis singulis, de administratione sua teneantur reddere ra» tionem* ». Iuri antiquo concordat ius novum. Profecto Sac. Tridentina Synodus *sess. 22 Cap. 9 de Reform.* in themate haec decrevit – ibi – « Administratores tam ecclesiastici quam laici » fabricae cuiusvis Ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis, con-

» fraternitatis, eleemosynae montis pietatis et quorumcumque » piorum locorum singulis annis teneantur reddere rationem » administrationis Ordinario . . . Quod si ex consuetudine aut » privilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id de- » putatis, ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam » Ordinarius, et aliter factae liberationes dictis administratori- » bus minime suffragentur ».

Huiusmodi iuris communis sanctionibus atque decretis concinunt DD. inter quos Pignatell. qui *Tom. 9 Consult. 153 num. 30* haec ad rem habet - ibi - « Administratores tam ecclesiastici, » quam laici fabricae cuiusvis Ecclesiae, etiam Cathedralis . . . » et quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur » reddere rationem administrationis Ordinario ». Fagnanus ad *2 Part. tertii lib. decret. Cap. Ad haec de Relig. Domibus num. 31* - ibi - « ut non solum possit Episcopus hospitalia » et loca huiusmodi visitare, sed etiam singulis annis ab il- » lorum administratoribus rationes administrationis exigere, » ut per Cardin. in *Clem. 1 n. 14 de testam. Imola in » Clem. Quia contingit n. 7 de Relig. domib. et hodie est » expressum in decreto Conc. Trid. cap. 9 sess. 22* ». Ast consuetudo vigens in Cathedrali W. hisce omnibus adversatur; ergo abroganda est, ait Episcopus.

Neque vis et efficacia consuetudinis iuvat; quia consuetudo haec sub iuris censura cadit, dum a Tridentino reprobatur. Nam ipsa Tridentina Synodus, postquam in praecitato capite decrevit quod administratores *quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario,* statim subdit *consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis.*

Praeterea neminem latet quod decretum irritans, non modo irritat omnem contrarium actum, ipsi decreto praeexistentem, sed insuper eiusdem vis et efficacia tanta est, ut non permittat ullo tempore aliquam inchoari posse consuetudinem vel praescriptionem, ut communiter affirmant Card. De Luca *de Iurisdict. disc. 95 num. 7. et 8.* Pignatell. *cons. 134 n. 16 tom. 1.* Garz. *de Benef. par. 5 cap. 4 num. 179 et seq.* Rota *decis.*

317 num. 12 et seq. part 16, decis. 22 num. 18, et decis. 192 part. 18 Recent.

Tandem neque regerere proficeret hanc fuisse Patrum mentem, ut quaevis contraria consuetudo, excepta immemorabili, in posterum deleretur. Huic enim offensioni occurrit Fagn. in praecitato *Cap. Ad haec n. 32 de Relig. Domib.* - ibi - « ut » Episcopus rationes administrationis exigere possit, non obstante » contraria consuetudine, etiam immemorabili; nam etsi Conci- » lium Tridentinum in *d. cap. 9 Sess. 22* simpliciter tollat » consuetudinem, tamen eo decreto etiam immemorabilem sub- » latam esse, optimis rationibus deduxit s. Congregatio in » causa Cremonen.... » Hinc nullo pacto consuetudo haec sustineri posset etiamsi realiter existeret; quod recise denegatur ab Episcopo. Nam Episcopus W. anno 1574, sub censurarum comminatione, iussit Capitulum rationem Ordinario reddere; quod factum est, quamvis aliquis Capitularis renueret. Ideoque quum Capitulum, formaliter hoc anno obligationem agnoverit reddendi rationem Episcopo, retinendum est idem Capitulum suae obligationis conscium permansisse, cum nulla allegatur causa, ex qua coniici possit, iuri suo Episcopum misisse nuncium. Adiecit Episcopus praesenti tempore omnino immutata esse adiuncta illa quae rationum coram Episcopo redditionem difficilem reddebant.

Praeterea nec satis proficua inspectio ab Episcopo fieri potest si eidem exhibeantur rationes, quando sacram peragit visitationem. Nam s. Visitatio raro fit, neque facile fieri potest, ut tot tantaeque rationes Fabricae Ecclesiae Cathedralis et Fundationum, quas Capitulum administrat, occasione s. Visitationis exacte revideantur.

Quoad secundum dubium animadversum fuit ambigi non posse, consuetudinem penes Capitulum W. vigentem, vi cuius Canonici divinum officium per cantores laicos persolvunt, dum ipsi choro assistunt, quin tamen psallant, tolerari non posse. Hoc siquidem silentium adversatur decreto Concilii Tridentini, in quo de canonicis ita sancitur *Sess. 24 Cap. 12 de Reform.* - ibi - « Omnes vero divina per se et

« non per substitutos compellantur obire officia, et Episcopo cele-
« branti aut alia pontificalia exercenti assistere et inservire
« *atque in choro ad psallendum instituto*, hymnis et canticis Dei
« nomen reverenter, distincte devoteque laudare. » S. Pius V vero huiusmodi silentium vehementer improbat in sua *Constitutione 25 tom. 2 Bull. Rom.* qui Concilium Lateranense declarans, ubi fructus Beneficii restituendi decernuntur ab iis qui divinum officium omittunt, eamdem poenam incurri edicit - ibi -
» tametsi aliquis choro addictus non recitans, omnibus horis
» canonicis cum aliis praesens adsit, fructusque et distributio-
» nes forte aliter assignatas sola praesentia, iuxta statuta fun-
» dationis, vel alias sibi lucrifecisse praetendat ». Hisce patulis iuris principiis iugiter plausum fecit S. C. C., quae, teste Bened. XIV in suo opere *Institut. Eccles. Institut. CVII* §.*III num. XVI*, saepius decrevit « nullius ponderis habendam esse
« contrariam consuetudinem, neque fungi munere suo Canoni-
« cos, qui taceant in choro; neque distributionum fieri parti-
« cipes: *Sacra etc. saepius respondit: Canonicos in choro teneri*
« *omnino psallere, alioquin obligationi suae non satisfacere* (die
« 16 Ianuarii anno 1619 lib. 12 Decret. pag. 1.) » Item alio
« loco: *Sacra etc. respondit*, — *Canonicos in choro alta voce*
« *non psallentes, distributiones quotidianas non lucrari, quavis*
« *consuetudine non obstante* —. In causa Vicent. die 7 Iunii
« an. 1626 lib. 15 Decret. pag. 565 a terg. »

Fortius autem in themate huiusmodi consuetudo improbanda esse videtur; quandoquidem tralatitium in iure est; Canonicos muneri suo satisfacere teneri per seipsos et non per substitutos, ad tradita per s. Congreg. Rituum in *Egitanien. diei 23 Novembris 1602.* Et si aliquando permittitur ut Canonici munus suum per substitutos obire queant, id tunc tantum indulgetur, quando legitimo impedimento detenti, illud per seipsos adimplere non valent, ceu tradit s. C. C. in *Neritonen. 15 Aprilis 1606.* Sed tali casu Canonici impedimento detenti, alios eiusdem ordinis et gradus, non autem inferioris, deputare tenentur; ceu docet Sacr. Congr. Rituum in *Abulen. 18 Martii 1602.* quam refert authenticamque vidisse testat. Nicol. Garcia de *benef. p. 4 c. 2*

n. 46. Tantum vero abest quod Canonici per substitutos Laicos officio suo satisfacere possint et valeant, ut eisdem vetitum sit quominus permittant ut laici stent vel sedeant in choro, dum divina celebrantur s. Congr. Rit. in *Compostellana 4 Februarii 1600.* Omnibus itaque perpensis, consuetudinem in vim cuius Canonici W. divinis officiis intersunt, quin eadem tamen voce sua sequantur, vel per laicos substitutos eiusdem divini officii horas persolvunt, nullo pacto substinendam esse tuto concludi posse videtur.

Quoad consuetudinem inolitam habendi uti praesentes in choro Canonicos, qui Missam privatam celebrant, divini officii tempore, supervacaneum videtur sermonem instituere, cum et ipsa opponatur dispositioni Tridentini in *Sess. 24 cap. 12 de Reform.* Tantum adnotare placet in more esse S. O. uti praesentes in choro habendi Canonicos, qui Missam privatam celebrant, Divini officii tempore, de licentia tamen Praefecti chori et in populi commodum, ceu prae ceteris videre est in s. *Miniatis 8 Februarii 1817, Anagnina 20 Novembris 1819.*

Quae consuetudini favent. Ex altera sed vero parte, consuetudinem circa rationum redditionem penes Capitulum, a saeculis vigere Canonici contendunt, eamque in suo robore firmandam esse. Nam a tempore Concilii Tridentini numquam Episcopi W. rationum redditionem a Capitulo poposcerunt, iudicantes nullum ex hoc exoriri posse damnum bonis et fundationibus sub manu et patronatu Capituli existentibus. Praeterea quoad pias fundationes, nedum Capitulares quamplures, sed etiam nonnulli Episcopi, post Tridentinum, summas frugiferas ad manus Capituli reliquerunt. Ast sic facientes novum, aut non usitatum onus imponere Canonicis nolebant. Quum contra ius commune, iure Tridentino non excepto, praescriptio valeat, ius hoc per trecentos et amplius annos non usitatum apud nos, videtur desiisse Capitulumque obligationi eiusmodi non subiacere. Hisce in facto et in iure super immemorabilis consuetudinis valore atque efficacia perpensis, Canonici concludere autumant, nihil

modo innovari posse circa Ecclesiae Cathedralis fabricae aliorumque piorum locorum rationum redditiones, quae per trium saeculorum spatium ad solum Capitulum iugiter pertinuerunt, facta tantummodo Episcopo facultate, in s. Visitationis actu, easdem ad examen et trutinam revocandi.

Revera virtus consuetudinis centenariae, fortius autem immemorabilis tanta est, ut sive in linea *praesumptiva*, sive in linea *praescriptiva* allegetur, vel titulum de mundo meliorem facit praesumere, ceu docet Card. De Luca *disc. 32 n. 2 et 4*, cui concinit s. Rota in *decis. 574 num. 11 part. 19 recent.*, et in *decis. 493 num. 3 part. 19 tom. 3 recent.* vel quamcumque legem praescriptione capacem valet abrogare: Piringh *Ius canon. tit. de praescript. num. 28 et 30*, Card. Petra *Comment. ad Constit. 4 Callisti III sect. 2 num. 22.* Quin obstent citata Concilii Tridentini verba *Sess. 13 cap. 9 de Reform.* - ibi - *consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis*. Quandoquidem neminem latet quod illa verba etsi, anteriorem consuetudinem destruere et evertere valeant, tamen tanti haud facienda esse videntur, ut prohibeant quominus nova consuetudo inchoari valeat. Ita Piringh *in ius Canon. lib. 1 tit. de consuet. num 65.* Reiffenstuel *decret. lib. 1 tit. 4 n. 55.* Quae cum ita sint pleno veluti alveo concludi posse videtur, quod licet consuetudo, ante Concilium Tridentinum introducta, destrui potuerit per dispositionem Tridentini, remanet tamen favore Canonicorum W. nova consuetudo post Concilium inducta, quae, utpote rationabilis et legitime praescripta, Conciliorum legi derogavit. Idque iure merito, decreta enim Concilii Tridentini tantam vim secumferre haud credendum est, ut iisdem Pontifex derogare non valeat. Si quis itaque reperiretur qui per privilegium apostolicum aliquo iure gauderet Concilii Tridentini decretis contrario, hic in sua possessione inquietandus non esset, et ita pariter asseri posse videtur Canonicos W. in suorum iurium exercitio turbandos non esse.

Ad evertendam immemorabilem huiusmodi consuetudinem, nil valet quod capitulum, ut refert Episcopus, anno 1574 ada-

ctum fuerit reddere rationes Episcopo, quia factum speciale est. Hinc admisso etiam quod consuetudo semel interrupta fuerit, tamen favore Capitularium plus quam centenaria nunquam interrupta fuit.

Post haec, Canonici gradum facientes ad secundam quaestionem, substitutionem cantorum laicorum in divinis officiis peragendis pertingentem, haec animadvertunt. « Laici in quae» stione nobis posita commemorati, iam ante multa saecula apud » nos choralium nomine veniunt. Institutum enim apud nos id » vetustissimum est. Capituli nostri inde ab anno 1260 exi» stentis statuta quidem primordialia interierunt, at in statutis » anno 1384 promulgatis, chorales isti iam ut ab antiquo exi» stentes commemorantur et ibidem §. 39 praecavetur ne in» stitutum istud evertatur, finique suo abalienetur, quo chora» les isti debebant *continue omnibus horis divinis tam diurnis,* » *quam nocturnis interesse.* Eosdem chorales et in statutis Ca» pituli de anno 1532 §. 4 obvios Eminentissimi S. R. E. » Cardinales duo celeberrimi optime noverant, scilicet Stanis» laus Hosius Episcopus noster, ipse s. Concilio Tridentino Au» ctoritate Apostolica praesidens, reformationisque Tridentinae » acerrimus assertor et piissimus executor, circa chorales ta» men nostros reformationis remedium nullum procurans, ut» pote non necessarium ipsi visum; et Ioannes Franciscus Com» mendonus, Apostolicus apud Regem Poloniae a Latere Lega» tus, qui ut specialis Commissarius Apostolicus anno 1572 » nonnulla capita statutorum nostrorum correxit, at chorales » nostros intactos reliquit. Et postquam b. m. Iosephus Ambro» sius Episcopus ut executor Apostolicus Decretis s. Congrega» tionis Consistorialis de die 9 Augusti 1855 ex thaleris 1850 » et grossis 20 ibidem art. 1. N. 12 pro salario ministrorum » Ecclesiae laicalis status assignati thaleros 720 iisdem chora» libus attribuit iidem ipsi chorales Auctoritate Apostolica de» legata in ministris Ecclesiae status laicalis recensendi et con» numerandi sunt. »

Insuper prosequuntur Capitulares, etiam nunc existunt causae quibus Canonici olim non tenebantur quotidie recitare in

choro totum officium; quinimo nonnullae auctae sunt. Nam aeris temperies haud mutata est, et canonici loco sexdecim, nunc sunt decem, plerumque aetate provectiores, et senibus propriores quam iuvenibus.

His omnibus quae hactenus a Canonicis, pro specialis eorum consuetudinis manutentione, exposita sunt, non abs re erit adiicere, quae in themate refert Episcopus in suo ad S. C. C. misso responsivo epistolio: « Patet autem tam Canonicos, quam Vicarios admodum exiguam partem officii ipsos recitare, psalmodiam autem » a choralibus laicis fieri. Quum autem hic modus immemoriali consuetudine fulciatur et tot praedecessores mei, eum tacite approbaverint, vel saltem toleraverint equidem totum isti S. C. fideliter exponere eiusque iussa reverenter expectare duxi satius. » Ceterum vix exigi poterit ut Canonici et Vicarii totum officium ipsi recitent. Obstat aetas Canonicorum, obstant alia officia praesertim adiutorium, quod Episcopo in administranda dioecesi praestant, obstat tempore hyemali rigor coeli et frigus; quod aliquoties ad viginti gradus et amplius excrescit. » Obstat multitudo aliarum fundationum, quae persolvuntur. Siquidem ad minus quotidie duae missae de Beata Virgine et Conventualis, saepe tres, pluries, quando rubricae ferialem praescribunt, quatuor cantantur. Tempore Concilii Vaticani nonnullis feriis V quinque missae cantari debuerunt. Huc accedit quod Canonici et Vicarii, inde ab anno 1875 ob legem illam isti S. Congregationi notam, reditibus suis, quos ex aerario Gubernii perceperunt, privati sunt, et proventus tantum ex fundationibus, quae apud Ecclesiam Cathedralem administrantur, et fundis aliquibus habent. Quare reductio recitationis officii mihi necessaria videtur, quae etiam aliis Capitulis Germanicis, Auctoritate Apostolica indulta est. »

» At etiam ipsum Tridentinum, aiunt Capitulares, Canonicis » opportune opitulatur (*Sess. 24 de Ref. cap. 12*) distributiones » adiudicans non iis qui omnibus, sed qui *statis* horis interfuerint; cumque distributiones istae fieri debeant *iuxta Ecclesiae cuiuslibet ordinationem rationabilem* (cap. un. de clericis non residentibus in 6). horarum duarum tantum inte-

» ressentia, tot saeculorum usu rationabiliter practicata, Cano-
» nicis W. etiam in posterum sufficere poterit. »

Deinde enumeratione officiorum expleta, Canonici orationem suam sic prosequuntur: « Choralibus in choro cantantibus vel » recitantibus Canonici et Vicarii interessentes, et ipsi textus » eosdem aut cantant, recitantve simul, aut tantum legunt voce » submissiore, aut denique interea ad alia pietatis ac devotio- » nis exercitia incumbunt.

» Ad cantandum enim et alta voce recitandum in choro te- » neri non videntur viri, senio confecti vocisque raucitate vel » alia corporis afflictione debilitati. Tales certe, nec s. Conci- » lium Tridentinum (*Sess. 24 de Ref. Cap. 12*), nec Benedi- » ctus PP. XIV in Constitutione *Cum semper* §. *27* notare vo- » luit, quoniam nemo potest ad impossibilia obligari (*Reg. iur. 6* » *in 6*). At si qui Canonici textus in choro publice cantatos » vel recitatos negligere videntur, necessitate compulsos eos ita » facere manifestum est. Nimirum ii potissimum, quibus abun- » dantius officia et onera a Capitulo et ab Episcopo imposita » sunt, spatio temporis in choro ipsis concesso, aut ad persol- » vendas partes quascumque officii divini utuntur, aut etiam » privatae devotionis exercitiis vacant. Etiam hi non omittunt » in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei no- » men reverenter, distincte devoteque laudare et Decreto Tri- » dentino pro posse satisfaciunt, aliter tamen, urgente neces- » sitate. »

Hisce tum in facto, tum in iure delibatis EE. PP. prudentiae remissum fuit sequentia enodare

Dubia

I. *An Capitulum Ecclesiae Cathedralis W. teneatur quotannis Episcopo rationem reddere de bonis fabricae et piarum fundationum, seu potius occasione s. Visitationis tantum in casu.*

II. *An Canonici W. valeant per cantores laicos divinum officium persolvere in casu.*

Et quatenus affirmative.

III. *An iidem Canonici, divini officii tempore, Missam privatam celebrantes, uti praesentes in choro retineri debeant in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congr. re discussa sub die 29 Maii 1880, censuit respondere:

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II et III. Attentis circumstantiis esse tolerandum.

EX QUIBUS COLLIGES:

I. Ex iure communi et ex tridentino omnes administratores Fabricae cuiusvis Ecclesiae, etiam Cathedralis, et quorumcumque locorum piorum, singulis annis, obstringi reddere Episcopo rationem administrationis.

II. Hinc ex Canonistarum sententia et ex ss. Congregationum iurisprudentia, Episcopos posse exigere eiusmodi rationum redditionem singulis annis, qualibet non obstante contrariâ consuetudine, etiam immemorabili.

III. Canonicos in choro ad psallendum constituto, teneri omnino psallere per se, et non per substitutos: ita ut nisi alta voce psallant, suae obligationi non satisfaciant, neque lucrari valeant quotidianas distributiones, quavis non obstante contrariâ consuetudine.

IV. Pariter haud attendi consuetudinem, qua uti praesentes habeantur Canonici, qui tempore divini officii Missam privatam celebrent, nisi hoc fiat in commodum populi, atque de licentia Praefecti chori.

V. Communior enim opinio est, quod contra Tridentinas leges haud admittitur ulla consuetudo, quae tridentinum ipsum praecesserit vel subsequuta sit.

VI. In themate vero S.C.C. tolerasse ut inolitae consuetudines contra ius commune et Tridentinum servarentur, causâ adiunctorum, quibus comitantur (1).

(1) Ex communiori sententia certum est, pro nullis haberi consuetudines contrarias Tridentino, saltem quoad plura decreta, si consuetudines istae consensu

carent Pontificis tacito aut expresso. Idque haud repetendum esse videtur ex solo decreto irritanti, quo quaelibet Tridentini capita fulciuntur; nam hoc decreto praeditae sunt etiam sanctiones aliorum Conciliorum, et tamen adversus istas, consuetudine contrariâ praescribitur. Quod autem Tridentinae sanctiones contrariâ consuetudine praescribi nequeant, forsan repetendum videtur, ex praxi ss. Congregationum, quae nomine R. Pontificis agendo, pro nihilo constanter habent consuetudines, Tridentino contrarias. Et quamvis omnis lex humani iuris, non excepto Tridentino, vinci possit per contrariam consuetudinem, tamen dicta praxis ss. Congregationum, quoad Tridentinum, aequivalere videtur declarationi constanter, data occasione, repetitae, qua Summus ipse Pontifex monet se velle Tridentinas leges inviolatas servari, et se minime consuetudinibus contrariis consentire. Et ideo quoties dubitetur an consuetudo contraria praescripserit contra Tridentinum, recurrendum est ad s. Sedem, ut constet de consensu R. Pontificis. Idque laudabiliter factum fuisse ab Episcopo deprehendimus, quoad consuetudines per canonicos inductas, in superiori quaestione. Quae consuetudines, nunc vulnerant Tridentinum, ex consensu tamen R. Pontificis, qui per s. C. Congregationem respondit: *attentis circumstantiis esse tolerandum.*



EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM



PENSIONIS

Diebus 23 Ianuarii et 7 Maii 1880

COMPENDIUM FACTI. Ioanni Baptistae Parocho s. Donati pensionem scutatorum quadraginta, hoc est libellarum annuarum 212:80 concesserat motu proprio Summus Pontifex Pius IX Sa. Me. die 13 Februarii 1855; impositam super canonicali praebenda quam in Cathedrali Ecclesia possidebat I..... Motu » proprio ac ex mera Nostra liberalitate Tibi pensionem annuam » quadraginta scutatorum dictae monetae super omnibus et » singulis dictorum canonicatus, et praebendae fructibus, redi» tibus et proventibus, ac etiam distributionibus Tibi quoad » vixeris, vel procuratori legitimo per dictum I....., cuius » ad hoc expressus accessit consensus, et successores suos ca-

» nonicatum, et praebendam pro tempore quomodolibet obtinen- » tes, annis singulis, duabus aequalibus solutionibus. »

Canonicatus dos, impositae pensionis tempore, scutatis aureis de camera centumviginti constituebatur.

Ob gravissima tributa ab Italico Gubernio ecclesiasticis beneficiis imposita, ad normam noti decreti *cum nuperrimis* dati ex Secretaria S. C. Ep. et Reg. sub die 28 Ianuarii 1871 (1) in diminutionem pensionis consensit Parochus, quae cohibita est in libellis 123:10 resque pacifice processerunt ad diem usque 3 Maii 1877, qua supremam diem vidit Canonicus I..... Verum cum ob iniquas eiusdem Gubernii leges, Ecclesiae Cathedralis canonicatus ad duodecim numero tantum essent coercendi, cumque ex praescripto in Bulla Nicolai V reditus Cathedralis unam conficerent communem massam inter Choro praesentes ac servientes dividendam, ideoque canonicatus vacantis reditus iure accrescendi seu non descrescendi, superstitum canonicorum proventus augerent; Parochus Ioannes Baptista, mense Apr. an. 1878 integram pensionem sibi deberi, decerni postulavit per S. C. Ep. et Reg. cui in eodem decreto *cum nuperrimis*, huiusmodi petitionum cognitio privative commissa est.

Canonicis obsistentibus, causae propositioni locus factus est rationibus hinc inde deductis quas summatim refert nostra

Disceptatio synoptica.

Quae Parochus afferret. Aiebat ipse Capitulum Cathedralis R. ante reductionem numeri canonicorum supra memoratam, sexdecim Canonicis, Archidiacono incluso, itemque duodecim Beneficiatis, et duodecim Clericis Beneficiatis constitisse: reditus vero Cathedralis omnes haberi communis massae. Ideo ad normam ss. Canonum reditus omnes quotidianis distributionibus applicari, et unamquamque praebendam tribus partibus conflari, quarum binae *lucratum* punctum exhibent, tertia vero massae adscribitur pro puncto quod vocant *servitum*, et dividitur inter praesentes ratione habita maioris in chorali servitio dili-

(1) Cf. Acta s. Sedis T. VII. p. 325.

gentiae. Quamobrem redituum communium distributio ita fuisse constitutam, ut Archidiaconus duplum uniuscuiusque canonici lucraret, canonicus duplum cuiusque beneficiati, beneficiatus autem duplum clerici beneficiati. Itaque in vigintiquatuor partes tota massa divisa, decem septem canonicis numero sexdecim tribui, ob duplum Archidiacono debitum: sex partes duodecim beneficiatis, tres tandem duodecim clericis beneficiatis. Tali lege, duodecim, beneficiatos sex canonicis aequari, tribus canonicis duodecim clericos beneficiatos: seu quod idem est, singulos canonicos dimidiam Archidiaconi, duplum beneficiati, quadruplum clerici beneficiati percipere.

Quae cum ita sint, in presenti vacantium praebendarum reditus ita dividi, ut binae partes lucrato puncto accrescant, una puncto servito.

In praesenti rerum statu, a quovis vectigali liberam portionem pro puncto lucrato recipere unumquemque canonicorum, in annuis libellis circiter 933. Hanc summam quam percipere solebat defunctus canonicus I......., ceteris canonicis cedere: ab eaque detractis pro integra sua pensione libellis 218:80 superesse adhuc dividendas libellas 720, quae ad 1187 adhuc evehi possent, adiecta tertia parte pro puncto servito.

Ex his arguebat, si I... .. viveret, et alius canonicus defunctus esset, ipsum sibi soluturum fore integram pensionem: nam Bulla expeditionis canonicatus Ioannis, in qua pensionis onus impositum fuit, in scutatis annuis centum de camera canonicatus reditus indicabantur, actuales vero cuiusque Canonici perceptiones ad libellas 1300 minimum evehi. Atqui iisdem iuribus quae in Canonicum I...... invocare potuisset, se in Capitulum uti. Ergo teneri Capitulum ad integram pensionem solvendam, eo modo quo eam modo solveret Canonicis Ioannes si adhuc in vivis esset.

Quae Canonici opponerent. Exhibito ad acta computo redituum, ante bonorum conversionem et extraordinaria vectigalia Cleri, perceptorum, Canonici pro pensionis reductione servanda instant, ob sequentes quas adducunt rationes.

1. Bulla Nicolai V ad cuius tramites, occasione vacationis

reditus vacantis beneficii inter superstites praesentes et choro servientes dividi consueverunt, semper in honore fuit. Huius super Bullae fundamento, adversus Cameram *a Spoliis* nuncupatam, nec non adversus Regium Italicum Dominium, vacantium beneficiorum reditus inter superstites dividi obtinuisse Capitulum; res facti est. Etenim cum defuncti beneficiati loco serviant superstites, aequum est, ratione maioris laboris et servitii maius lucrum percipi. Ergo inter superstites dividendi sunt reditus canonicatus per I...... necem vacantis.

2. Decretum *cum nuperrimis* nullam destruxit legem quibus R. Cathedralis regitur. Cum vero loco defuncti beneficiati superstites sint, nulla ratio suppetit pensionario, qua relationes immutari praetendat, quae inter eum et defunctum iam existebant.

Nec minoris est faciendum, quod decretum *cum nuperrimis* editum fuit ob vectigalia quibus Gubernium laicum Ecclesiastica bona obrui voluit. Quapropter si perdurante causa, et effectus perseverare debet, firmis manentibus vectigalibus quae reditum vacantis I...... canonicatus imminuunt, manere debet etiam diminutio pensionis solvendae.

Quod si Parochus integram pensionem consequeretur, nullum perferret ipse vectigalium gravamen: dum e contra bis ea persolverent Capitulares: directe Gubernio, indirecte pensionario ob non admissam detractionem. Si (aiebant) defunctus distinctam praebendam habuisset, ea, adveniente vacatione potitum esset Gubernium, nec ullam vectigalium remissionem obtinuisset pensionarius. A pari res procedere debent relate ad Capitulum.

Ceterum, observabant, plurium vacantium beneficiorum reditus, diminutiones vectigalibus impositas non aequare: nec augmentum perceptionum quo hodie fruuntur ab uno I...... canonicatu deveniunt, sed ab aliis beneficiis vacantibus, quae ob defectum clericorum suppleri nequeunt, et quorum muneribus superstites supplent, qui ideo maiori servitio gravantur.

His hinc inde disputatis, in Congregatione Generali diei 23 Ianuarii 1880 proposito dubio de quo infra, responsum prodiit.

Dilata ad primam post proximam, et scribatur Episcopo qui

transmittat statum redituum tam veterum quam actualium Capituli, prout de facto et actu distribuuntur.

Causae prosequutio. Mandatis S. C. morem gerens Episcopus, redditionem rationum a Capitulo confectam sequentibus in facto notitiis explebat.

« 1. Cathedrali Ecclesiae R. quadraginta Capitulares adsta- » bant; nempe Archidiaconus, quindecim Canonici, duodecim » Beneficiati totidemque Clerici - Beneficiati.

» 2. Reditus conficiebantur ex frumento, muxto, et pecunia » numerata.

» 3. Capitulum distinctis caret praebendis: quarum nec nomen » admisit Summus Pontifex Nicolaus V. Omnia bona communis » massae sunt, quorum reditus quotidianae distributiones absorbent, » pro *diebus et horis* dividendae. Si quis abest horae canoni- » cae, vel diei, vel anni spatio, ratam distributionum amittit, » horae, diei, anno proportionalem: exceptis iubilatis atque in- » firmis, nec non trium mensium conciliarium tempore.

» 4. Fallentiae absentium praesentibus accrescunt. Inde de- » nominationes *puncti lucrati* et *puncti serviti*. Nuncupatur enim » punctum lucratum, quidquid quisque lucratur diebus et horis » quibus choro interest. Punctum vero servitum absentium fal- » lentiis conficitur, ceditque praesentium favore in praemium di- » ligentiae.

» 5. Ante quam Italicum dominium omnia invaderet, redi- » tuum divisiones ita fieri consueverant, ut expensis ordinariis antea » deductis, nec non quota parte pro expensis extra ordinem ac » impraevisis, reliquum inter singulos dispertiretur. Quod sin- » guli percipiebant, *taxationis* sub nomine veniebat. Quod su- » pererat ex cumulo expensarum ac residuorum quorumcumque, » anno exeunte diribebatur. Haec *supertaxationis* nomine ve- » niebant. Nihil huiusmodi superest ad praesens.

» 6. Divisio ita fieri consueverat, ut cuique clerico bene- » ficiato pars una cederet, duplum beneficiato, quadruplum cano- » nico, octuplum Archidiacono. Istaec proportio et hodie vi- » get.

» 7. Ex his deduci potest, reditum in Bullis collationis ca-

» nonicatuum a s. Dataria editis expressum, indicativo modo
» non taxativo atque reali esse accipiendum.

» 8. Praeter distributiones huc usque memoratas, duae aliae
» existunt: quarum una *cantus* nuncupatur, alia pro *anniver-*
» *sariis* ac *nocturnis* conceditur. Prior Missarum conventualium
» ac Vesperarum dierum festorum, aliarumque functionum intra
» annum celebranti pro cantu datur. Ad huiusmodi distribu-
» tionem nec Archidiaconus nec Clerici - Beneficiati admittun-
» tur: sed Canonici ac Beneficiati tantum, interque eos illi qui
» vel per se vel per alium servitium explent. Altera distribu-
» tio respicit adsistentiam Missae cum cantu de mane, vel No-
» cturni officii defunctorum quadragesimali tempore summo ve-
» spere recitandi maxima pro parte ex R. Episcoporum testa-
» mentis veniunt huiusmodi distributionum reditus, quorum
» neque infirmi neque iubilati sed praesentes tantum partici-
» pes fiunt.

» 9. Usque ab annis 1829 et 1830 Capitulum R. quae-
» dam latifundia locaverat 45 annorum spatio, pensionibus con-
» stitutis quae minimae sunt in praesenti. Novis locationibus,
» notabile redituum augmentum procul dubio habuisset Capi-
» tulum, nisi Italicum Dominium eisdem potitum esset. Pensio-
» num augmento addendum venit quidquid ex frumento ma-
» iori pretio vendendo traheret. Quae duo, plus duplo Capitu-
» larium proventus hodie augerent. »

Ordinarii relationem sequutae sunt

NOVAE CAPITULI DEDUCTIONES. Contendebat Capitulum, quoniam in Cathedrali R. quae ex vacationibus supersunt iure accrescendi superextantibus cedunt, ius vero accrescendi *est res mixta commodis et incommodis, Vinn. (Part. Iur. lib. 1 Cap. 44) et ex leg. 3. §. ult. de bonor. poss. in uno agnoscente deficientium portiones, portioni iam acquisitae necessario cum suo onere accrescere,* arguendum est ex contrariis, etiam cum sua utilitate huiusmodi onus auctionis ab altero declinari non posse.

Iam, aequitate suadente, Parochum actorem reductionem pensionis accepto habuisse: et ex notissimo principio *Reg. 21 in 6 quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Nam ad

titulum iustitiae *ad instar usufructuarii* pensionarium omnia onera ferre debere quae super fructibus imponuntur, omnibusque eventibus subiici. *Tondut. de pens. Eccl. Cap. VI. n. 8 Gigas de pens. quaest. 89 n. 4, Gargias de benef. part. 1 Cap. V. n. 201, Barbosa prax. excip. pens. part. 1 quaest. 10 n. 13.*

Onera inter beneficiatum et pensionarium pro rata esse dividenda decrevisse ait S. C. Concilii in *Mazarien. contributionis onerum 14 Dec. 1878,* eamdemque theoriam firmam tenuisse Decretum *Cum nuperrimis* per verba « *pensiones debent immi-» nui vel cessare, cum reditus beneficiorum imminuti* vel in to-» tum amissi fuerint ».

Ex computis ad acta deductis constare (addit) I..... Canonicum, si adhuc in vivis esset, non ultra libellas 1015:44 fore percepturum, id est augmentum libellarum 63, 22 super reditum perceptum anno 1879.

Quapropter iniquum fore, integram distributionem lucrare qui choro abest, nec tributa solvit: et titularis conditionem pensionario deteriorem facere.

His noviter deductis, in plenariis comitiis diei 7 Maii 1880 propositum est

Dubium

An et a quo tempore favore sacerdotis Ioannis Baptistae integre a Capitulo R. solvenda sit pensio libellarum 215 in casu?

Resolutio. Eminentissimi porro ac Reverendissimi Patres, causa cognita respondendum censuerunt:

Negative, sed pro nunc, attentis peculiaribus circumstantiis in casu occurrentibus, pensionem solvendam esse pensionario B.... in summa libellarum 150.

Ex his deduces:

I. Decretum *Cum nuperrimis* semper esse applicandum, cum amissio vel diminutio redituum beneficii locum habeat.

II. Statuta iam et accepto habita inter beneficiatum et pensionarium proportionali redituum diminutione, non licere ab eadem resilire.

III. Attamen ubi constet meliorem beneficiati conditionem factam esse, quam eo tempore quo reductio locum habuit, etiam proportionale pensionis augmentum esse admittendum.

IV. Ideo constantem pensionis solutionem, in summa ab omni onerum participatione exspertem, haud concedendam censuisse S. C. sed, *attentis peculiaribus circumstantiis, in casu occurrentibus*, pensionem solvendam decrevisse *pro nunc* in summa libellarum 150, loco libellarum 123:10.

SUPER INTERPRETATIONE LEGATI DOTIUM

Die 9 Iulii 1880.

Compendium facti. Canonicus Caietanus Torello anno 1706 per codicillum iussit, ex pecunia, quae penes eum tempore suae mortis foret, constitui census activos, ex quorum reditibus dos quotannis efformaretur, conferenda pauperiori atque honestae puellae e Brescello. Archipresbyter, qui ab anno 1871 Paroeciam huius oppidi consequutus est, reperit pium dotis legatum iam suspensum fuisse. Superatis vero et enucleatis quibusdam difficultatibus, quoad eiusdem administrationem, nunc totus in eo est, ut dos iterum conferatur. Attamen arbitratus est deesse normam, tute sequendam in collatione dotis huiusmodi, ex quo praxis antiqua prorsus ignoretur. Hinc adiens Archipresbyter s. Congregationem Ep. et Reg. quaesivit: an pro consequenda dote sufficiat domicilium, vel requiratur etiam ut illo in loco nata sit, puella quae dotem consequi cupit.

Disceptatio synoptica

Animadversiones ex officio. Imprimis, domicilio posthabito, animadvertere oportet, quod si puellae ad territorium e Brescello pertineant, tunc ex iure tum civili, tum municipali ad legatum admittuntur, eo quod pars fiunt loci, a testatore designati. Lex enim 147 *ff. de verborum significatione* sic decre-

vit: « qui in continentibus Urbis nati sunt, Romae nati intel-
» liguntur. » Quam comprehensivam interpretationem sequuntur Iurisconsulti, excepto casu, in quo applicanda foret lex poenalis, censura, aut quaelibet alia odiosa dispositio, *Gratian. disc. for. cap. 217 n. 2 et seq.* « Appellatione civitatis in ma-
» teria stricta venit solum id quod murorum ambitu termina-
» tur etc. Quidquid alias ex communi usu loquendi castra et
» villae veniant appellatione civitatis, maxime in beneficiis in
» quibus verba latissime interpretamur. » Et Ferraris *voc. civitas n. 87* « Civium appellatione veniunt etiam comitatenses, seu
» forenses nati in suburbiis. Praecipue in favorabilibus et in
» materia quae utrique conveniat; nomine autem territorii ve-
» nit quidquid intra fines loci simul cum ipso loco continetur;
» Leg. Pupillus §. Territorium ff. de verborum significatione.
» Porro natus in suburbiis et continentibus vicis, idem est ac
» si in oppido natus fuisset, leg. Qui 147 de verb. signif. Leg.
» Qui ex vico ff. ad Municip. »

Rota autem in decis. apud Monacellum *formul. legal. t. 2 n. 1.* « Evidens resolutionis fundamentum fuit, quia dum Lau-
» rentius testator ordinavit dotes fore distribuendas puellis, *di*
» *Padre e Madre Senesi,* sub nomine Senensis comprehenditur
» natus tantum in civitate, suburbiis, vicis et districtu ad text.
» in leg. Qui ex vico. » Ex his principiis haud magna exurgere videtur difficultas pro admissione puellarum, quae ad civitatis districtum vel territorium pertineant.

Domicilium sufficere videtur. Quod tamen asseri nequit, cum interpretatio iura respicit, quae promanant a domicilio et habitatione. Ulpianus equidem in *leg. Provinciales 190 ff. de verb. signific.* respondit: « Provinciales eos accipere debemus, qui in
» provincia domicilium habent, non eos qui ex provincia oriundi
» sunt. » Ex quo iurisconsulti responso, ratione domicilii potius quam ratione originis quempiam denominari probat Alciatus ad *dict. leg. n. 1;* et Glossa in *cap. Statutum §. cum vero de rescript. in 6* inquiens promiscue accipi cives et incolas: edocemur enim quemquam vocari ad munera civilia ratione originis et domicilii *leg. cum neque originales 4.* Hinc nisi res sit de

aliqua dispositione, quae expresse loquatur de originario, hi etiam qui ratione incolatus et domicilii pro civibus habentur, privilegiis civium frui videntur ex textu *in leg. 44 ff. de excusat.*

Quapropter, acquisito domicilio per animum et factum, aut cum de animo dubium sit, per praesumptionem quae ex decennio enascitur, sequuntur iura et relativa privilegia. Et re quidem vera auctores convenire videntur, quod in successione ad aliquod beneficium, absque ulla limitatione originis, comprehendatur et illa successio quae ex domicilio provenit, sive titulo civis aut ex privilegio. Ad rem Riganti *Regul. 14 Cancell. n. 149 et seq.* . . . « Sub privilegio disponente simpliciter quod bene- » ficia nonnisi civibus conferantur, non solum veniunt cives » originarii, et naturaliter tales, sed etiam cives ex privile- » gio. . . . » Amostatius autem *lib. 4 cap. 1 n. 58 de causis piis* ait: « Quando puellae naturales alicuius oppidi ad similia » legata vocantur, non solum illius oriundae admittendae sunt, » sed illae quae per decennium ibidem originem habuerint, li- » cet aliunde originem traxerint, dum tamen habeant animum » ibidem commorandi, nam habitatio decennalis cum animo ibi- » dem commorandi facit quemque naturalem. »

Domicilium non sufficere videtur. Ex adverso autem animadvertendum est quod in collatione dotis de qua sermo est, semper praevalere deberet verisimilis testatoris voluntas *consulendi veris civibus, non extraneis, civitatem assecutis.* Qua de re Valenti *Voto 4 n. 31* habet: « Si itaque inter eos, qui eo- » dem loco nascuntur, dari dicitur quaedam naturalis cognatio, » iusta ratio exposcit quod ita testatorum dispositiones inter- » pretemur, ut illas naturali huic dictamini, et humanae socie- » tatis legibus conformando, intelligamus de veris civibus, sive » veris naturalibus, ob verisimilem illam voluntatem consulendi » personis illius loci, et ne eaedem ab exteris sub huiusmodi » fictis coloribus excludantur; *Card. De Luca de Praeemin. Di-* » *scept. 36 n. 5.* »

Praeterea s. Rota declaravit quod civilitas acquisita prodest ad acquirenda iura competentia civibus in genere, non autem

iura pertinentia ad cives naturales et originarios *Decis 982 cor. Molines n. 8* « Nihil urget quod cives ficti et accidentales » reputentur veri et originarii cives, quoniam huiusmodi eorum » civilitas accidentalis ipsis suffragari valet pro acquirendis iu- » ribus et praerogativis quae competunt civibus in genere. Se- » cus vero ad acquirenda iura, taxative in beneficium civium » naturalium et originis relicta, quorum nomine nunquam ve- » nire possunt cives ex fictione, seu privilegio, aut alio acci- » dentali modo , cum civilitas vera, naturalis et originaria non » acquiratur nisi per nativitatem et originem in civitate. » Quinimo Amostatius *loc. cit. de causis piis* ait: « Domini Larae sen- » tentiam admitto dicentis, tantum extensionem faciendam ad » suburbia et vicos proximos civitatis. Ratio est quia licet le- » gata sint favorabiliora, cum tamen relinquantur puellis de » certo loco, extensio facienda non est cum damno tertii; sed » tantum illa quae ex verosimiliori testatoris voluntate fieri » valet. »

Animadversum quoque fuit sacram Congregationem Concilii valde attendere ad loci designationem, a testatoribus factam, ceu eruitur ex *Romana et Firmana Dotium 10 Septembris 1860*. Hinc si particula quae indicat originem, limitat civis titulum, vis argumenti augetur, in themate; nam testator *pure et simpliciter* iussit dari dotem puellae pauperiori et honestae e Brescello. Ex s. Rota vero *dec. 496 n. 8 p. 1 rec.* monemur *verba in dispositione hominis et vulgari sermone concepta, intelligenda esse proprie, non autem in civili.*

Hisce breviter praenotatis, dirimendum fuit propositum sequens

Dubium

An dotem in themate consequi valeat pauperior et honesta puella, quae domicilium habeat in Brescello; vel quae nata sit in eodem loco.

Resolutio. Sacra Cong. Ep. et Reg. re discussa sub die 9 Iulii 1880 respondere censuit: *Affirmative ad primam partem; dummodo constet de legali domicilio, negative ad secundam.*

EX QUIBUS COLLIGES:

I. Ad huiusmodi ergo consequendam dotem, nedum esse admittendas puellas, quae e Brescello oriundae sint, sed illas etiam, quae per decennium ibidem domicilium habuerint, cum animo ibi commorandi, quamvis aliunde originem traxerint

II. Nisi enim agatur de dispositione quae expresse de *originario* loquantur, hi etiam, qui ratione incolatus et domicilii pro civibus habentur privilegiis civium fruuntur.

III. Ex *leg. provinciales ff. de verb. signif.* scitum est Ulpianum protulisse: « provinciales eos accipere debemus, qui in provincia domicilium habent, non eos qui ex provincia oriundi sunt. »

IV. Ex quo Ulpiani responso, arguunt Iurisconsulti quempiam denominari de aliquo loco, potius ratione domicilii, quam ratione originis; et appellatione civis comprehendi incolam loci alicuius, et promiscue accipi cives et incolas quoad munera civilia.

EX SECRETARIA BREVIUM

BREVE: quo speciales conceduntur Indulgentiae, ut eo magis propagetur consuetudo peragendi ss. peregrinationes ad insigniora tum Romae, tum Italiae totius sanctuaria.

LEO PAPA XIII

Ad perpetuam rei memoriam

Cum, sicuti relatum est Nobis, cura pii Catholicorum Congressuum Operis (quod in Italia canonice, ut asseritur, erectum est) nec non Societatum quae sunt eidem Operi legitime aggregatae, sacrae Peregrinationes ad insigniora tum almae huius Urbis Nostrae, tum et totius Italiae Sanctuaria magno utriusque

sexus Christifidelium concursu fieri soleant, Nos quo salubris ac frugifera huiusmodi consuetudo magis magisque in dies propagetur augeaturque, coelestes Ecclesiae thesauros, quorum dispensationem Nobis Altissimus credidit, reserare idcirco censuimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui peregrinorum Crucem pro pectore gerentes, quamlibet e prefatis sacris peregrinationibus susceperint, si die quo templum vel Sanctuarium loci ad quod peregrinantes accesserint vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti visitaverint, atque ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, dummodo nulla ibidem plenaria Indulgentia concessa sit, ut de loci eiusdem Ordinarii facultate plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem lucrari valeant Apostolica Nostra Auctoritate praesentium vi concedimus. Praeterea omnibus et singulis Christifidelibus praefatis, qui anno quo quamlibet pariter e memoratis peregrinationibus peregerint feria sexta, immediate sequenti post octavam solemnitatis SSmi Corporis Iesu, et I. B. M. V. Conceptionis festivitate parochialem cuiusque eorum Ecclesiam a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi devote visitaverint, nec non ut superius dictum est preces effuderint, plenariam quoque omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem impertimus. Denique iisdem Christifidelibus, qui qualibet ex praedictis peregrinatione peracta, Crucem tamen, licet sub vestibus, gerere non desiverint, si durante item peregrinationis anno Orationem Dominicam, salutationem Angelicam et invocationem, quae incipit « Gloria Patri » corde saltem contriti, recitaverint, semel in die tantum tercentum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse elargimur. Praesentibus ad Decennium

tantum valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem habeatur fides quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum sub Annulo Piscatoris die VI Maii MDCCCLXXXI. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

L. ✠ S.

Th. Card. MERTEL.

EX S. CONG. S. R. U. INQUISIT.

Declaratio quoad incestuosam copulam, habitam inter sponsos, respectu dispensationis pontificiae.

S. Congregatio S. Officii fer. IV. 1 Augusti 1866.

Declaravit: « Subreptitias esse et nullibi, ac nullo modo » valere dispensationes, quae sive directe ab Apostolica Sede, » sive ex Pontificia delegatione super quibuscumque gradibus » prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis » et legalis, nec non et publicae honestatis, conceduntur; si spon- » si ante earumdem dispensationum executionem, sive ante, sive » post earum impetrationem, incestus reatum patraverint, et vel » interrogati, vel etiam non interrogati, malitiose vel etiam igno- » ranter reticuerint copulam incestuosam, inter eos initam, sive » publice nota ea sit, sive etiam occulta, vel reticuerint consi- » lium et intentionem qua eamdem copulam inierunt, ut di- » spensationem facilius assequerentur. Sufficere autem ut unus » ex sponsis delictum hoc suum, vel nefariam intentionem modo » dictam explicaverit. »

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

Die 7 Iunii 1842 (1).

Episcopus Namurcensis, admoto supplici libello, petiit a s. Poenitentiaria Apostolica facultatem validas reddendi dispensationes, quoad affinitatem, quae invalidae existerent propter affinitatis impedimentum, proveniens ex copula fornicaria seu antematrimoniali, quam orator vel oratrix habuerit cum coniuge defuncto, ante suum cum eo matrimonium: ne novo pendente recursu ad s. Sedem, oratores incontinentiae periculo exponantur, quod fere semper timendum est.

Sacra Poenitentiaria sub die 7 Iunii 1842, mature perpensis praedictis precibus Venerabilis in Christo Patris, Episcopi Namurcensis, earumque facta relatione SSm̃o D. N. Gregorio XVI, Eoque benigne approbante, praelaudato Episcopo respondit: » *Dispensationes in casibus expositis esse validas.* » (2).

Declaratio S. Poenitentiariae Apostolicae super conditionibus praesentis Iubilaei.

Die 2 Aprilis vertentis anni 1881 sacra Poenitentiaria circa eleemosynam praescriptam in Litteris Apostolicis « *Militans Iesu Christi* » diei 12 Martii eiusdem anni sequens dedit responsum: « *Inter opera pia, a Litteris Apostolicis significata, comprehendi etiam sublevationem pauperum.* »

(1) Sub hac die in Archivio s. eiusdem Tribunalis ponitur hoc responsum; etsi ponatur sub die 20 Martii 1842 in Instructione s.Cong.de Propaganda Fide, per nos relata. vol. X. pag. 291 har. ephem.

(2) Huic responso occasionem dedisse videtur praxis nonnullorum Episcoporum; qui cum ageretur de nuptiis ineundis inter personas affines primi et secundi gradus, investigabant etiam an inter easdem et suum maritum aut uxorem defunctos, adfuerit copula illicita ante matrimonium, a quo affinitas nascitur *ex licita coniunctione*. Quod si reperirent copulam adfuisse illicitam, tunc duplicem exposcebant aut exposcendam esse putabant dispensationem; nempe super affinitate ex copula illicita seu antematrimoniali atque ex copula licita seu matrimoniali exorta. Per hoc tamen responsum omni dubio obviam itur quoad affinitatem ex copula illicita exortam; quoniam validae declarantur dispensationes in quibus nulla mentio facta fuerit de copula illicita. Et ideo unica dispensatio super affinitate ex copula licita, comprehendit etiam affinitatem ex copula illicita, seu antematrimoniali. Et hoc responsum declaratum fuit generale per Litteras eiusdem s.Poenitentiariae diei *10 Decembris 1874.*

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XIII CONTINENTUR



LITTERAE ET ALLOCUTIONES APOSTOLICAE

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX S. CONGR. CONCILII

EX S. CONGREG. EPISC. ET REGUL.

Ex S. CONG. RITUUM

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

EX S. CONG. INDICIS

EX S. CONG. INDULGENTIARUM

EX SECRETARIA BREVIUM

EX S. CONG. S. R. U. INQUISIT.

APPENDICES

DOCUMENTA HISTORICA



INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS AMPLE EXPOSITA VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Altare privilegiatum

Primum dubium, quoad partem theoreticam, forte haud propositum fuisse videtur quia potius ad s. Congregationem R. U. Inquisitionis sese referret: cui subiiciuntur causae quae ad dogma pertinent; dum S. C. Indulgentiarum dubietatem in Sanctorum reliquiis aut indulgentiis emergentem expendit. *pag.* 142.

Videtur tamen, quoad partem practicam, iamdiu enodatum fuisse; constans enim praxis Ecclesiae semper fuit, ut altari privilegiato annecteretur Indulgentia, lucranda ab una tantum animâ, Deo in charitate coniunctâ, in una eademque Missa. *ibid.*

Quin etiam dubium primum, practice sumptum, enodatum fuisse videtur per secundi dubii resolutionem, nam s. Cong. respondit: ad unum tantum limitari indulgentiam in qualibet Missa, ex pluribus confratribus, pro quibus Missae litari solent. *ibid.*

Quum autem Indulgentiae consecutio haud pendeat a mente celebrantis, sed a mente auctoritatis concedentis et a divina acceptatione; hinc etiamsi pro pluribus generatim Missae sacrificium ad altare privilegiatum offeratur, uni tantum eorumdem indulgentia prodest, quum talis sit mens et limitatio a potestate clavium imposita. *ibid.*

Sufficit autem sacerdotis celebrantis ad altare privilegiatum intentio lucrandi indulgentiam, iuxta concedentis mentem, pro fratribus et benefactoribus, ut anima, *una* ex illis pro quibus oratur, et *quae* Deo placuerit, Indul-

Ex communi siquidem iure Episcopi sunt canonicatuum et beneficiorum suae ecclesiae ordinarii collatores. *pag.* 319.

Quinimo ex iure communi, neque sede vacante, ius habent Canonici beneficia conferendi liberae collationis, sed tantum institutionem concedere queunt praesentatis a patronis. *ibid.*

Neque dici potest iura canonicorum quasi reviviscere postliminii iure, ex quo abolita sit praefata conventio per gubernium italicum; nam hoc admisso, ius commune et regulae Cancellariae semper remanent. *ibid.*

Confraternitates

Funera exequiae et Missae cum cantu pro confratribus in confraternitatum Ecclesiis expleri debent a Cappellanis earumdem, neque parochi praesentia ullimode requiritur. *pag.* 25.

Confraternitates in Oratoriis publicis, ab Ecclesiis parochialibus seiunctis erectae, nullam habent dependentiam a Parocho, quoad functiones quae non sint parochiales. *pag.* 26.

Locorum Ordinarii ius habent interessendi congregationibus Confraternitatum per se, vel per delegatam personam, ad ordinem protuendum; attamen, iuxta regulam generalem, haud suffragium ferre valent. *pag.* 132.

In praecedentiae materia prius attendenda est dignitas: ita ut semper praecedere debeant digniores prae minus dignis. *pag.* 166.

Inter pares autem praecedentia, iuxta regulam – qui prior est in tempore potior est in iure – illi est debita qui in quasi possessione ac iure praecedendi iam reperitur. *ibid.*

Cum probationes deficiant ad evincendum cuinam, ex Confraternitatibus litigantibus, faveat quasi possessio, iure constitutum est, eos praecedere debere, qui prius saccis usi sint. *ibid.*

In aliarum probationum deficientiam, plurimi facienda est observantia, ad ignoscendum quisnam praecedere debeat inter confratres, de cetero pares. *ibid.*

Eruitur ex resolutione sacrae Congregationis Indulgentiarum diei 28 Aprilis 1761, atque ex praesenti declaratione irritas esse adscriptiones Christifidelium, extra limites Dioecesis degentium, in qua localis sodalitas erecta est. *pag.* 270.

Quoad sodalitates universales requiritur etiam nunc personalis adscribendorum praesentia; qui tamen adire valent vel moderatorem Sodalitii vel alias delegatas aut subdelegatas, in variis centris, personas, facultatem adscribendi habentes. *pag.* 271.

Nulla datur exceptio a lege generali de non adscribendis absentibus, quoad Sodalitia proprii nominis, quae strictriori sensu collegia appellari queunt; eoquod ex sui natura candidati expetunt praesentiam, qui probationem, vel novi-

Consuetudo

Dismembratio Paroeciae

Distributiones chorales

do, praeter communia omniumque canonicorum propria, nolle canonicos a se institutos eximere ab oneribus propriis communibusque, sed eisdem nova superimponere. *ibid.*

Tridentinum reprobat consuetudinem percipiendi distributiones tempore absentiae, renovando legem editam a Bonifacio VIII in *cap. Consuetudinem;* quae lex non simpliciter derogat consuetudini, sed illi resistit, eamque probat ut iniquam et irrationabilem. *pag.* 219.

Etenim nulla praescribi potest consuetudo, deficiente rationabilitate, quae prima et essentialis consuetudinis praerogativa censetur. *ibid.*

Eademque S. C. Congregatio quamplurimas edidit resolutiones, ut constitueret, non licere canonicos, tempore vacationis, facere suas quotidianas distributiones, non obstante consuetudine immemorabili. *pag.* 220.

Neque officit an haec consuetudo relata sit in capitulari statuto, auctoritate Episcopi recognito, minime vero a Sede Apostolica confirmato; quum Episcopus derogare nequeat legi superioris. *ibid.*

Doctrina christiana

Ex Trid. *Sess. 5 cap.* 2 eruitur officium esse proprium Parochorum sermocinandi et erudiendi suos parochianos in doctrina christiana, ita ut negligentes plecti et coerceri possint etiam poenis Ecclesiasticis. *pag.* 513.

Episcopi vero curare debent *ex Trid. Sess. 24 cap. 4* ut in singulis paroeciis pueri erudiantur, saltem dominicis et aliis festivis diebus, in fidei rudimentis et in obedientia erga Deum et parentes, ab iis, ad quos spectat. *ibid.*

Quapropter S. C. Concilii in suis ad Episcopos responsionibus, semper eisdem inculcat, ut ad hoc munus absolvendum parochos diligenter excitent et assidue in eosdem invigilet. *ibid.*

Experientiâ tamen compertum est, saepenumero imparem fieri solius parochi laborem, ideoque posse Episcopos cogere ad hoc munus clericos, qui ad maiores ordines promoveri vel ecclesiastica beneficia consequi cupiunt; sicque constabit non rectori tantum impositum esse docendi munus. *ibid.*

Ecclesia filialis

Ex ss. Canonum spiritu, Ecclesiae filiali haud imponi solent onera gravia et immodica erga matricem, cum Alexander III Archiepiscopo Eboracensi tantum indulserit, *ut competens in ea honor, pro facultate loci ecclesiae matrici servetur. pag.* 521,

Qua de re conveniunt Canonistae in dismembratione Ecclesiarum, filialem debere ecclesiae matrici aliquem impendere honorem, nempe annuum moderatum censum, in signum suae subiectionis. *ibid.*

Ex hisce honoris signis, quodnam filialis impendere debeat matrici, relinquitur, in actu dismembrationis, prudentiae Episcopi; qui

Coemeteria namque publica subrogata fuerunt singularum ecclesiarum sepulchris; ita ut Ecclesiae quae fruuntur tumulandi iure, istud exercere valeant in subrogatis coemeteriis. *pag.* 422.

Quamobrem, ceu olim omnis Parochi iurisdictio in cadavera ad ianuas cessabat Ecclesiae Regularium, ius sepulturae possidentis, sic etiam nunc cessare oportet eamdem iurisdictionem, cum nihil in iure immutatum fuerit. *ibid.*

Et ideo, deposito feretro ad limina praefatae Ecclesiae, dictoque ultimo vale, Parochi sese ingerere non possunt in iis ministeriis, quae postea super cadaveribus peragenda sunt. *ibid.*

Quapropter cum in Regularium iurisdictionem transierint cadavera, in eorumdem Ecclesias, causâ sepulturae delata, exurgit quod officia muniaque omnia, usque ad publicum coemeterium , ad Regulares spectent: quum Parochi iurisdictio iam perempta reviviscere nequeat. *ibid.*

Sequitur etiam quod parochis non debeantur emolumenta,quae Sacerdoti dantur ab haeredibus, cadavera comitanti ad coemeterium; et quod Regulares accersere Parochos non teneantur pro huiusmodi cadaveribus, ad publica coemeteria, comitandis. *ibid.*

Religiosi autem ad publicum coemeterium cadavera comitantes, possunt incedere,per paroeciae limites transeuntes, cum stola et Cruce conventuali, dummodo sine pompa et recto tramite incedant. *ibid.*

Parochus quoad distributiones

Ex *Trid. Sess.* 22 *cap.* 3 Parochum tempore quo *in curata ecclesia resederit ac ministraverit*, tamquam praesens habetur, ac divinis interesse; ideoque frui distributionibus valet tum ordinariis, tum extraordinariis. *pag.* 108.

Nam si canonicus iubilatus aut absens infirmitatis causâ, ex praxi S. C. C. frui potest distributionibus ordinariis et extraordinariis, nec non emolumentis quibuslibet, nulla adesse ratio videtur, qua privilegium huiusmodi denegandum sit Canonico Parocho, qui divinorum tempore, munia exerceat parochialia. *ibid.*

Neminem praeterea latet physice absentem rationabili de causa, fictione iuris haberi praesentem, et lucrari negligentium fallentias, ast quomodonam his fallentiis carebit canonicus Parochus, absens ob curae animarum bonum, quum nulla sit absentiae causa rationabilior? *ibid.*

Ex omnibus praebendis contributionem fieri debere aequaliter pro distributionibus quotidianis, eruitur ex ipsa naturali aequitate; nam tolerandum non est, quod incommoda ferre non velit, qui lucrum et commoda amplectitur.

Parochus quoad examen

Decretum Tridentini *Sess.* 24 *cap.* 18... *quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat*... circa beneficia curata, ubique suum vigorem habet; ita ut nullum bene-

Parochus quoad renuntiationem

Paroecia quoad unionem

Pensio

REIMPRIMATUR

Fr. Raphaël Pierotti Ord. Praed., S. P. A. Magister.

REIMPRIMATUR

Julius Lenti Patriarcha Constantinop. Vicesger.

